6
19-c
29

D 2/29

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
15 A
57

heca
Rom.
Iesu

21-c-54

21.C.52

M

REINERI NEVHVSII,
I.C. &
Illuſt. Gymn. Alcm. Rectoris

POEMATUM IUVENILIVM

Libri III.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In Inſignia illuſtris

ALCMARIÆ,

VVEST-FRISIÆ METROPOLIS.

Hic unâ fulges victrix ALCMARIA *Lauro;*
Sed facit ad Lauros non ſatis una tuas.
Non minus Armatâ, quàm Pallade clara Togatâ.
Fortiter Hiſpanos Barbariemque domas.
Talibus Auſpiciis, duplici ſub tegmine Lauri,
Tolle tuum victrix celſa ſub aſtra caput.



Bibl: Soc: Coll: Rom:
Soc: Jesu
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Illuſtribus ac Præpotentibus

WEST-FRISIÆ,

ORDINIBVS

Nobiliſſimis ac Magnificis

ALCMARIÆ

CONSVLIBVS,

Literarum Aſſertoribus ſemper Auguſtis,

Opes, Gloriam, Felicitatem

precatur

REINERUS NEUHUSIUS.

[library stamp]

Illuſtres, Præpotentes,

DD. ORDINES,

TAnta eſt Literarum & Eruditionis præſtantia, ut non minore cum periculo SOLEM de mundo tollamus, quàm BONAS ARTES ab Imperio & Reip. finibus exterminemus. Quibus infeliciter ſemel exſtinctis, Res humanæ, & omnia, quæ cum Cœlo & Sideribus immortalia eſſe præſtet, mox in craſſis æterniſque tenebris jacebunt, Regum regnorumque majeſtas intra paucorum annorum orbitam deficiet. Nihilque tam præclarè apud omne ævum à majoribus noſtris inſtitutum, quod non infando ſilentio & oblivione ſepelietur. Igitur ſemper benè florentis Reip. indicia fuêre, quando

Clariſſimi Scriptores Illuſtrium Virorum Virtutem memoriæ Aeternitatis conſecrarent. Nam certum eſt, citius Virtutem amatorem invenire, & Patriam à multis defendi generoſius, ſi præmium & corona poſita in medio. Mortem quoque ipſam, ſi caſtra videris, contemni ſæpius, multoque pugnari acrius, ſi perituris teſtis adſiſtat. Ita in Repub. in quâ dum *Alexandri, Auguſti, Scipiones, Lælii, Bruti, Caſares, Marcelli*, NASSOVII rem ferro, aut conſiliis agunt: eodem momento, & quaſi ad Claſſicum, *Homeri, Tullii, Marones, Hugenii, Heinſii, Boxhornii, Barlæi, VVinſemii*, præcones ac Poëtæ adſint: Qui *pennâ nunquam metuente ſolvi* Regum Principumque præclarè res geſtas ad Poſteros tranſcribunt.

Non ignoratis, *Illuſtres* DD. ORDINES, quæ dico Veſtra prudentia jam à longo multis teſtimoniis exempliſque hoc comprobavit. Qui toti in eo fuiſtis, ut Bonæ Artes, quæ labem aliquam contraxerant, priſco iterum nitori reſtituerentur. Vt Academiæ & Scholæ quæ nihil aliud ſunt, quàm officinæ ſapientiæ, ſeminaria Reip. *Διδασκαλεῖα λογικῶν, καὶ θεογνωσίας παιδευτήρια* publicâ legum authoritate quàm maximè florerent. Quæ cura ut apud VOS ſancta æternaque habeatur, noſtrâ & omnium Poſterorum intereſt. His præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt juventus, ut

omnium

omnium induſtriâ refrænanda atque coërcenda ſit. Et ne nobis aliquando in Batavis novus aliquis Crates objiciat: Quorſum ruitis, Cives, qui omne ſtudium in pecuniis collocatis, Liberorum veſtrorum educationem negligitis? Huic malo remedia abunde ſuppetunt, & à publico, laus Deo, habemus auxilia. Duo tamen monſtra reperio, quæ nobis, neſcio, quas arenas in theatro ſpargant. Scholas jam privati aperiunt, quo publicis Gymnaſiis honos & ornamentum ſuum detrahitur. Quæ & magna cauſa, quòd multorum inſtitutio malè audiat, plurimique adoleſcentes, qui cum ſingulari fructu emergere potuiſſent, nunc in putidis ſuis clauſtris, aut ruſtri licentiâ, ſicuti male feriati homines, otiosè intereant. Alterum eſt, ſtudiorum præcipitantia & Parentum erga Liberos Indulgentia, nam multi tyrones ante juſtam ingenii maturitatem ad Academias provolant, factâ ſtudiorum ruinâ. Hic ſi tuum interponas monitum, ſæpe parentem, ſæpius filiolum ad indignationem moves. Nimis blandè alludit imaginaria Libertas. Ignari quantum faciat ad ſolidam ſcientiam, non ante idoneum tempus è Scholis ſuis, tanquam è carcere, evolaſſe. Tandem publicis ſacris initiati, quò ſe vertant miſelli, neſciunt. Hîc ad *Illuſtres* DD. ORDINES res nobis rediit, & Schola præſidium rogat.

Ego, *Præpotentes* DOMINI, quo in VOS

animo, in Remp. veſtram & Humaniores artes affectu propenderim, nullo hactenus aut argumento teſtari, aut colore depingere potui. jam à ſexennio multis officiis meritò VOBIS devinctus. Non enim ſoli ALCMARIAE operam meam navo. Vniverſa VVEST-FRISIA ſuas nobis copias & materiem ſubminiſtrat. nullaque in toto Boreali tractu eſt Civitas, quæ non ingenuum Adoleſcentem noſtræ fidei ac Diſciplinæ demandârit. Tandem igitur, cum Bonâ Avi Auſpicioque, *Potentes* DOMINI, *Illuſtri Veſtro Nomini* POEMATA mea inſcribo. Quæ cum in Friſiâ potiſſimum ſint nota, ad caput & fontem ſuum meritò nunc revertunt. Et ad illas Aras & Pulvinaria ſe advolvunt: unde ad nos & poſteros noſtros tam eximia ac ſalutaria in Remp. Literariam præcepta fluunt. Accipite hæc, quæſo, in ſinum & tutelam veſtram. Invenietis per utramque paginam clarorum Virorum diffuſas Virtutes. Statimque in oculos VOBIS incurrent Nobiles TEYLINGI, FORESTI, NIEVBVRGII, SONNEVELDII: verè Batavi hujus Cœli Aſtra Inexſtincta.

Nobiliſſimi Magnifici

DD. CONSVLES.

VOS eodem animo Auſpiciiſque traditam à Majoribus Remp. ſartam tectamque conſervatis. Et, præter armorum gloriam, quibus contra potentem Aſiæ regnatorem ſemper

in acie ſtetiſtis victores, hoc in laudes virtuteſque veſtras inprimis ducitis, Humanitate, Prudentiâ, Doctrinâ cæteras nationes antecellere. Cujus rei fidem ex faſtis & annalibus eruere, nunc ne quidem neceſſe erit. Plena in omnium oculis auribuſque exſtant veſtigia. Hîc, ſive imperia & Conſularem dignitatem faſceſque intueor; ſive illibatam Senatorii Ordinis integritatem decuſque contemplor; aut incorruptam in Iudicibus fidem ſententiamq; exploro: eſt, quòd meritò, & ex intimis præcordiis exultem. In Civibus ingenitam Humanitatem collaudo. Illorum erga inopes, terrâ mariq; profugos Liberalitatē admiror. In reos Clementiam; in afflictos Miſericordiam, Modeſtiam, Candorem, Probitatem frequenter deprædico. Hanc DEO Superiſque gratam CIVITATEM *Nobiliſsimi, Magnifici* DD. CONSVLES, in manibus tenetis. Qui de victis Hoſtibus, de ſubactâ barbarie, de majorum virtute ac trophæis ſolennem per hoſce dies triumphum inſtituiſtis. Sanè, ſplendido, inter Belgas titulo effulgetis. De externis autem loqui ſi liceat, certe, non potuiſſet Rerum Natura meliore penè loco civibus ſuis tecta ac domicilia parare. Ad Septentrionem ad Orientem ſi eas, quàm lætæ hîc ſurgunt ubique ſegetes! quàm limpida labuntur Flumina! quàm amæna rident paſcua! Ad Meridiem, aut Occidentem ſi exſpatiâre, quibus deliciis illecebriſque umbroſum illud

Peripaton te afficit! In hoc vernantis naturæ Seceſſu atque gremio Veſtrum HELICONA habetis. ubi toties divinæ mentis Idæam à Vate ac Philoſopho concipi, quis unquam miretur?

VOBIS, Nobiliſſimi, Magnifici DD. CONSVLES, Pomærii veſtri Fructus, hæc Poëmatia, meritò quoq; inſcribo. Quæ pro aliquâ parte, non nego, inter Hamadryadas iſtas, arborumq; umbracula Genius noſter produxit. *Veſtro Nomini, & Nepotibus Veſtris* ſacram hanc meſſem ſuſpendo: rurſum mei erga VOS animi atque inclinationis non obſcurum argumentum. Vos, *Nobiliſſimi, Magnifici* DOMINI, eadem, quâ cepiſtis, Pietate, candore, conſtantiâ me ſemper complectimini. Ita fiet, nunquam malè me habeat, quod in veſtro Palladio tunc temporis permanſerim, cum alibi Profeſſoriâ Dignitate titulisque majoribus Spartam meam exornare potuiſſem.

Cæterùm, Ego ex animo DEVM Opt. Max. ſanctè precor, *Illuſtres ac Præpotentes* DD. ORDINES; *Nobiliſſimi, Magnifici* DD. CONSVLES: ut VOBIS; ut Florentiſſimæ VVEST-FRISIAE; ut Illuſtri ALCMARIAE omnia Proſpera, omnia Felicia perpetuò æternumque contingant.

Ex Muſeo meo CIↃ.IↃ.CXLIV. IV. *Non. Oct. Ætatis* XXXVII.

PIE-

PIERIUS VVINSEMIUS,
Hiſtoriogr. Fr. Eloq. & Hiſtoriarum Prof.
S. P. D.
REINERO NEUHUSIO.
Cl. V.

Literas tuas Kal. Ian. *Alcmariâ datas accepi, unà cum verſibus quibuſdam, quas ſingulari naturæ facilitate effundis. Mihi jam ætas, & pangendis iſtis moroſa, non permittit hoc otii genus amplecti. Quod cum expendo, & adjunctam illi felicitatem, videor mihi omnia fortunæ, quæ ſenſibus oberrant, ludicra deſpicere. Certè quemadmodum veteres ſapientes ſummi boni æſtumationem ponebant in voluptate, non quæ pecorum ritu exercetur, ſed immortalis animi, ita nulla voluptas, nulla major tranquillitas inveniri poteſt, quàm in quâ poëta effuſo ad arbitrium carmine conquieſcit. Quod ne ipſum quidem ſine præſentiâ numinis, aut afflatu concipi Veteres prodidêre, qui reliquos artium Scriptores inter* Homines *numerabant, Poëtam Deo aſſimilavêre. Bene itaque facis, quod ſubinde, pro otii tui*

ratione (neque enim inter labores ſcriptiones carminum recenſeo) effluere tibi verſus ſinas, quos aut nuptialibus feſtis per Feſcenninos, aut exceſſibus magnorum Virorum impendis. Ita ſit, ut læta triſtibus, triumphis quoque, quos Reip. aut privata felicitas tibi ſuggerit, funera miſceas, ſubmittaſque te iſtis lætorum triſtiumque caſibus, quibus humana vita exercetur. ******. *Quodſi reviſere nos denuò placuerit, videberis mihi non felicibus pernicibuſque pennis tantùm advolaſſe, ſed è cœlo, quod dulciſſimus poëta de Deliâ ſuâ canebat, deſcendiſſe.*

Bene Vale V. Cl. Franekeræ
Cal. Maj. cIↃ. IↃ. cxLIV.

Cl. ac Spectatiſſimo Viro,

REINERO NEUHUSIO,

I. C.

Amico ſuo incomparabili.

VIR ſumme, carmen inclytæ Dotes tuæ,
Doctrina, mores integri, ſuaviſſimi,
Nec non amor, quem nil merenti detulit
Pius tuus candor, Tibique debeo,
Summum merentur, & Poëtam maximum,
Qui verſibus doctis, politis, optimis
Dignè tuis reſpondeat. Non me puta
Ad hoc paratum. Camœnæ huic non favent,
A quo fideliter ſciunt ſe non coli. Hinc,
Ne lumini quid detraham infelix tuo,
Tacere malim, quàm decorè non loqui.
Affectus interim ſilentium probro
Adſcribit. Ergò, ſi cothurno non gravi,
Loquar tamen bonâ fide, quod ſentiam,
Quodque alma Veritas mihi imperaverit.
Si quis Modeſtiâ, ſi Diligentiâ;
Si Comitate ſe probaverit Bonis:
Si Temperanter ac Piè quis vixerit;
Si quiſquam amaverit probos, & indecens
Conſortium ac technas malorum fugerit,
IS es, cui tantum, quod optimum foret,
Arriſit, Exempla magna mentis entheæ

Aetate (mirum hoc plurimis) tenerrimâ
Largus dediſti. Et hiſce, quos vivis dies,
Orator eminens, Poëta nobilis;
Conſultus æquitatis ac prudentiæ
Dexterrimus, VIR Optimus dici potes.

BERNHARDUS SCHOTANUS I C.
Ac in Lugd-Bat. Acad. Anteceſſor,
nec non p. t. Rector.

Digitized by Google

In

Clariſſimum

NEUHUSIORUM

Nomen, cum

REINERUS NEUHUSIUS

Poëmata elegantiſſima

vulgaret.

HActenus antiquis deſertis ſedibus errant,
Nec certos habitant Numina noſtra lares.
Hactenus & noſtris pulſa queruntur in oris,
Hactenus ignota ſed latuere Dea.
At pridem extorres, NEUHUSI, *haud quærimus ultra;*
Ecce, Novam veteri præpoſuere Domum.

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS.

In

In Libros Poëmatum

Cl. Viri.

REINERI NEUHUSII,

Alcmarienſis Gymnaſii Rectoris.

CVr hederam doctis poſcis, REINERE, libellis?
Non opus eſt hederâ deficiente tibi.
Ipſe tuo radias Vates fulgore. Faceſſant
Lumina, luminibus non ſatis æqua tuis.
Scandere Parnaſſum nuper mihi viſus, in ipſo
Culmine ſtas, & jam celſior ire paras.
Deficiunt apices. noſter miratur Apollo,
Talia naſcentes ſcribere poſſe Scholas.
Nam poſtquam ſapuit ſub te Rectore juventus,
Ipſa, domus Phœbi, Cirrha relicta fuit.

C. BARLÆUS.

In

In Poëmata

Cl. Viri,

REINERI NEUHUSII,

I. C.

Gymnaſiarchæ Alcmariani.

FElices numeri! quos ſacro Helicone profectos
PIERIDVM dulces obſtupuere chori;
Quod mirum eſt etiam, ante diem & matura ju-
Tempora magnorum verſibus ire pares. (ventæ
Vos non igne ſuo naſcentes Sirius uſſit,
Torpida nec primo frigore preſſit hyems.
Nec gravis Aegoceros Boreali carcere clauſit,
Quo minus eniti poſſet in aſtra labor,
Biſque diem roſeum mitemque reviſere Phœbum,
Quem radio cinctum jam meliore videt.
Alitis in morem Phariæ gens noſtra renaſci,
Et nova jam vitæ munera ferre ſuæ.

PIERIUS VVINSEMIUS.

Calli-

Calliope Perſiana

In Poëmata Iuvenilia

Cl. Viri,

D. REINERI NEVHVSII, IC.

Alcmarienſium Gymnaſiarchæ.

6. 12. Heic ego ſecurus, *. ſcalpuntur ubi intima verſu, 1. 21.
6. 65. Quicquid id eſt, ubi ſit, * ſint omnia protinus alba. 1. 111.
3. 37. Moverit ingenium * Meſſalæ lippa propago 2. 72.
4. 18. Cum capite & pedibus, * Sapiat pannucia Baucis. 4. 21.
6. 17. Et * Cynico barbam petulans nonaria vellat. 1. 133.
5. 42. Velle ſuum cuique eſt, * non ſanus juret Oreſtes; 3. 118.
3. 89. Faucibus * Anticyras melior ſorbere meracas. 4. 16.
3. 123. Hoc ridere meum. * ô quantum eſt in rebus inane! 1. 1.
1. 38. At * te nocturnis juvat impalleſcere chartis, 5. 62.
1. 115. Te * *juvenes* agitare jocis, & pollice honeſto 6. 5.
3. 23. Vdum & molle lutum * rapidæ permittere vitæ. 5. 94.
5. 63. Cultor enim *juvenum* * teneros tu ſuſcipis annos, 5. 36.
5. 15. Ore teris modico. * Petite hinc, *Juveneſque Seneſque* 5. 64.
3. 74. In locuplete penu, * quid dia poëmata narrant. 1. 31.

Applaudebam

I. ERASMIUS

Ad

Ad FRATREM Chariſſimum REINERVM NEVHVSIVM, IC. Gymnaſiarcham Alemarianum.

Ergò inter Batavos, Frater REINERE, *ſeneſces,*
Et Patria ſemper ſedibus exul ages?
Nec venit in mentem, quàm multa hîc cara relinquas
Pectora, Theſeo fœdere juncta tibi?
Sic male guſtaſti peregrino in littore loton,
Et violas ſanctum nomen Amicitiæ.
Deque Quater, Solus, junctis tibi ſanguine ſacro
FRATRIBUS, *in Batavâ gente remotus agis.*
Hoc nos qui Themidos leges, vel Dogmata Divûm
Pandimus hîc toties grande dolere jubet:
Quod non interdum vobiſcum condere ſolem;
Aut liceat veſtrâ Pallade & ore frui,
Et fraterna tuis defigere baſia Natis,
In quibus eſt vultus grandiloquentis Avi.
Hæc toties querimur, Frater REINERE. *Sed, illa*
In Cœlis aliud Dextera monſtrat iter.
Cuique ſuam à teneris Spartam quæ aſſignat & ornat,
Vt tenor immenſo conſtet in orbe ſuus.
Ergò, ſeu Batavos colimus Friſioſve Penates:
Hic DEUS *in toto conſpiciendus erit.*
Et foret impietas iſtis te avellere ſacris,
In quibus eſt animi ſartaque tecta quies.
Vive diu incolumis, FRATER, *Famamque tuere,*
Et Patrii ſemper ſis memor uſque Soli.

HENR. NEUHUSIUS
I C. & Adv. Friſiæ.

In Clariſſimi Viri,

D. REINERI NEUHUSII, I C.

Poëmata.

ACcipe, quem Friſiæ debes, Alcmaria, Vatem,
Et lege: debendi ſic juvat eſſe ream.
Friſia Neuhuſium tibi contulit: ille Minervam
Rettulit, & partum rettulit ille Iovis.
Vindice Neuhuſio veteres rediere Camœnæ,
Agnovit veterem turba novena domum.
Auſpice Neuhuſio veteres viguere Camœnæ,
Agnovitque *novam* turba novena *domum*.
Inſpice, poſt proprias aliorum, Alcmaria, dotes;
Inſpice Neuhuſium, dotibus aucta viri.
Ecce lacus ſterileſque tibi mola plurima multæ
Abſtulit in pretium fertilitatis aquas,
Ecce tibi jam terra viret, quà cannit unda;
Ecce novam Cererem jam nova Veſta parit.
Schermera fœcundas in ſe miratur ariſtas,
Nuper ubi fluctus, navita, piſcis erat.
Nuper ubi tremulum fallebat linea piſcem,
Stat ſeges in pingui luxurioſa ſolo.
Non ſatis eſt. majora loquar; majora loquenti
Ore fave: propius Neuhuſiana loquor.
Neuhuſiana loquor. Cupidis dum læta colonis
Semina cum largo fœnore reddit humus;
Dumque ſupervacuas exhauſimus undique lymphas,
Exhauſtique locum deſeruere lacus,
Bellerophonteæ quod non fugêre ſcatebræ,
Neuhuſii donum ſubvenientis erat.
Bellerophonteæ quod & increvere ſcatebræ,
Neuhuſii donum ſuppeditantis erat.
Ante Aganippeas lacuum contagio læſit,
Limoſis lacubus delituere Deæ,

Nunc

Nunc duce Neuhuſio caput exeruëre decorum,
Nunc ſua cum Clariis clarior unda fluit,
Inde lavat puro Neuhuſius ora liquore,
Plenaque Pegaſeâ pocula libat aquâ.
Inde perennantes diffundit Vatibus hauſtus,
Cunctaque victurum ſæcula fundit epos.
Almeriæ pubes, pubes generoſa, Batavûm
Candida progenies, ingenuumque genus,
Neuhuſium reverenter ama. tibi Caſtalin omnem,
Palladiaſque deas, & bona multa tulit.
At quem te memorem, NEUHUSI Magne, reductor
Vnice Palladii Caſtaliique chori?
Carmina cum facias ipſo digniſſima Phœbo,
Accedat capiti laurea, Phœbus eris.

HENRICUS BRUNO.

AD MECOENATEM.

CLaudimus hîc teneræ rivos ſpatiumque Iuventæ,
Carceribuſque ſuis miſſa Thalia fuit:
Audire impatiens juvenis rectoris habenas,
Inque iſto ingenii ferre calore jugum.
Libera Pegaſeis audax ſe immiſcuit undis,
Ut ſacram poſſet fonte levare ſitim.
Sæpe etiam celſos Idæ convellere montes,
Inque tuas auſa eſt ſcandere, Phœbe, domos:
Hactenus in tuto, nec fulminis ignibus iſta
Ivit inoffenſo per tua regna pede.
Poſthac, Mecænas, tua ſi tibi Manala cura,
Altius intendet fiſtula noſtra ſonum.
Atque aliquâ ut Famâ digni plauſuque Nepotum,
Hîc primus Famæ TERMINUS *eſto meæ.*

REINERI NEVHVSII, IC.

POEMATUM IUVENILIUM

Liber Primus.

No-

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMOND

à NIEVBVRCH,

Conſuli, Senatori & Scholarcha Aclm.

MECOENATI Suo.

M*Agne Vir*, EGMONDÆ *generoſâ ab origine* STIRPIS
Qui ſerie longâ ſtemma genuſque trahis;
Qui Batavûm toties dictas oracula genti,
Conſiliiſque Forum, Templa, Scholaſque regis;
Huc oro, ſi cura ſinat patiturque tribunal,
Reſpiciat placido lumine Muſa tua.
Et Vatum ſacris rigidas ſubmitte ſecures,
Carmina qui veſtris faſcibus aqua canunt.
ALMERIÆ *canimus proceres. Populique medulla*
Materiem nobis ingeniumque facit.
Scribimus ex vero ſaclis ENCOMIA. *Quemque*
Hic manet ex merito fama decuſque ſuum.

REINERI

REINERI NEVHVSII
I. C.

POEMATUM
IUVENILIUM
LIB. I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In Natalem Septuageſimum Secundum
Nobiliſſimi Viri,
D. IACOBI à TEYLINGEN IC.
Cos. Senat. & Scholarchæ Alcmariani.
CIↃ.IↃ.CXLI. V. *Decemb.*

DVm Batavi certant armis, & bella Tyranni
Expediunt, jurantque omnes in prælia gentes
Et nuſquam miſero ſe pandit pacis aſylum,
Annua ſolennes referunt Tibi ſacra Decembres,
Inclyte TEYLINGI. Medioque in ſanguine Martis,
Qui tantas Heroum animas ſub Tartara miſit,
Tot Regum ſubvertit opes, Tu Pallada curas,
Et vitam ſecurus agis, claræque ſenectæ
Præmia & haud uno meruiſti Laurea Phœbo.
Fortunate SENEX! ut Te, poſt multa laborum
Tædia, nunc blando rerum Fortuna paratu
Adſpicit, & variis ornant proſcenia Divûm
Muneribus! Tecum LIBERTAS aurea ſumpſit
Incrementa ſui. impatiens & ferre tyrannum,
Excuſſit ſervile jugum, melioribus addens
Auſpiciis animos, certâ & ſpe pectora firmans.
Sacraque RELLIGIO, Satanæ ſopita tenebris,
Effulſit meliore comâ. Verumque Fideſque
Deſcendit cœlo, Iovâ ſpondente ſerenum

Delubris ariſque diem, Bataviſque ſalutem.
Hos ita diverſos caſus tua reſpicit Ætas,
Aonidum Teylingi Pater. Nunc altera ſu rgunt
Sæcula, & in Batavis Divûm admiramur honores,
Æmulaque Auſoniæ Belgarum nomina gentis.
Iam longè latèque ſolo dominamur & alto,
Nec ſimplex fortuna beat. Percurrit utrumque
Nassovivs Mavors orbem, Victorque paragrat
Aſtrorum Soliſque vias. quâ Lucifer Indos
Vrit, & Eois accendit lampada terris;
Quâ Scythiam & gelidas Alpes devexit Olympus,
Parrhaſiique nitent glacialia ſidera ponti.
Nuſquam aberit Naſſoa ratis, dum rebus agendis
Stat ratio, virtuſque calet. Nam Patria ubique
Fortibus, & nunquam mens exulat inclyta Belgis.
Ad majora fati, Regum ſectamur amores,
Et vilis jam Sponſa domi eſt, jam fœdera nobis
Albion, & ſocios Thalamos promittit Ierna,
Avriaco vitâ incolumi. Sic priſtina rerum
Mutavit nunc ſcena locum, Virtuſque Batavûm
Celſior ad ſeros poſthac itura Nepotes.
Felix, magne Virûm! Si poſt tot lubrica rerum,
Et varios mundi caſus, tua duret in annos
Neſtoreos virtus animi, nullamque Senectæ
Sentiat æternùm Teylingi gloria labem.

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMOND

à Nievbvrch,

Cos. *Alcmariano & Scholarcha*

Kal. Ian. CIↃ IↃ. CXLIV.

Nos canimus læti Iani bifrontis honorem,
Et Genio jam quiſque ſuo ſacriſque litamus,
Felices nimium Batavi, rebuſque ſecundis
Extra Fortunam ac rerum faſtigia rapti,
Icariis petimus ſtulti ſublimia pennis.

Neſcia

Neſcia deliciis animorum ponere legem
Mens hominum, atque inter fallacis gaudia mundi
Alternas meminiſſe vices. GERMANIA ſola
Quod ſatis edocuit, Phrygiis æquata ruinis,
Conclamata diu. Bojorum & maſcula virtus
Cæſareis protrita Aquilis, & ad uſque remotos
Dalmatiæ fines, & plus quàm barbara Ponti
Arva relegata. Et ſpatiis contermina cœli
Majeſtas, Palatine, tua. Hæc nos cernimus omnes
Impunè, & mediis remos lentamus in undis:
Nil moniti alterius damno, affectique periclis.
Securi quid fera dies, quid portet Olympus,
Quid crinita ſuis portendant ſidera flammis.
Aut in vicino bellum civile BRITANNIS
Horrendi canat, ac dirùm crepitantibus armis
Trux ſecum Bellona ferat. Nos Sole ſub ipſo
Stertimus, ac molles in Spondâ carpimus auras.
Ignari, quæ ſancta Sion ſuſpiria ducat,
Quam triſtes agitet gemitus ſub veſpere ſero,
Et totas pulſet ſingultibus aëra noctes.
Quis ſcit, an adjiciant non iſtis noſtra ruinis
Sæcula Dî Superi, & fervens vindicta Tonantis
Evomat in Belgas rabiem; accenſuſque furore
Conturbet noſtros inviſâ clade penates.
Cum Tameſin pax alma colat, biliſque reſidat
Albionum, & placidos glutinet Concordia cives,
Fœderibus junctos iterum. Non Odera cæſis
Corporibus, fuſoque virûm jam ſanguine ſtagnet,
Et priſcam feriat Teuto cum Cæſare pacem.
Tum Rheno Moſæque Patri ſua reſtet Erynnis,
Atque alio Batavos cogat migrare colonos
In peius mutata fides. Sic ſumma poteſtas,
Quæ ſervare modum neſcit, ſub pondere iniquo
Ipſa ſibi eſt oneri, magnis atque excidit auſis.
Ancipiti ſtas, Belga, loco, quando adſpicis omnes
Te circum caſus, juſtoque examine pendis (ignes
Auſpicium ceptorum operum. Flammam inter, &
Suppoſitos cineri fallaci improvidus erras,

Non uni objectus furiæ. Miſerere Salutis
BELGARUM, miſerere Deus. Præſaga malorum,
Vndique quæ cælum involvit nunc nubibus atris,
Averte à CHRISTI populo. Promittimus ultro
Nos monitis legum faciles, & ad omne paratos
Obſequium, cultumque, Tui. Fac, magne Creator,
LIBERTAS, tanto Belgis quæ ſanguine conſtat,
Tartareos contra aſſultus, Maurûmque furores
Stet ſubnixa diu. Rurſumque in fœdera gentes
Belligeræ coëant, ac centum vincta catenis
Gradivi delubra ſiant: Paciſque ſerenæ
Per terras iterum ſe blanda oſtendat imago.

In Honorem Nuptiarum

Nobiliſſimi Viri,

D. PHILIPPI LANSCHOT,

I C. Advocati : &

Nobiliſſimæ Virginis,

RACHAELIS SOUTHOLM.

SIc meritò Themidos vobis Oracula ſordent,
Pieridum, LANSCHOTE, Decus. Conſiq; tribunal,
Et ſacrum auguſtâ metuendum voce Senatum
Diva Vacuna tenet. Quando RACHAELE ſub una
Muteſcunt Muſæ, & Cytharam ſuſpendit Apollo.
Cum tripodum vox nulla ſonat, reſponſaq; Delphis
Sacra ſilent; Dominâ litem faciente Dione.
Totus Sponſa Labor tuus eſt. Tibi facta Puella
Pulpita & in molli labrum fixiſſe Iuventâ,
Hoc Studium. Reus eſt, caſtum qui ejurat amorem:
Legitimoſque toros violans, & conſcia lecti
Numina, proſtituit divinæ conjugis uſum.
Ergò jam pridem mutata eſt Iudice toto
Orcheſtra, & Muſas triſti Venus æmula mactat
Exilio. Leges, LANSCHOTO Iudice dictat
In Thalamo RACHAELIS Amor. Succumbitur aulæ
Cypri-

Cypridos, & Latias proſcribunt Oſcula Leges.
Conduntur nunc jura Thori. Lex imperat, uni
Aſſociet ſe virgo viro. Concordia gliſcant
Fœdera: nec tædas violent adverſa jugales
Fata Deûm. Spurcique abſit dictator Amoris
Improbus: ut generoſa virûm virtuſque Parentum
Accedat Pylios, volvendis menſibus, annos.
His nuper flammis, & Amorum percitus igne
AURIACVS, totum rigidis ſuſpendit in armis
Gradivum. Tunc nulla ſonant per caſtra tumultus,
Non lethale manus ferrum, non miſſile telum
Aſperat in rabiem. Triplici miramur in Oſtro
NASSOVIDEN, ſuetum bellis armiſque coruſcis
Imbellem ſacris Hymenæi advolvier aris.
Lemniaco ſic igne Deus Genialis adurit
Pectora Terrigenûm. Nec, qui ſapit omnibus horis,
Cæco in Amore ſapit. Pariter deludimur omnes,
Protinus ut tacitos intrat Virguncula ſenſus,
Idaliuſque ſui fulmen vibravit amoris.
Sed, felix LANSCHOTE nimis! Qui triſte Tribunal,
Verboſumque Forum, & mendacis Iurgia Codri
Permutas RACHAELE piâ. Tetricique Catonis
Grande ſupercilium blandis deponis in ulnis,
Purpureoque ſinu ſponſæ. Quàm mollia fandi
Tempora concedit Vati SOVTHOLMIA virtus:
Nec ſonti Gyaros, latebroſi aut carceris antrum
Decernit Iudex. Vbi nil, quàm Gaudia læta,
Halcyonumque Dies. & tardæ Sidera noctis
Pronubus ille Puer votis præſcribit Amantum.

Nobiliſſimo Viro,

D. CORNELIO SONNEVELT. IC.

Senat. & Cos. Alcm.

Cum ipſo die natali vitæ periculum evaderet.

SIc tua, SONVELDI, fauſto Natalia nuper
Omine prælusit Titan, Clarumque dedêre

Nominis augurium de cælo Oracla, ſub ipſis
Lucinæ ſacris. Quæ lux penè una fuiſſet
Par vitæ mortiſque parens, eademque Sepulchri
Ianua, quæ vitæ blandos indulſerat hauſtus.
Auſpiciis, ô Magne Virûm, ſervate ſecundis,
In Patriæ commune bonum, Sanctæque Sionis
Præſidium. Tales longùm trux Atropos urnas
Oderit, ac centum nodis adſtringat ahenis.
Nec jus faſque ſiat Nemeſi tam clara Virorum
Nomina, & ingentes animas detrudere ad Orcum.
Sunt quos Fatali damnet Rhamnuſia letho;
Sunt, Bacchi Veneriſque greges, turpeſque Luperci,
In quos jure ſuas Minos exerceat iras.
Illis vita levis, facilè & reſecanda. Nec ullos
Hinc patitur Phœbus manes. Hîc Delphica plorant
Atria, & antiquis incumbit Roma ruinis,
Si non Pieridum Myſtis, Procerumque ſaluti
Parcitis Eumenides. Tunc nobis occidit, omnis
SOL radiis, cælumque atris immergitur umbris,
Deficiente Deo. Superi ſervate Camœnas
In Batavis. Longumque Viris & Vatibus iſtis
Conſtet Honos nomenq; ſuum, quod Iuppiter alti
Trans mundi evexit ſpatium, cœloque locavit.
Hos inter clarâ, SONVELDI, luce refulges,
Ingenio & Virtute tuâ. quâ, Solis ad inſtar
In cœlo, Tu nunc Batavâ in Tellure coruſcas.
Vive diu, VIR Magne, precor Natalibus illis,
Auſpiciis & macte tuæ Virtutis. ut Artes
Palladias, Civeſque tuos in tuta reponas (Muſæ
Otia, & ALCMARIAM repetant, TE CONSULE,
RELLIGIOQVE ſuum temerata inſtauret honorem.

In

In Obitum

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Doctiſſimi Viri,

Dn. IACOBI à TEYLINGEN, ICti.

Conſulis, Senatoris, Scholarcha Alcmariani.

Senis Venerandi,

PATRIÆ PATRIS.

CIↃ. IↃCXLIII. *prid. Kal. Sept.*

SIc meritò triſti ſordes ALCMARIA luctu,
Et vacat à curis Curia tota ſuis.
Nec fas in populi litem TRIA VERBA Senatum
Farier. Hîc altum jurgia cruda ſilent.
Iudicis has partes agit Æacus. Impiger urnam
Qui movet, & ſortes elicit inde ſuas.
Qui facit, involvat tacitum cortina tribunal,
Et Conſi ſileat Numen in æde ſacrâ.
Mutemuſque omnes TEYLINGI in funere veſtem,
Sentiat atque ſui vulnera quiſque mali.
Heu! quibus infelix animos Proſerpina curis
Concoquis, & telis pungis acerba tuis.
TEILINGI nobis mors eſt non unius Vrbis:
Hæc ſecum multas contrahit urna neces.
Hoc rurſum *Pietas* nunc Funere pulſa receſſit,
Et mox à Templis exiit alma *Fides*.
Simplicitaſque fugam celerem molitur: & ipſe
Poſthumus in terris reppetit aſtra *Pudor*:
Cum quo tot morimur Muſæ; tot nomina ſacra
Pieridum: Cives, Roſtra, Lycea, Scholæ.
Et pubes tota in lacrymis, queruloque fatiſcit
Murmure, præſidiis hactenus orba ſuis.
Sic eſt: occaſum Solis, ſive adſpicis ortum.
Nemo Fatorum ferrea jura fugit.
Omnia trux violat Lethum: Cenſumque Genuſque
Proterit: hîc nulli ſiſtere ſponte datur.

Prævia Naturæ lex eſt: ſub Tartara cogi,
Et bibere Ætnæo pocula plena mero.
Huc rapimur cuncti, cunctorumque urna movetur:
Et quicquid retro eſt, mors Erebuſque tenet.
Rara ſed Elyſios TEYLINGI fama per agros
Errat, & à Fatis nomine major ovat.
Mens ubi compedibus non irretita malorum,
Libera cœleſti paſcitur Ambroſia.
Quæ ſeſe Empyreis hinc felix inſerit aſtris,
Et coram in cælis ſidera cuncta notat.
Manè rubeſcentes Auroræ conſpicit ignes,
Vtque ſolet Phœbi ſurgere nocte ſoror.
Cernit Amiclæos, Ledëia ſidera, Fratres:
Tollat ubi gelidum Parrhaſis Vrſa caput.
Vt ſua detorquet glacialia plauſtra Bootes,
Et ſeſe Oceani mergit Orion aquis.
Omnia Cælorum ſupra TEYLINGIUS aſtra,
Aliger æterno pendat ab ore Dei.

EPITAPHIUM.

Hîc Ego, poſt vitæ Scyllam, infeſtaſque Charybdes
TEYLINGUS poſui corpus & oſſa rogis.
Deteſtorque libens, quos mundus ſpondet honores;
Nil ubi, quàm fallax faſcinat ora fides.
Et virtus dudum cum Virgine pulſa receſſit,
Ac Pietas paucos intemerata manet.
Hunc veſanus honor noctesque dieſque fatigat;
Illum ſollicito torquet in ære labor.
Sunt, quibus hoſtilis grata eſt injuria linguæ,
Et iis alterius diſſidiumque placet.
Has tempeſtates inter tutela Clientum
Fluctuat, at lites lite rependit Eris.
Me nunc cum magno delectat Numine vita,
Et malè pacati diſplicet unda fori.
Gratia, CHRISTE, Tibi: quod nunc, meliore Magiſtro,
Profiteor Divûm grande Salutis opus.

Nobliſſ.

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGM. à NIEVBVRCH,

Conſuli *& Senat. Alcm.*

SCHOLARCHÆ deſignato.

MAgne Virûm, Patriæ curas qui in pectore volvis
Jugiter, & nullâ pateris torpeſcere vitam
Segnitie, aut molles inglorius exigis annos.
Quis vivis non Ipſe Tibi, pro moribus ævi,
Quando quiſque ſuum Genus & Natalia jactat;
Sed tantùm commune juvas, melioribus orte
Auſpiciis. & grande decus poſt-ponis Avorum
Conſilio populi, tutoque in pace Quiriti.
Magne Virûm! tua dum latè Prudentia regnat,
Et virtus roburque animi ſe terminat aſtris,
Thymbræus dat ſceptra Tibi, doctamq; Minervam
Credidit, ac ſacræ Pubis moderarier Æden,
TEYLINGI poſt Fata, jubet. Sic crederis Vnus,
Qui fragili Almeriam non tantùm in Lumine pi-
Sed vis ingeniis florentem, & Pallade vivâ (ctam,
Immortale ſui nomen tranſcribere ſæclis.
Magne Virûm! nate in tutelam haud unius ævi,
Nunc etiam, tantos inter ſublimis honores,
Non dedigneris Phœbi delubra tueri,
Aonioque humeros iterum ſupponere colli.
Aſpicis, ut cladem Cannenſem paſſa juventus,
Et duplex jam Sparta vacet. Reparabile damnum
Hactenus: ac facilè rurſum coitura cicatrix,
Si Procerum favor ingenuas adſpexerit Artes.
Hîc tua, NIEUBURGI, Quem jam fecere Scholarchã
Pierides, plus docta manus ſapienſque medela
Speratur paſſim populo. Quo judice, ſpero,
Olim ſervatos Cives pax alma reviſet,
Et Muſa æternis clareſcet noſtra trophæis.

Cl. Viro,

D. CASPARI BARLÆO,

Lectis Ipſius de claſſe Hiſp. Triumphalibus.

Militat Auriacis Divinum Numen in armis,
Et Batavo Bellona ſubeſt. Suprema tenemus,
Non auſi ſperare magis. Victoria pennis
Applaudit cumulata ſuis. Maria omnia circum
Et terras Nassoa volant vexilla: nec unus
Sufficit in laudes orbis. Garamantas & Indos
Illuſtrat famâ Auriacus. Mars Belgicus ultra
Promovet Herculeas audacia cæpta columnas,
Nec parvo contenta fames. Quà nubifer Atlas,
Quà ſurgit Pindi vertex, & Pelion auras
Ingenti ſpectat cumulo, jam Belga triumphos
Enumerat. Toto fulgent Mavortia mundo
Signa, nec Europæ ſpolium ſe finibus arctat.
Felices armis Batavi! Felicia Fata
Naſſovidum, Celſuſque Pater! cui militat æther,
Cui Mars in partes, in prælia jurat Olympus.
Macte Deo! Dux Celse. uno non copia cornu,
Non ſimplex Te Fama beat. Tarteſſia nuper
Vicimus, & toties tulimus ſpolia ampla Batavi;
Sub juga miſſus Iber toties: nunc præda Philippus
Eſt iterum, nutatque Tagus. pugnamus ubique.
Victores Belgæ: proprios Victoria fines
Ignorat vimque ipſa ſtupet: nunc ultima Thule,
Iam victas dat Duna Manus. Hîc Gallia cernit
Exuvias, Hiſpane, tuas. Hîc Albion audit.
Exanimes Maurorum animas ad Tartara cogi,
Tot Tameſin ſorbere rates. Sic Trompius acer
Cantabricas plectit furias, Patriæque Tyranno
Inferias & juſta parat. Mors occupat undas,
Fit rogus ipſa Tethys. Pontus commune ſepulchrũ;
Fataleſque aperit Nereûs ſub fluctibus urnas,
Ac tellus jam morte caret. ſub Veſpere ſero
Heynius auratum rurſus de Colchide vellus
Abſtu-

Abſtulit à Morinis. Terris dominantur & alto
Naſſovius Sceptique Patres: quà vellera Seres
Purpureis intingit aquis; quà ſole remoto
Lucifer Eois radios depromit ab undis.
Hoc felix, FREDERICE, nimis, quod gloria tantæ
Virtutis dignum cælo ſortita Poëtam.
Majeſtate tuâ quot circum tempora lauros,
Quot cæli variâ memoras ſub parte labores,
CELSE Ducum, rutilis tot facta illuſtria ſtellis
Inſeruit BARLÆA chelys: quâ nomina magnis
AURIACIS majora dedit. Quo digna renaſci
Alite Grajugenûm fama & Romana vetuſtas,
Quo poſſit non Belga mori.契Supereſte Batavis,
Et regnate diu PRINCEPS, & Magne POETA.

In Nuptias

Nobiliſſimi & Conſultiſſimi Viri,

D. IOACHIM ab ANDREE. IC. Equitis.

Senatorii Ordinis per Friſiam Præſidis.

Et Nobiliſſimæ Matronæ,

SOPHIÆ de VERVVOV.

DVm Patriam infeſtat FRISORUM gurgite vaſto
Nereidum violenta manus: Boreaſque Notuſq;
Aeolides, Hædique truces, & ſævus Orion
In Belgas nunc bella parant. Dum Pontus & Æther,
Infenſi ob culpas hominum, ſuprema minantur
Infelix Europa tibi, nova monſtraque Pyrrhæ.
Iamque Ceres vaſtata undis, ſpes totius anni,
Aggeribus latè ruptis, ac triſte Colonos,
Sylvanumque Patrem, ſata læta, boumque labores
Dî violant. Quando obſcurâ de nocte ſepulchri
Prorumpunt Manes, horrenteſque evocat umbras
Indomiti Rector Pelagi, mirabile viſu!
Tu, priſcæ Heroum Decus indelebile Gentis,
ANDREE, in Cyprii deſcendis prælia Martis:

Et bellum Idaliæ Matri, feſtoque Hymenæo
Indicis, ſed jure pio. Vir Strenuus inſtas,
Ac dudum reſides ignes, deſuetaque tractas
Arma Thori: albeſcenſq; caput, Catonaq; grandem
Exuis, ac veteres iterum crudeſcere pugnas
Inſtituis. Quas non potis eſt exſtinguere flammas
Oceanus, non triſtis Hyas, non fœta malorum
Illuvies, vaſtumque ſuis ululatibus Æquor.
Vis & Amor Sophiæ tumidos contemnere fluctus
Fecerat; ut ſudum mediis convallibus Idæ
Ver ageret, Lætumque daret bene conſcius Ales
Augurium captorum operum. Sic gnara futuri
Sophia, nequicquam cœli perculſa ruinis,
Pro tempeſtatum ſignis, pro fulmine diro,
Diluvioque tuo, Nereus, egurgitat imis
Pectoribus dulci rorantia flumina melle.
Verbaque, quæ rigidas doceant adamare Sabinas,
Et poſſint Pylio paulatim inflectere ſenſum,
Vt tantum non velle queat. Tu, Magne Senator,
Curia cui Prima Frisorum aſſurgit, & omnis
Aſtrææ ſe credit Honos. Cui cuncta Supellex
Aonidum, veteriſque patent Myſteria Romæ,
Hîc etiam blando victus ſuccumbis Amori.
Conjugiique jugum, Iudex, parteſque Clientum,
Dum Litem facis eſſe tuam, non Ipſe recuſas,
Magne Virûm! Sophiæ titulos ſubſternis Eque-
Ac rurſum ſecurus amas, poſt prima Diones(stres
Fœdera: quæ quondam Lacheſis fœdârat iniquo
Funere. Nassovio coram Procerumq; Coronâ
Altera regna paras, Natiſque Ætate Senectâ
Exemplò vis eſſe Pater. Sic Friſica ſurgent
Nomina & advorſum Furias crudelis Erynnis
Supplementa dabunt numeroſâ in Stirpe Nepotes.

Clariſſ.

Clariſs. Viro,

D. PIERIO VVINSEMIO, IC.

Hiſtoriographo Friſiæ, & Eloq. Profeſſori,

Cum de cauſis corrupta Eloquentia perorâſſet.

NOn ſemper laus, Roma, tua eſt ſic eſſe diſertum,
Doctaque ſuaviloquis nectere verba modis.
Nec ſolis Grajis reſerat ſua ſcrinia Phæbus,
Mæonioque uni debitus omnis honos.
FRISIA nunc etiam veteres tentare Quirites
Audet, & Eloquiis eſſe ſuperba ſuis.
Majeſtas hæc tota tua eſt, ô maxime Vatum
VVINSEMI: Patriæ gloria prima tuæ.
Lactea Te multùm ditavit copia fandi,
Et toties Suadæ grande tonantis honor.
Sive per Heroum libeat decurrere laudes,
Fortiaque in tabulas facta referre Ducum;
Seu tragico exceſſus regum decorare cothurno,
Aptaque Naſſoviis dicere verba rogis;
Vel Feſcenninum thalamis inducere carmen,
Sideraque in verſus cuncta vocare tuos;
Hæc tibi materies. Iſtis Facundia Campis
Per varios numeros expatiata ruit.
Vt ſcena eſt rerum, talem Tu ſumis amictum,
Et potes in cunctos Proteus ire modos.
Iam ſe Maronis gravitas in carmine promit,
Iam lepidi verſas molle Naſonis opus.
Aut Tullî attonitos imitatur pagina nervos;
Aut cauſam in roſtris voce diſertus agis.
Nunc Latias artes nullâ caligine ſeptas
Eruis è tenebris barbarieque ſuâ.
Ac velut ingenti quondam Piſiſtratus ore:
Sic tua per Phriſiæ Suada theatra ſonat.
Corrupti Eloquii cauſas depingis Apelles.
Et medicam contra porrigis ipſe manum,
Oſtendiſque ſimul quàm tali occurrere morbo,
Poſteritaſque ſibi tuta cavere queat.

Hoc eſt grande Tui pretium, clariſſime Vates,
Communiſque fori calculus iſta probat.

In Natalem Septuageſimum tertium
Nobiliſſimi Viri,
D. IACOBI à TEYLINGEN. IC.
Cos. Senat. & Scholarchæ Alcm.
cIↃ IↃCXLII. V. *Decemb.*

POſt Septem denos, & ternos incipis annos
Ordiri geniale facrum, Clariſſime Vates
TEYLINGI. Redeuntq; iterum nova gaudia Phœbo
Auſpiciis, Lucina, tuis: quæ pectora dulci
Pertentas motu, plenumque furore poëtam
Inſanire facis, blandumque exſculpere carmen.
TEYLINGI, nobis das otia, cura laborque
Vt paullùm Aonius ſuſpenſâ Pallade ceſſet;
Ac cum Thymbræo brumales dividat umbras
NEUHUSIUS, præter ſolitumque ſerenius Ille
Os vultumq; gerat. Quem quamvis blandula Mater
In partem ærumnaſque trahat, ſævique dolores
Iam gravidi obtundunt uteri, tamen ille Dionem,
Aſcaniique omnem ſecludit pectore curam.
Soli TEYLINGO Natalia feſta precatus,
Tithonique dies, & ſerâ in ſtirpe Nepotes.
Vtque ſuos victrix repetat Germania Faſces,
Excutiente Deo captivis vincula collis,
Sævaque tempeſtas, quam nunc protrudit Iërne,
Albionumque furor, flammis civilibus ardens,
Subſidat rurſum, coëantque in fœdera Gentes.

Nobiliſſimo Viro,
D. THOMÆ ab EGMOND, à NIEVBVRCH.
Præſidi VVeſt-Friſiæ, &
Cos. *Alcmariano*. Kal. Ian. cIↃ. IↃ. CXL.

ERgò novos reparat Lampas Titania Soles,
Et Iani lux ſacra redit, Bis ſena per aſtra
Circuit

Circuit Annus iter longum, ſtimulatque jugales
Phæbus equos, fervetque rotis flagrantibus æther.
Sic nos ad metam ſubitò maneſque chaoſque
Crudelis Libitina rapit; ſic terminus ævi
Qui properat, cunctos fatalis præmonet horæ.
Adſunt, Mecænas, ſolatia: Corpora tantum
Debemus magnæ Matri. Sed ſpiritus aſtra
Pura tenet, nullumque animus, pars optima noſtri
Sentiet exilium. Cælo ſecura triumphat
Mens hominum, nullis obnoxia legibus Orci.
O quàm tunc ſupra nebulas & nubila mundi
Ambroſiâ ſe paſcet homo! quàm blanda voluptas
Afficiet lætas animas: ô quanta bonorum
Copia; quàm noſtris obludet ſenſibus illic
Majeſtas auguſta Dei! tunc ſacra Tonantis
Templa, Sionæas arces, cunabula Chriſti,
Sed non quas olim dederant præſepia cunas,
Cernam oculis tangamq;manu:nondum obvia nobis
Se pandit Cortina poli. Mortale tenemus
Hoſpitium, & mundi fragilem ſectamur amorem
In tenebris; ſtat prona ſuis fiducia terris.
Magne Deus, vitæ Pietas veſtigia ſignet,
Dum vitâ ſupereſſe velis, carniſque teneri
In vinclis. Tu da, nobis quod proroget ævi
Infelix Clotho, templis accedat Olympi,
Ac cæli nos parte loces, quando Æacus urnam
Extremus movet, & noſtrum fatalis Erynnis
Educet nomen, nigrumque ad Tartara coget.
Hæc Iani ſuſpendo ſacris: Tu, Magne Virorum,
Accipe Pieridum ſolennia vota Sororum.

Nobiliſſimo Viro,

D. ADAMO FORESTO, Med. Cl.

Cos. Alcmariano. Kal. Ian. CIƆ. IƆ. CXL.

NVnc ſua defeſſus redit in Natalia Titan,
MECOENAS, Solemque dies melioribus urget
Auſpiciis longoſque fugat lux ſacra Decembres.

Omnia

Omnia cum Phæbo rotat orbis. Sidera mentes
Humanæ ſequimur, cælumque imitamur agendo
Mobilitate ſuâ. Tentat majora fovetque
Ingenium virtuſque virûm. Nova naſcitur Anni
Effigies cum Sole novo, moleſque laborum
Et Fame nunc creſcit honos. Mortalia tantùm
Nos patimur, vitæque levis prætervolat umbra,
Et tacito properat ſenium pede, vadimus omnes
In mortem, coguntque truces oblivia noctes.
Heu miſeris! Quorum ingeniū cum corpore lethum
Occupat, & tumulo mentes Proſerpina claudit:
Quos non cura ſui tangit, nec cura ſalutis
Iſacidum, Fatoque pari mors deſtinat Orco.
O utinam! Minos non ſceptra ligonibus æquet,
Non rapiat cum pube ſenes, cum Pallade vulgus.
Tunc, FORESTE, Tibi foret inter gloria primos,
Et robur vitæ juvenilis. Parcite Parcæ
Muſarum Patriæque Patri. procul eſto Batavis
Triſte chaos, longumque ſiat reverentia Muſis.
Sed, fruſtra Fatis legem bilemque movemus
Pierides. vocat ingenti clamore ſepulchrum,
Et Locus Elyſius; nullo diſcrimine gaudet
Æacus, in cunctos rabiem furiaſque minatur.
Ergò, da DEVS alme frui Paradyſidos hortis,
Cælituumque choris. da, quos indulſeris annos,
Et quicquid ſupereſt ævi brevis, illud Olympo
Accedat, CHRISTOQUE libens Patriæque locemus.

Nobiliſſimo Viro,

D. IACOBO à TEYLINGEN. IC.

Cos. & Scholarch. Alcm. Kal. Ian. cIↄ Iↄ. CXLI.

MAgne Vir, Aſtrææ lumen venerabile Divæ,
Synceráque mihi Myſta probate fide:
Accipe, quæ memori mitto tibi carmina mente,
Carmina Pieridum nobile mentis opus.
Accipe, nec torvâ digneris fronte Poëtam,
Officii teſtes qui jubet eſſe Deas.

Verba

Verba & vota fero, ſolennia dona Camœnis,
Non aliud nobis divite fonte fluit.
Vive diu vitaque vale, Vir clare Virorum,
Contingatque tibi læta ſenecta, precor,
Corporis officium mens docta & ſana gubernet,
Sit prompta ingenio Suada Themiſque ſuo.
Clade domus careat, careant & labe propinqui;
Præſidiis creſcat publica cauſa tuis,
Curia longævum te Iudice tuta fruatur,
Annumeret Pylii ſæcula longa Deus.
Soſpite Te, Batavos pax & tranquilla reviſant
Otia, præcipiti turbine Roma cadat.
Roma cadat,ſubitoque ruat Papalis Erynnis,
Erigat in miſerâ templa Sione Deus.
Hæc ſunt, Mecænas Iani quæ parturit aſtrum,
Tempore ſolenni quæ Tibi Fata precor.
Audiat omnipotens Muſas & vota Iuventæ,
Magne Vir, & felix hinc novus Annus eat.

Ad Illuſtrum Virum,

D. IACOBVM CATZ, Equitem &c.

Annum Climactericum egreſſum.

PLaudite Pierides: nondum mors atra Poëtam
Abſtulit; aut Lauri gloria ſpreta jacet.
Poſt ternos redeunt ſoles bis ſenaque Luſtra
Auſpicio VATI candidiore dies.
Et meliore comâ jam Phæbum cinxit Apollo,
Gaudia Theſpiadum læta ciente choro.
CATZIADÆ terris proſcripſit Iuppiter urnas,
Parcarum & duras alligat ille manus.
Nec vult Naſſoviam triſti cumularier aulam
Funere. Mors tantum jam ſtupet ipſa Virum;
Quo ſemel ad manes Lethæaque Flumina rapto
Diffluat à lacrimis Fæmina Virque ſuis.
Et minus in rerum ſapiat ſolertia caſus,
Orba patrociniis Suada Themiſque ſuis.

Quo

Quo Batavus priſcos nunc æquat jure Quirites;
Quo domita eſt crudi barbarieſque Fori.
Cujus in Eloquiis, Tripodum ceu ſacra, vetuſtas
Plurima divino Flamine digna leget:
Quo cæcas animi poterit diſpellere nubes,
Ingenii & vitiis ſubdere ſæpè facem.
Felix, ô nimiùm felix Parnaſſia pubes,
Quæ toties Tanti penſilis ore Viri,
Quique illo auguſtos pangis ſub Vate triumphos;
Aut coram ſacros combibis aure ſonos,
Illa eſt quæ meritò diſtinguat Purpura Vatem,
Quòd juxta AURIACUM ſit tibi, Muſa, locus,
Hîc geminos Phæbo dabitur proſpectus in orbes,
Vnde ſalutifero concinet ore melos.
Hîc nunquam tabulis tua nomina ſerior ætas
Eximet. Hîc, CATZI, laudis arena tuæ eſt.
Gratulor. Et, curas qui nunc poſt terga relinquis,
Inceptaſque novum currere Solis iter;
Perge bonis Avibus: ſacriſque juvantibus aſtris
Accede ad Pylii ſæcula longa ſenis.

cIↃ. IↃ. CXLI.

Ampliſſimo Viro,

D. IACOBO CORENIO. IC.

Senat. Scab. & Scholarchæ Alcm.

pro *Auſpicio Anni* cIↃ. IↃCXLIV.

Ecce recurrerunt ſua nunc Natalia Iano,
CORENI, facimuſque Deo ſolennia vota
Pro Patriâ, pro Lege, & Libertate Batavûm.
Vnanimes ferimurque ſacri ad Delubra Tonantis,
Vt, cum Sole novo, teſtantes gaudia plauſu,
Pro tanta bonitate poli, cadat hoſtia pinguis,
CHRISTE Tibi:nomenq;tuum celebremus ovantes,
Vt vox per totam fiat exaudita Sionem.
Si repetam primâ benefacta ab origine mundi,
Queis nos; immeritos toties, ſine fine, beaſti,

Lingua

Lingua ſtupore riget; ſuffundimus ora pudore;
Vixque auſim ſtellata oculis convexa tueri.
Protinus, ut Stygio ſum factus præda Draconi
Et me culpa reum tenebris damnavit Abyſſi,
In Te, magne Deus, vitæ mea crimina clemens
Suſcipis, & centum validis poſt terga catenis,
Inferni adſtringis Furias. Sic morte piandus
Perpetuâ, in CHRISTO rurſum naſcente renaſcor.
Et plus quàm clypeo ſeptemplice tectus Achillis,
Manibus Ætnæis, famuliſque obluctor Averni.
Adde tot à cælo manantes, Numine dextro,
Divitias doteſque animi: Queîs, Fluminis inſtar,
Irrigat Iſacidum cæleſtis gratia turbam.
Iure tuum Numen modulis & carmine ſacro
Proſequimur; cunctique tuis advolvimur aris,
CHRISTE potens. Cui ſacra facit nunc mundus u-
Nec tantùm Batavi in laudes obſtringimur uniſ(terq;
Hoc IANI Te luce precor, ſanctiſſime Ieſu,
Vt nos nulla dies benefacti operumque tuorum
Arguat immemores. Sed quos indulſeris annos
In putidâ hoc carne & mundi compage, Saluti
Quiſque ſuæ, ac Divûm ſemper tribuamus Honori.

Honori Nuptiarum

Nobiliſſimi & Conſultiſſimi Viri,

D. IOANNIS à COETENBVRCH Advoc. &

Ingenuæ lectiſſimaque Virginis,

CORNELIÆ BUYSSECOOLS.

POſt vaſti Oceanum Iuris Legumque procellas,
Et malè pacati murmura rauca fori,
Cypridos in blando tua navigat æquore puppis,
Atque HELICON facta eſt ſola PUELLA tuus.
Iudice, qui nuper, multùm mutatus ab illo,
Totus Acidalii Numinis igne cales.
Pro Paulis Deciiſque artem nunc diſcis amandi,
Vt Veneris miles ſtrenuus arma quatis.

Neve

Neve probas quicquam veterum conſulta Quiritum
Quæ ſcripſit Latio Romulus ipſe Pater.
Cuncta Dionææ ſordent præ Virginis arrhâ
Quâque ſolet juvenem dote beata Venus.
Ite procul Muſæ. Batavis nova conditur Alba,
Quæ mox Iulos Aſcanioſque dabit.
Et ſeri ut maneant generoſâ in Stirpe Nepotes,
Aggredimur pulchrum poſteritatis opus,
Illa Tori Virtus, ne fabrica concidat orbis;
Aut redeat terris triſte & inane chaos, (Heros
Hanc mundi haud paſſus ſtragem COETEBURGIUS
Lucinam in partes poſcit opemque ſuam.
Et Thalamo ſolers incumbit, & urget amantem;
Sarciat ut tanti damna metumque mali.
Mox CORNELIADEM mediis complexus in ulnis
Tu Conjux, inquit, Tu mihi Mater eris:
Et pulchrâ facies olim me prole Parentem,
Cum peraget curſus Cynthia nona ſuos.
Fac, ô magne Deus, SPONSIS ſua gaudia vortant
In Dextrum; & longâ Pace fruatur amor.
Publica Conjugium Res eſt. His artibus omnes
Vivimus, & Mundo ſumma perennis ineſt.

Nobiliſſimo Viro,

D. IACOBO à TEYLINGEN. IC. & Cos. Alcm.

Vt Libros ſuos Poëmatum edat,

Kal. Ian. cIↄ Iↄ CXLII.

INclyte TEYLINGI, Flos illibate Batavûm,
Et Famæ & Generis nobilitate potens:
Fauſta ſerenato, precor ut Tibi gaudia cælo,
Soſpite Te nobis, proximus annus agat:
Et ſolito melius poſſis curare Minervam,
Præſidiis longùm quæ ſtetit aucta tuis.
Neuhuſiumque tuis ſæpe oblectare Camœnis,
Seu Lyricum nobis promis & edis opus;
Sive per Heroum graderis præconia plectro;
Aut faciles Elegos Syrmaque grande rotas:

Fac,

Fac, ô Magne Virûm, fac ut nox alta tenebris
Sopiat ingenii ne monumenta tui,
Nec lateant ſemper lucem perrumpere digna,
Pieridum toties quæ placuere choris.
Iam canis Iſacidum res pulchro carmine geſtas,
Et populum Vates Myſtica ſacra doces.
Iam numeris fortes Batavos inſcribis & arma,
Et dignum Auriacâ concinis aure melos.
Scilicet haud unâ Muſas tibi lege revincis,
Cujus ad innumeros vena diſerta modos.
Hactenus ingenii proles ſi incude tenetur,
Luce novâ lucem viderit illa novam.
Et poſt bis ſeptem recreet fætura Parentem
Luſtra, Caballini tincta lepôre vadi.
Vt nos ad IANI redeuntes limina ſacri
Gratemur Muſis & Tibi fauſta tuis.

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGM. à NIEVBVRCH.

Cos. & Senat. Alcm. Præſidi VVeſtfr. prid.

Kal. Ian. 1642.

ILle dies lætis, Mecænas, emicat aſtris,
Fundere quo ſolita eſt noſtra Camæna preces:
Et coram Superis animo depromere grates,
Annuaque ad feſtos thura cremare focos.
Ille dies cœlo nobis deſcendit ab alto,
Qui revehit mundo grande ſalutis opus.
Quo ſe Virgineos Chriſtus transfudit in artus,
Quoque Deus, ſumpto ſanguine, natus Homo eſt.
Hos pridem thalamos & magni ſacra Tonantis
Iſacidum cecinit relligioſa cohors.
Quorum pars etiam fuimus nos magna Sacrorum,
Qui violas cunis ſparſimus atque roſas;
Et quoque ſolennem CHRISTO devovimus Aram,
Nequicquam noſtrâ tunc pietate rudes.
Felix! natales illos qui pectore ſervat,
Quique Dei cunas ſemper amore fovet.

Et

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Et non purpureæ bullam ſublatus ad aulæ
Sectatur lubricæ ſortis & orbis opes.
Illi tranquillos liceat producere ſomnos,
Cum ſtruit incautas trux Satan inſidias.
Illi fas tacitæ mentis ſe involvere Aſylo,
Nec crebris animum ſollicitare malis.
Illum non triſtes Furiæ de nocte flagellant,
Non ſcelerum aſſiduus diſcruciatve metûs.
Omnia ſunt illi parva incunabula CHRISTI:
Hoc uno felix dives & eſſe queat.
Cætera Fortunæ rotat inconſtantia conſtans:
In Chriſto fallax non habet aura locum.
Qui Domino fidit, ſpemque illo ponit in uno,
Non illi invidies ulla nocere poteſt;
Quamvis Tartareas Phlegethon conſurgat ad artes,
Et Stygius contrà Dæmonis aſtus agat.
Mergite me Procerum decumanis fluctibus iræ,
Et fiam indicto jure modoque reus:
Fert cœlo Patronus opem, charumque Clientem
Complexu Patrio præſidioque teget.
Interea ſine nube dies Aurora reducat,
Et noſtra infeſto crimine vita vacet.
Vt, qui felici Auſpicio nunc naſcitur Annus,
Eventu nobis proſperiore fluat:
Et nos in CHRISTO variis Virtutibus aucti,
Diſcamus, MUNDUS quod ſit inane NIHIL.

Ad Nobiliſſimum Virum,

D. IAC. à TEYLINGEN. IC.

Cos. Senat & Scholarch. Alcm.

Cum Pſalmos Davidis Lyrico Carmine vertiſſet.

TEmpore quo vacuos ageres ſine faſcibus annos,
Nec Conſul dictata dares, & publica rerum
Majeſtas tutore ſuo clavoque careret,
Ieſſæi numeros, & plectra Davidica curis
Involvis, Vir Magne, tuis. Cum Curia diſcors

In

In lites odiumque ardent, Tu Roſtra Forumque
Et partes, quas in ſapiens vulguſque ruebat
Tranquillus cauteque fugis; melioribus addens
Auſpiciis animum. Cum magno Interprete Divûm
Sacra Sionæo modulatus carmina plectro,
Fata Deumque canis. Sic Te Pietaſque Fideſque
Authore in majus ſurgunt. Te, Numine læſo,
Vapulat Impietas; Te nunc Cenſore tremiſcit
Belgarum mundique nefas. Tu priſca ſalutis
In lucem, TEYLINGI, refers Myſteria Vates,
Et civem parere doces, ac pace ſerenas.
Poſteritas mirare Virum: Quo Eccleſia CHRISTI
Splendorem ſortita novum, ſuper æthera fulget
Clarior, & rutilis ALCMARIA ſurgit in aſtris.

Ampliſſimo Viro,

D. PETRO PAEV, Rei Numm. Præfecto.

Cum Alcm. Cos. deſig. Kal. Ian. cIↄ.Iↄ.cxl.

Plaudimus Aonides Nymphæ, Doctiſſime PAWI
Curia Conſiliis noſtra quòd aucta tuis:
Et jam Naſſovio meruit ſub Principe Virtus,
Civili ut lauro condecorandus eras.
Debetur paucis hæc tecum gloria, Phœbe,
Nec fas ignavâ ſceptra tenere manu.
Pectora delegit Princeps ſolertia vatum;
In quos Belgarum grande reclinet onus.
Mens humilis non nata Togæ, rebuſque gerendis:
Pieridum Myſtas poſtulat illud Ebur.
Quorum præſidiis, cum nubilus ingruit horror,
Publica res nullo turbine fracta ruit.
Relligio antiquum decus incorrupta reſervat,
Et ſine labe Fides templa forumque tenet.
AURIACO ſic cura Tui, Patriæque ſalutis
Pulchra ſtetit, votis adſtipulante Deo.
Nec Vatum mens læva fuit de Faſcibus iſtis;
Cum præſaga boni ſidera Phœbus amet.

Sub

Sub Iani auſpiciis hos exordiris honores,
Et feſto gaudent annua Feſta tuo,
Soſpitet hæc, DEUS, AURIACI ſub Numinis umbrâ,
Almeriuſque tuo Nomine creſcat honor.
Et qui nunc Lato diſtinguis pectora Clavo,
Neſtoreos vivas Halcyonumque dies.
Conſule Te, nobis Auguſti ſæcla revertant,
Et ſpes ſit, Muſas naſcier orbe novo.

Clariſſimo Viro,

D. ADRIANO SNELLIO. Med. D.

Oratori Theologo & Scholarchæ.

Kal. Ian. clↄ.Iↄ. CXLII.

GRande decus Divûm, SNELLI, doctæq; Minervæ
Splendida fax; Animæ portio prima meæ:
Auſpicio Iani ſolennem mittimus arrham,
Candidus ut nobis proximus Annus eat.
Non aliter fas eſt mundi natalis honorem
Ingredier vati Pieridumque choro.
Claudimus antiquum, & poſt terga relinquimus annum,
Invehiturque novis Lucifer albus equis.
Iamque renaſcentur redivivo tempora Phœbo,
Sideribus poli blanda juventa redit.
At nos ſubſequimur ſpatio breviore Tonantem,
Nec venit hæc iterum quæ ſemel hora fugit.
Vita homini brevis eſt, ſerie cumulata dolorum,
Vndique lethiferis vita referta malis.
Arguit, heu! miſeros primævi injuria lapſus;
Hîc ſentit labem quiſque malumque ſuam.
Nec fas effugere eſt Hederæ cultoribus umbras,
Magnorum aut ulli flectere Fata Deûm.
Lex omnes nos una manet: poſt tempora lucis
Reddamus tenebris corpora fracta ſuis.
Illò Mæonides, vitæ cum ſtamina Clotho
Rumperet, ingenio ceſſit, & arte ſuâ.
Et Tullus dives potuit nil Fata morari,
Cum ferus inferret Cerberus ore necem.

Illò tergeminos proſcripſit Parca Quirites,
Tot Iuvenum fortes egregiaſque manus.
Nec domuit rigidum tot bellis Hannibal Orcum,
Nec ſpolium Macedo de Styge grande tulit.
Illò migravit, qui terram & monſtra ſubegit,
Infelix trifidæ fabula Tiſiphones.
Huc quoque Neritius Fato tendebat Vlyſſes,
Et Priami mæſto funere rapta domus.
Scilicet in cunctos furit irrevocabile Lethum,
Et Lacheſis nemo ſpicula dura fugit.
Semper hiat, gelidaſque movet trux Æacus urnas,
Et quicquid retro eſt, Styx Erebuſque tenet.
Poſt tergum ſequitur tacito Plutonia greſſu,
Telaque in incautos oblita felle jacit.
In tuto nihil eſt nobis, dum veſcimur aurâ:
Iugiter inſidias mors parat atra ſuas.
Hunc rapit in primo vernantem pubis honore;
Illum rugoſâ fronte manuque ſenem.
Sive tuo Eloquio Cæli myſteria pandas,
Cum Suada ingentem perſonat ore Deum;
Sive meas verſem ſacro moderamine Muſas,
Et ſtudiis operer, docta Minerva, tuis:
It juxta comes Invidies, ac clara laceſſit
Nomina Tartareis eruta Parca vadis.
Hæc ſolùm noſtri ſuperant ſolatia caſus,
Quod ſit & in terris vita probata Deo.
Et nihil interius ſcelerum nos arguat illo
Iudice, quod triſtes incutiatque metus.
Non mors ſic nobis morti eſt. Nos gloria cæli
Cominus expectat contuituſque Dei.
Nec refert, Nemeſis quod falcem & cruda ſubimus
Imperia: Iſacidum non capit urna gregem.
Protinus è terris animam tollemus in aſtra,
Cælicolis coram pars ubi magna ſumus.
Fruſtra igitur nobis celeri pede labitur Annus,
Paulatim & minuit corpora Tempus edax.
Intrepidi Fatorum umbras & regna tuemur:
Mors Homini æternæ Ianua Lucis erit.

Hoc ſacer Ianus, faxit, Doctiſſime Snelli,
Vt mens in ſano corpore ſana ſiat:
Et nos ſic longùm vitæ ſtatione fruamur,
Ritè ut diſcamus Vivere, ritè Mori.

In Cunas Filioli
Reverendi & Clariſſimi Viri,
D. IOANNIS KNYFFII, Eccl. Alcm. Miniſtri.
Nati ad Natalitia Chriſtiana Salutis.

DVm cœli Cunas, Christi & Præſepe celebras,
Iſacidumque canis grande Salutis opus:
Et Populo enarras Divûm Myſteria Vates,
Eloquioque potens plenus & ore Dei;
Naſcitur ad Iani ſacrum & Cunabula Iesu,
Non ſine propitio ſidere, Filiolus.
Ingenio Proles magno par digna Parente,
Quæ non Auſpiciis unius orta Dei.
In Christo æternæ lucis ſortitur honorem;
A Iano vitæ computat orſa ſuæ.
Sic Lucina Tibi non uno proſpera Fato;
Sic venit ex omni parte beatus amor.
Salve nate Puer, ſalve felicibus orte
Auſpiciis, claræ digna propago Domus.
Digna Sionæas olim quæ protegat arces,
Quæ Domini paſcat ſacra per arva gregem.
Inque ſui referens dotes exempla Parentis
Non rudis Eloquii prædicet ore Deum.
Sic nunquam Almeriâ morietur Knyffius urbe,
Deque novo ſemper germine ſurget honor.
Semper in illuſtri vivet poſt funera laude,
Et poterit nullo tempore fama mori.
Alitis hoc fauſti monuit prænuncia Vatem,
Et præſaga dedit ſidere ſigna polus.
Ac placuit Phœbo natales jungere ſacros.
Knyffides ut Thalami pignore lætus ovat;
Et de Virgineo prognatum ſanguine Iesum
Edocet, ac magni diſſerit acta Dei,

Ampliſſ.

Ampliſſimo Conſultiſſimoque Viro,

D. CLEMENTI BONO, IC. Advoc. Cl.

ACcipe Pieridum quæ donat opuſcula Vates,
Iamque aliquâ nobis parte favere velis.
Bile caret, nullo nec turget Epiſtola felle;
Non eſt cur placeat littera noſtra minus.
Si libertatem, ſi publica commoda laudem,
Si precer, ut conſtet Belgica firma diu;
Et contra Mauros ſartos tectoſque Batavos
Aſſerimus, nullus non quoque civis agit.
Odimus Hiſpanos, inviſaque regna Philippi,
Libera quo nemo ſub Duce ſceptra gerit.
Concordes animos ſed cætera turba ligamus:
Ara Deum ſupplex illa, vel illa probat.
Quiſque ſuum vero colimus pro Numine Numen,
Metimur cuncti pro ratione Deum:
Quamvis una via eſt, cæli quæ terminat arces,
Et non ad Superos ſemita lata patet.
Diſcite juſtitiam mortales, diſcite vitam
Vni diverſam ſubdere ritè Deo.
Eſt prece, non pretio, quâ poſſis fidere CHRISTO,
Hic opus: à meritis gratia nulla tuis.
At non fas nobis operas damnare fideles;
Gratia ſed Chriſti, non opus illud agit.
Cur melius poſthac ſtatuas de Pallade noſtrâ:
Sis CLEMENS nobis, & BONUS eſto Bonis.
Hoc precor, ut cunctos ſervet fiducia CHRISTI,
Et nos voſque ſuo ſanguine purget, Amen.

In Natalem Nobiliſſ. Viri,

D. IACOBI à TEYLINGEN, IC.

Cos. & Scholarch. Alcm.

Cum vitæ ſuæ annum, LXXI. ingrederetur, v. Dec.

OPtime TEYLINGI, Batavæ Virtutis Ocelle:
Cui Patriæ debet nomina multa Salus.

Hic tibi Natalis ter fauſto ſidere vortat,
Septem poſt denos qui tibi primus adeſt.
Fauſtus eat felixque novus qui naſcitur Annus,
O Patriæ clarum ſidus honoſque Togæ.
Publica cura tuis humeris ſecura quieſcit,
Curia conſiliis ſtatque caditque tuis.
Vnius ad triſtes FORESTI horreſcimus urnas,
Qui tam crebra ſuo funere damna dedit.
Hæc ſi luxatis defecerit Anchora rebus,
Heu! quàm nos dubii ventilat unda maris.
Induat atratam mærens Alcmaria veſtem,
Et lacrymas cæli flebilis addet Hyas.
Dii talem noſtris Muſis avertite cladem,
Et facite inveniat, ne nova pæna locum.
Fauſtus eat redeatque tuus Natalis Olympo,
Mecænas, luſtris luſtra tot adde, precor.

aliud.

Qui tibi ſub gelido natalis naſcitur anno,
Hic Patriæ longùm ver geniale fuit:
Integra cum firmis florerent robora nervis,
Pingeret & roſeas gratia blanda genas.
Nunc, ô TEYLINGI, canâ nive tempora ſparſus,
Subtrahis Aoniis ver juvenile choris.
Et propior Letho Virtus tua computat annos,
In Patriam toties vita probata bonis.
Hoc ſuperos unum ſacrâ ſub luce precamur,
Natalis redeat ſæpius hora tui.

aliud.

Indite nunc ſacro ſolennia vincula Vati:
Natalem priſco ducite more diem.
Vt centum rigidis poſt tergum vincta catenis,
Hoc minus injiciat Parca ſevera manum.

RESPONSIO N. VIRI.

Quod mi longius apprecaris ævum,
Natalemque iterare ſæpè lucem,
Qui ſepten-decies ſupra Decembres,

Hunc ſolem intuitu, vagiſque mundi
Jactus, ſuſque ſecus, diu procellis,
Cui jam mens hebet, ingeniique vires
Fermè rebus inutiles agendis:
Affectu ex animi, ſcio, benigni
Prodire. O Charitum decus, ſacraque
Antiſtes Themidos, honorque Vatum!
Charum, at, ſi videas, citis Amicum
Luctari maris æſtuantis undis,
Mortem inter gelidam, truceſque fluctus,
Optes longius hunc abeſſe portu,
Duris ſeminecem & teri periclis;
Gratâ nec potius frui quiete?

Reverendo Cl. Viro,

D. ADR. SNELLIO, Eccl. Alcm. M.
Med. Doct. & Scholarcha. Kal. Ian. cIↃ. IↃ. CXL.

IAnus adeſt, Pelagi nunc Hircus mergitur undis,
Et Puer Iliades in ſua ſigna redit.
Sic Sol alterno percurrit ſidere mundum,
Perque ſuas regnant noxque dieſque vices.
Nunc ſenio Natura riget, modo pube Iuventæ
Florida, difformi Numine læta viget.
Non ſic æthereos homines mutamur ad ignes,
Non patitur tales vitaque morſque vices.
Ætas prima, graves inter confecta labores,
Præcipiti Boreâ ceu foret acta, fugit.
Altera quæ rerum curas animoſque viriles
Induit, innumeris plena ſcatenſque malis.
Tertia vix homini, fracto niſi robore, reſtat:
Quando caput niveum ruga ſenilis arat.
Fabula ſic miſeri ſumus, & res ludicra mundi,
Ingenii & formæ vita decuſque perit.
Quid reliquum quæris? queruli tormenta doloris,
Et breve poſt ſenium vermibus eſca ſias.
Sed, quid Ego hæc ingrata ævi mortalis & orbis
Conqueror? in cælis vita perennis erit.

Nulla ubi canities, ubi nullus terminus ævi:
Omnia cum CHRISTO ſunt ubi flore novo.
Tempora perpetui veris, ſine nubibus æther,
Formoſum pellit nox ubi nulla diem.
Hîc Solem Lunamque ſuis metirier ôclis
Fas erit, & magni Numina noſſe poli.
Ambroſiam plenis Divûm contingere menſis,
Et liquidum puro promere fonte merum.
Non illò penetrat putris contagio carnis;
Non dolor, ira, metus, ſternit amorque viam.
Pulchra Sionæo Pietas in vertice fulget:
Deliciis animi cælica regna ſcatent.
Hîc, SNELLI, divina tuis jungam oſcula labris;
Oſcula quæ nato porrigit ipſe Deus.
Interea tibi læta precor præſagia Iani,
Vt poſſis CHRISTI paſcere Paſtor oves;
Et Muſis præferre facem, vitæque redemptor
Optatam miſeris ferre Machaon opem.

EPITHALAMIUM
in Nuptias
D. ÆGIDII SCHAGEN, Sponſi.
& MARIÆ BOSCH, Sponſæ.

PLaudite Cyprigenæ: doctas viciſtis Athenas,
Et nullum in terris non ſuus ignis habet.
Vrimur hic omnes fatalis vulnere teli,
Ac ſua qui ſentit vulnera, læſus amat.
Pectoris ingreditur tacitas Cytherea medullas,
Nec facile eſt vulnus diſſimulare ſuum.
Sive ſenex, primo vernas ſeu flore juventæ,
Hoc uno pueri deſipitiſque ſenes.
Virginitas ſit præda Virûm, virtuſque puellæ
In pugnam, & Veneris prima trophæa venit.
Virginitas potuit rigido riſiſſe Catoni,
Otiaque in blandâ Daphnide Phæbus amat.
Sordet Majeſtas, Heroumque æmula Virtus,
Cum ſua laſcivus pectora verſat Amor:

Nec

Nec tum aliquis tetricas leges ediſſerit author,
Nec gravis expendit jura ſevera Fori.
Expers litis Amor. Faciunt & Cypridos ignes,
Rideat AURIACO nunc Erycina Deo.
Ipſe Phanomphæus Danaën ſub turribus altis,
Ingenio & formâ captus, adulter amat.
In Venerem Batavus ruit & Tarteſſia Pubes;
Et plus quàm noceant Bella, reſarcit hymen.
Deperit hic molli vernantem pube Neæram;
Hic ſua Penelopen gaudia ſponſus amat.
Mincia Pierium trahit in ſua baſia Vatem;
Huic Roſſa ad numeros apta modoſque venit.
Eſt, qui collaudat per Carmina docta Corinnam,
Et nil quam Thaïdos ſuavia pluris emit.
Quiſque ſuas patimur Flammas ſtimuloſq; juventæ,
Statque adamantæâ lege revinctus Amor.
Hîc nulli ceſſare licet, quando alma Dione
Ad ſua militiæ caſtra Scholamque vocat.
Non fas Idalias animo ſecludere curas;
Aut ſemel accepto colla levare jugo,
Sic ſtatuit natura parens: quæ provida mater
Ingenerat ſocii ſemina cuique tori.
Exprimis effigiem generoſi SCHAGEN Amoris:
Quem MARIÆ totum ſub juga traxit amor;
Et Charitum Virtus in mutua fœdera jungit,
Ingenio Thalami conciliante fidem.
Pulchra potenſque tibi deſcendit MARIA cœlo.
Divinis animi MARIA plena bonis.
Gratia quam multis ſelegit millibus unam,
Et vitæ Probitas rara Pudorque beat.
Felix! Qui in MARIÆ SYLVA venatur amores,
Proliferique ferit ſemina caſta Thori.
Hoc ſaxint Superi! Frondes ne SYLVA caducas
Hæc alat, & MARIÆ non Moriatur Amor.

MARIA BOS.
Anagramma
AMBROSIA.

ADſpicis, & titulum miraris, Lector, Amoris,
Maria cur poſſit dicier *Ambroſia*.
Ambroſiam pleno quo flumine *Maria* promit,
Et *Sylvam* blandi SYLVA lepôris alit.
Ambroſia & *Nectar* cibus immortalis Amantûm:
Maria ſic facta eſt *Nectar* & *Ambroſia*.
Ambroſia virtus *Maria* inſtillavit Amores:
Quæ Charitum dotes aſſerit una ſibi:
Sic nunc *Ambroſiis* epulis accumbere Divûm
Fas erit, & *Mariâ*, Sponſe, & Amore frui.
Ales ſigna dedit: *Maria* cum Conjuge Conjux
Ambroſiam toto pectore & ore bibes.

Nobiliſſimo Viro,
D. THEOD. ab EGMOND à NIEVBVRCH.
Cos. Alcm. Kal. Ian. clↃ. IↃ. CXLI.

LÆta renaſcenti qui tempora dividis orbi,
Da Batavis felix proximus Annus eat.
Da Pietas, da priſca Fides in templa revertat,
Relligioque ſuum tollat in aſtra caput.
Curia Pieridum ſub curâ & Pallade longùm
Floreat, & Muſis aurea ſæcla fluant.
Sit procul Ambitio fraudes exoſa doloſque,
Vt jus cuique ſuum conferat alma Themis.
Deſcendat læto Pax & Concordia cælo,
Noſtraque Libertas ſartaque tecta ſiat.
Et quæ nunc Regum celebrat Sponſalia mundus,
Naſſovio eveniant ter benè fauſta Duci.
Albionumque Torus Batavis in gaudia vortat,
Et Regum terris otia faxit Amor.
Cæſareas Aquilas regumque inviſa Batavis
Nomina Læthæis obruat Orcus aquis.

Et meritam Tarpeia luant Capitolia pænam,
Scortorumque greges in ſua Fata ruant.
Sanguinis effuſum ſatis eſt, ô Rector Olympi,
Totaque Chriſtiadûm terra cruore natat.
Hinc ab Hyperboreo proſerpunt bella cubili,
Parte aliâ Heſperidum terret ab hoſte metus.
Graſſatur toto peſtis Vulcania mundo,
Et bella Euphrates Eridanuſque ciet.
Ergò aderis, ô magne Deus, cæleſtibus iris,
Et Martis furias pelle furore tuo.
Sic Belgæ Vnanimes, animis & fœdere juncti,
Dicemus grates ſæcula cuncta Tibi.
Tu quoque, Mecænas, cujus ſub Numine Pallas,
Et rarâ Virtus Nobilitate viget;
Vtere felici auſpicio, Ianique Kalendis
Cum charâ toties Conjuge ſoſpes agas.

Ad Collegam ſuum,

D. IACOBVM PETREIVM, cum in Inſulam MARCKEN, *ad Eccleſiæ Miniſt. vocaretur.*

Sic Batavûm Muſas longè poſt terga relinquis,
Et toto Ingenium dividis orbe tuum.
Almerios, Petreje, Lares, Patriæque lepôrem
Permutas triſti Tethyos hoſpitio.
Inſula nunc petitur medio circumflua ponto,
Torpet ubi fœdo Muſa ſepulta ſitu.
Nullaque Pieridum reſonant Oracula Vatum,
Neve aliquis Phæbi plectra chelynque movet.
Sic Cyrrhâ procul, & dulci Permeſſidos undâ,
In tacito tecum littore ſolus agis.
Solus ad undoſi vives commercia mundi,
Triſtiaque Oceani regna, minaſque maris.
Solus Apollineo modulabere gutture carmen,
Threïcios nemo ſed bibet aure ſonos.
Plurima mandabis fallacibus irrita ventis,
Delicias toties quæ peperere mihi.

Audiet hæc Nereus forſan ſub fluctibus unus;
Sæpè dabunt aures piſcis & unda ſuas.
Hinc aberit longè ſacri Facundia roſtri,
Melleaque Aonii Suada Venuſque chori.
Annua ſolennis cedent ſpectacla triumphi,
Hic tibi Palladius non quoque Circus erit.
Pulvere nec ſacra certabit læta juventus,
Moribus & ſtudiis tincta juventa tuis.
Non tecum Collega ſacros ſociabit amores,
Deditaque officiis noſtra Minerva tuis.
Barbarus in Batavis, Scythicæ novus incola terræ,
Barbarico dici ſub Iove jure queas:
Ni tua Te Virtus, & Relligionis avitæ
Cura magis ſineret Sole Deoque frui.

Nuptiis

D. IOANNIS BRVNONIS, SS. Th. Cand.

Collegæ Sui.

ERgò, Caballini dubias poſt æquoris undas,
Navigat in portu jam tua, Sponſe, ratis.
Et vix Palladiâ redimitus tempora fronde,
Protinus ingenii penſa coronat Amor.
Dulcis Amor MARIÆ lepidos pellexit amores,
Et quicquid blando pectore Cypris alit.
Annuis: ac toto mox pectore concipis ignes,
Impatiens *Mariæ* ferre patique moras.
Omnia præ *Mariâ* ſordent, oblite Malorum:
Quæ ſola inflammat corque jecurque tuum.
In *Mariâ* pleni fontem admiraris amoris,
Et divûm carpis Nectar & Ambroſiam.
Dumque oculis formam *Mariæ* circumſpicis ardens,
Faſcinat hîc oculos forma Venuſque tuos.
Vinceris inſidiis *Mariæ*, & vinciris amando,
Nec potes in charâ conjuge nolle jugum.
Felix! in *Mariâ* lentas qui dividis umbras,
Illius à labris mella favoſque trahis.

In *Mariâ* puri nihil eſt quàm ſuccus amoris;
Morum blandities, doſque ſecunda, Pudor.
Adde tot illecebras facundi cordis & oris:
Gratia quæ doctâ ſculpſerat ipſa manu.
Plaudite Pierides: Tuque ô Parnaſſia Pubes
Plurima fac *Mariæ* vota preceſque thoro.
Exulet ut lætis tempeſtas horrida Tædis,
Et nullum inveniat ſollicitudo locum.
Turgeſcant plenis genialia gaudia rivis,
Et ſemper molli puppe feratur Amor.
Et nihil in *Mariâ* qui nunc deprendit Amari,
Hoc ſerò diſcat: Quod ſit *Amaror*, *Amor*.

PROSOPOPOÏA Illuſt. Alcm. Civitatis
ad Cl. Theologum,
D. ADRIANVM SNELLIVM.Med.Doct.
Contra Crimen læſæ Veritatis, Calumniam.

IMprobe,quiſquis eris,noſtram temerare Minervã,
Quæ rabiès te cogit iners? quæ dira nocendi
Prodiit Inferni latebris injuria: Tantum
Quæ auſa Viri tentare apicem, noſtræque ſalutis
Nobile præſidium? Dic, ô Plutonia peſtis,
Dic caput inviſum Superis, Stygiæque paludis
Victima, quid tantum vomuiſti virus in auras?
Vnde omnes ſtupuere animæ: quas alma Tonantis
Relligio Virtuſque manet. Non ſoſpite Belgâ,
Dum libertati, dum fas & jura Batavis,
Turpius Ætnæis crimen ſeſe extulit undis.
Adjuro tua ſacra, Deus! qui talia cernis
Coram oculis, liquidoſque moves ad ſingula ſenſus,
Hoc peccaſſe fuit. Sic mendax Spiritus Orco
Falſa docet, peſtemque ſuis adfricat alumnis.
Heus! Batavi, quò jura Fori; quò pulſa receſſit
Incorrupta Fides Patriæ? nunc Sceptra Deoſque
Vngue ſuo premit invidies, ac dente laceſſit.
Surgunt audaces Nimbrodi è gente Cyclopes;

Debellare Iovem, mundique evertere ſolem
Auſa manus, priſcas iterum factura tenebras.
Adde, quod Iſacidum ſcelerata Calumnia Vatem
In pugnam crimenque vocat. Iamque inclyta Virtus
Carnificem ſubitura ſuum, Solatia Divos
Poſcit, ovans animis, & ſpe ſua damna rependens.
Tu, SNELLI, tecum patimur commune periclũ,
Vindictam permitte Deo, tantiquę doloris
Tædia contemnat mentis tranquilla poteſtas.
Cum longè exitium Famæ Sectoribus iſtis,
Et dederit meritas infida calumnia pœnas,
Semper honos, nomenque tuum laudeſque manebunt.

aliud.

Invide, dum rodis nomen famamque piorum,
Stringis carnifices in tua fata manus.
In propriam ſævis animam violentus, & hoſtem
Non niſi te ſolum nocte dieque times.
Aëra Livor iners tremulaſque diverberat umbras,
Nec cadit in tantum Culpa puſilla virum.
Fruſtra Virtutis ſolium, Scelerate, laceſſis,
Virtus innumeris altior una malis.
Conſcia mens recti linguæ perjuria ridet,
Pulchrius ac tantò tollit in aſtra caput.

aliud.

Zoïle, quid Stygium virtuti obtendis Avernum,
Inque Deos armas tela faceſque tuas?
Scilicet ingenii cœcutis lumen ad illud,
Nec potes à tanto cernere ſole jubar.
Et clam nunc rodis, qui prodere crimina palam
Grande ſcelus metuis Tartareumque nefas.

aliud.

Adſpicis, ut ſummas flagrat Iovis ignis in arces,
Sic etiam Heroum pectora Livor amet?
Vtque ruit patulum Nereus diffuſus in æquor,
Cum placidas turbat nulla Charybdis aquas?
Sic vitam qui mentis inops ſine dente maligno
Tranſigat, & nullo nomina Matte probet.

Hoc

Hoc laudum ſatis eſſe ratus, ſi vixerit æquus
Omnibus, & nunquam nomen in ore ſiat.
Felix! quem toties percuſſit fulmine Momus,
Qui toties Momum ſub juga traxit ovans.

aliud.

Quiſquis in excelſo faſces & ſacra tueris,
Diſce malas linguas invidiamque pati.
Ars regni prima eſt, mendacia ſpernere vulgi,
Et corrivalem ferre patique ſuum.
Exerit hoc Virtus tantò ſe clarior, illa
Opprimitur quantò percutiturque magis.

aliud.

Quid ſupra telum poſitos, ô Mome, laceſſis?
Mille paras capiti Spicula, Mome, tuo.
Odiſti quem, Livor iners, fruſtraque remordes,
Inceptus ridet, rodit & ille tuos.

aliud.

Inculpata mihi ſi vita & fraudibus expers,
In me nil juris Momus & oſor habet.
Nil conſcire ſibi, virtutemque addere factis,
Hæc animi rupes firma tenaxque mei.
Omnia ſi nobis Acherons Satanaſque minetur,
Hac meus æternùm rupe triumphat honor.

aliud.

I nunc, Livor iners, artes dum mille nocendi
Inſtruis, inque pios vulnera vimque paras.
In te ſponte ruis, nulla eſt infamia rebus,
Inclyta quas multo judice fama probat.

aliud.

In CHRISTI Vatem quid, dira Calumnia, Linguæ
Tela jacis, telis dum ruis ipſa tuis?
Ipſa tuo exitio violentos ſubjicis ignes,
Et ſenſim propriis diſcruciere malis.

Illuſtri Viro,

D. IACOBO CATZIO, Equiti, &c. Summo ſupremæ apud Batavos Curiæ Advocato & Penſionario; Academiæ Curatori.

NVnc rerum ſummas Vates molimur habenas;
Præcipuo in Belgis ſtatque Poëta loco.
CATZIUS in Batavis afflatus Numine ſacro,
Conſilio tractat Publica Sceptra ſuo.
In Phæbo ſic creſcit Honos, & Pallada curat
Majeſtas Patriæ Naſſoviique labor.
Debetur, VIR Magne, tuis hæc gloria factis,
Inferior meritis gloria tanta tuis.
Qui ſublimè ſapis, loqueriſque oracula Mundo,
Et tantùm curis incoquis alta tuis.
Mantua Virgilio Vati, Verona Catullo;
Divino quantùm Græcia Mæonio:
CATZIADÆ tantùm Muſis doctoque lepôri
Debemus Belgæ Pierideſque Deæ.
Protinus in terras Aſtræa hoc Vate revertit,
Et melior nobis luxit ab axe dies.
Viſæ omnes gaudere Deæ: quas alta Pirene,
Quas Parnaſſus habet,ſacraque Cyrrha rigat.
Primatum jam Muſa tenet, neque Vatibus iſtis
Amplius in Belgis Barbara turba ſumus.
Et faciem vultuſque novos Reſpublica ſumet,
Præſidiis tanti conſiliiſque Viri.
Scilicet hic cedris & Apolline digna loquetur;
Hoc uno poſſunt farier ore novem.
Eſt CATZI divina tuæ Facundia Suada:
Hyblæos redolet lingua diſerta favos.
Treïcius Vates, doctuſque audiris Arion,
Alter & Amphion Mæoniuſque ſenex.
Qui Tripodum ſacris, qui plenus voce Sibyllæ
Attonita Eloquio Roſtra Forumque tenes.
Felices Batavi! Quibus hoc cum Principe Vatum
Alloquio teritur protrahiturque dies.

Gratu-

Gratulatio ad Nobiliſs. & Præſtantiſſimum,

D. IOHANNEM A NIEVBURCH LL. Cand. *Divina providentia* Hoſtium Duynkerkanorum manibus elapſum.

SIc Tibi, NIEUBURGI, generoſi pectoris ignem
Elicuit virtus. Armatam Pallada miles
Sic quoque inermis agis: Phæbo Martique Satelles,
Non uno mucrone potens. Sic vincula palmis
Avertit divina manus; dux æthere ſummo
Adſtitit, & trepida ſolvit formidine mentem.
Viciſti ſic arte dolos, quos more Pelaſgo
Bellator callet Morinus: ſicut impete pulchro
Rumpit aper tereteſque plagas, & gaudet aprico;
Aut Cerva infelix, liquefacto tempora plumbo,
Læſa fugit manibus. Quantùm laudabilis illa
Vis animi caſuſque fuit! Mirabitur ætas
Altera. Prædatrix poſſet Duynkerka dolere,
Hoc facinus non eſſe ſuum. Sic Clœlia quondam
Exemplo par Ipſa Tibi; ſic Coclite Tybris
Obſtupuit; tantiſque addis miracula rebus.
Quod durum, meminiſſe juvat; quantumque tuliſti,
Hoc Famæ compenſat honos. Si Gallia votis
Excidit, in Laudes Belgarum glória ſervit,
Non tanti Liger & Rhodanus, non Sequana tanti;
Aut fulvum tranaſſe Tagum. Sunt Littora nobis
AURIACI; hic dives pandit ſua cornua Rhenus.
Hic quoque Romanas reſonant Capitolia Muſas,
Et Themidi delubra patent. Hæc area reſtat
In Laurum Laudeſque tuas, Generoſa Batavûm
Progenies. Hic vera piæ ſolatia Matri
Invenies; hoc ſacra probant Oracula ſignis.

In expugnatam Hiſpaniarum Claſſem xxi. Oct. cIↃ. IↃCXXXIX.

HOc juvat, hæc feſſis bello ſolatia Belgis;
Hæc Patriæ ſperata ſalus: quando impia Claſſis
Hiſpani,

Hiſpani, longùm furiis agitata per æquor,
Dulce meis Batavis ſpolium,flammâ inter & ignes,
Mergitur Oceano. Herculeas trans ipſe Columnas
Exuitur Mavors armis, Maurûmque poteſtas
In cladem ſtat prona ſuam. Tot Belga triumphos
Enumerat, Victor Populus: vaſtoque profundo
Imperat, occiduo Albionum ſub littore gentis,
Teſte Deo Pelagi, & latè terraque marique
Perpetuò Dictator agit. Tibi, Maxime TROMPI,
Flos Virtuſq; Virûm:Qui nunc manus altera Magni
AURIACI, magnum ſurget ſuper æthera nomen
Talibus auſpiciis. Tantis caligat in auſis
Mens Hominum. Batavûm pugnas animoſq; viriles
Ipſe ſtupet Nereus: Vitreos victoria Divos
Tangit, & audaces mirantur Numina Belgas.
Ergò animoſa phalanx, Tarteſſia Claſſis Iberi,
In noſtros armata rogos, ſervata Piorum
In jugulum, toto Ætnæas bibit ore paludes.
Et pro ſanguineis epulis, pro cæde cruenta
Tot miſerûm, quas tunc animas ſitibunda petivit,
Lethiferis jam turget aquis ventremque ſaburrat
Gurgitis infandi dapibus. Sic dira tyrannis,
Sic tandem Alcmariæ venturaque deſuper urbi
Barbaries eluſa Deo. Tibi, Rector Olympi,
Magne potenſque Deus, pro tanto munere grates
Solvimus, æternùm dicturi Fata Nepotes.

In glorioſam Mortem,

D. ALEXANDRI PICARD, Cognati,

In Inſulâ S. Laurentii quondam Præfecti.

ERgò iterum Herculeas ſuperamus Marte Columnas,
Et ſtupet in Maurûm vulnera Naſſovius.
Obſtupuit nuper generoſos Duna Labores,
Cum foret in mediis præda Philippus aquis.
Iam Belgæ victore novo viciſtis Iberum,
Veſtraque felici ſidere claſſis ovat.

Imma-

Immatura tamen Victoria colligis ignes,
Dum malè PICARDI ſanguine facta via eſt.
Dum nimium vitæ crudeli funere victor
Occubat, & pretium non tulit ipſe Sui.
Altera MAURITII manus, & ſpes altera Belgis
Hîc cadit, & famam ſanguine laudis emit.
Purpureamque animam mediis effundit in armis,
Vt Patriæ ſolvat vota fidemque ſuæ.
Magne Heros! Magni nomen Cognominis olim
Ingenio tribuit non niſi Magna tuo.
Qui Macedo Scipioque tuis, dum vita ſinebat,
Nec Ducis Æmathii nomine, ſpeque minor.
Has clades, Hiſpane, probas, & in hoſte fateris,
Cum toties validas ſtrinxit in arma manus.
Prô dolor! illa manus manes & frigora ſentit,
Occiduiſque jacet tota cremata rogis.
Sed corpus parſque illa minor diviſa Batavis,
Tu ſolido ſemper pectore Belga manes.
Nunc & ovas moreriſque ſimul; ſed vivere tanti
Non fuit, ac talem te potuiſſe Mori.

PROSOPOPOÏA Sacra
Ad Ampliſſimum, Spectatiſſimumque Virum,
D. PETRVM PAEV, Excos. Alcm. &c.
Filiola
COMPATREM. Kal. Ian. cIↃ. IↃCXLIV.

NVper feſtus erat tuus ô natalis, IESU,
Cum caneret laudes terra poluſque tuas.
Inque meis cunis, quantumvis balbula, cunas,
Pro more infantum, ſum modulata tuas.
Cum primùm intuita hanc lucem, felicibus orſis,
Ac me vagitus prodiit ipſe tener.
Teque ultrò cum teſte, PAVI, Baptiſmatis undæ
Tradita, ut in cælo ſic ſine labe forem.
Et nunquam Stygiás raperer damnata ſub umbras,
Vel fierem admiſſi criminis acta rea.

Gratia,

Gratia, magne Deus, quod me Genitricis ab alvo,
Tot fœdam maculis, judiciique ream,
Sanguine purgâris CHRISTI. rurſumque renata
Muter, & in mores tranſierimque novos.
Sic cecini, Lucina fave, tremulo ore Tonantem,
Et cum thure pio carmina læta dedi.
Nunc quoque nos miſeros IANI lux alma reviſit,
Reſque agitur nobis ſeria, ſole novo.
Vt vitiis hominum ſuccenſum Numen adorem,
Et pro quaſſatâ vota SIONE feram.
Felicemque Tibi, chariſſime COMPATER, Annum
Gratuler, & prompto teſter Amore fidem.
Ne ſimiles feriant, ut nuper, corpora morbi,
Nec Parca extremum claudat avara diem,
Sed totidem poſſis vitæ ſuperaddere luſtris
Luſtra, poteſt Pylius quot numerare ſenex.
Et me florentem vegetâ ſpectare juventâ,
Quando animi ſenſus farier ipſa queo.
Et ſine judicii mentiſque interprete linguam
In non indoctos ſolvere ſponte modos.
Longa via eſt. riſu primùm cognoſcere matrem
Cepimus, & cunas altera bruma videt.
Multa dies reliqua eſt nobis, ſi faverit æther,
Antè meas variet cana ſenecta comas.
Sed Fato id conſtat. Rerum cui ſumma poteſtas
Metitur Spatiis cuncta creata ſuis.
Hoc precor, Auſpicio redeuntis, COMPATER, Anni.
Sive diem videam, ſive recondar humo,
Vt Tibi, cum Phœbo curſus reparante relictos,
Dives inexhauſto copia fonte fluat.
Et longùm ſuperet præſens in pectore virtus,
Eveniatque Tibi non ſine laude MORI.

In

In Doctiſſima Poëmata

Nobiliſſimi Viri,

D. IACOBI à TEYLINGEN, I C.

Cos. Alcm. & Scholarcha.

ADſpice Batavicâ, Lector, Permeſſide Vatem,
Cujus ab Eloquio Suada lepoſque fluit.
Qui procul à priſcis abhorrens moribus ævi
Numinis ad nutum plectra chelynque movet.
Et niſi Naſſovios & amico fœdere Muſas
Ad ſua grandiloquo carmine ſacra vocat.
Exulat hîc omnis quondam vulgata Poëtis
Fabula; Virtuti ſed locus ille patet.
Abrâmidæ leges & magni juſſa Tonantis
Hic canit; ingenii ſola trophæa ſui.
Aut in perjuros pugnat Facundia Mauros,
Et Batavûm cauſam voce Patronus agit.
Illius à Genio victrix Alcmaria famam
Accipit, æterno nomen honore ſuum.

Cl. Viro,

D. IOANNI PICARD, Med. & V. D.

M. cognato. Kal. Ian. clↄ. Iↄ. CXL.

QVid tibi vis Iani feſto pro munere dönem
Inter Fortunæ munera tanta tuæ;
Carminibus Vatum nihil eſt, cum Cenſibus iſtis:
Contenti parvo ſobria turba ſumus.
Larga tibi centum diſtendunt ubera vaccæ,
Florida purpureos meſſis inumbrat agros.
Nos ſatis ingenti colimus cum dote Minervam;
Hîc ſua Pieridum præmia cenſus habet.
Iſta levis Boreæ ſpolium fatique ruina:
Hæc ſunt Aoniis munera nata jugis.
Nec tanti, PICARDE, facis ludibria mundi,
Vt non ingenui ſit tibi vatis amor.

Pega-

Pegaſidum nobis naſcuntur carmina ruri:
Illa manet noſtros area dives agros.
Spes bona, vota, preces, meriti fiducia CHRISTI,
Paupere cum Muſâ ruſcula noſtra colunt.
Hæc ſacris poſſum Donaria ferre Kalendis,
Vt Batavis benè ſit, Naſſovioque Duci.
Et tibi cum ſacrâ Thalami conſorte Valere
Contingat, Pylii poſt tria ſæcla Senis.
Audiat hæc Ianus, Batavoque hoc ſpondeat æther
PICARDO felix proximus Annus eat.

Ad Tarpejam Meretricem.

Ex Oratione Triumphali.

SIc Te inviſa dies, & ineluctabile fatum
In pœnas mortemque trahit: cum Numinis ira
Et CHRISTO devota cohors cælum omne ciebit
In bellum cladeſque tuas, Gens impia Scorti
Romulei. quandò Babylonem deſtruet imâ
Radice, & ſeros acuet Vindicta nepotes,
In Maurûm librata neces, & nomina magni
Cæſaris, Auſtriacique domos exoſa tyranni
Æquabit penitus terris, totamque ruinis
Everſam gentem tenebris damnabit opacis.
Applaudet tandem felix Victoria pennis,
Et Babylon ſua damna feret, Tarpeiaque Roma
Corruit in caſum præceps. Cum Cæſare magno
Hiſpanus dabit ingentem pulchramque ruinam.
Tu, Dilecta Deo, plauſus teſtata ſecundos
Abſterges triſtes lacrymas, nec jam amplius ulli
Stillabunt oculis imbres. Dabis Odera teſtem
Lætitiæ, Rhenuſque fluet plaudentibus undis,
Non caſus memor antiqui. Crudelia quondam
Quæ paſſi, nova nunc animis ſolatia portant.

Nobiliſſ.

Nobiliſſimis Viris-Iuvenibus,

D. THEOD. & IOANNI

NIEUBURGIIS, ICtis.

Cum Galliam meditarentur.

ERgò fatales iterum conſcenditis urnas,
Magnaque pars dubii reſtat aranda maris.
Sed, faxit meliora Deus, quàm Fata tulere
Nuper, ab inviſo cum foret hoſte metus.
Vade Deûm Soboles, quò gloria mentis honeſtæ,
Quò Vos Phœbæi Numinis urget amor.
Nobilitas, quæ parta domi eſt, ſinè labe revertat
In Patriam, Ingenii pulchra ſcatenſque bonis.
Obvia ſe vobis rerum prudentia pandat,
Et quicquid clauſo pectore Conſus habet.
Quæ placuit nuper Batavis Induſtria Muſis,
Iam quoque Borbonios geſtit adire Deos.
Nec ſeſe ſpatiis tam mens auguſta coarctat,
Vt Virtus uno claudier orbe queat.
Dilecti Superis Iuvenes! Quos optima morum
Effigies aris conſecrat atque focis.
Quos Proavum Virtus Patriæ devovit amori,
Et cum natali luce reſpexit Honor.
Publica res olim quorum ſub nomine pulchra
Creſcet, & Aonidum gloria major erit.
Tu nunc, magne Liger, generoſi pectoris ignem
Virtutum flammis paſce foveque tuis.
Et benè NIEUBURGI Themidos Myſteria Docti
Fac redeant ſacrâ fronde Togâque Domum.

Nobiliſ-

Nobiliſſimo, Ampliſſimoque Viro,

D. ADAMO FORESTO,
Med. D. Cos. Alcm. & Rei Nummariæ Adminiſtro Primario.

Cum D. IOANNIS FORESTI, ICti de Galliarum R. DELPHINI Natalib. Carmen ad me mitteret.

MAgne Vir, Alcmariæ Decus & tutela Minervæ;
Cui Batavus curas credit, opeſque ſuas:
Non hîc Borboniæ canimus Cunabula prolis,
Non Regum Thalamos, Sceptra, Ducumq; thoros,
Sed Magni cunas Domini, Natalia IESU;
Virtute, Ingenio Nomina digna tuo.
Expectata diu ſoboles deſcendit Olympo,
Quo generi humano vita ſaluſque redit.
Quò placat ſeſe ira Dei, infernique poteſtas
Corruit, & Satanæ concutiturque labor.
Purpura non Regum, nec ſunt Cunabula tanti,
Qualia DELPHINO Rhenus Ararque parant.
Plus CHRISTI præſepe valet viliſque ſupellex;
Plus ſtabuli nudum ſtramen honoris habet.
Si tibi, Magne Ducum, flammis colluceat æther,
Totius & mundi fauſta precetur honos.
Hîc cœlum inſolito teſtatur gaudia plauſu,
Veſtiturque novo lætus honore polus.
Angelicæ cecinere tubæ. Sol lumine pulchro
Naſcenti puero præbuit ipſe facem.
Tu, Ludovice, Tagum ſi forti Marte fatigas;
Si parêre Tibi Bactra Thulemque facis:
Nos hîc Tartareum tantis Natalibus Orcum
Vicimus, & ſpolio cedit Avernus iners.
Ipſaque mors mortem patitur. Stat Ianua vitæ
Noctes atque dies nunc adaperta piis.
Nec formidamus Stygio ſub gurgite pœnam
Amplius. In CHRISTO noſtra renata Salus.
Salve! noſtra Salus IESU. Salve inclyta proles:
Magni Nate Dei, Cælicolûmque decus.

Qui

Qui nunc nudus, inops prodis de Virginis alvo,
  Nobiſcum æterna pace & amore cois.
Ergò omnes tua nunc circum præſepia CHRISTE,
  Plaudimus & cunis oſcula blanda damus.
Fac, ô Dive Puer, nobis cum Flamine Sancto,
  Ad vitæ extremum vivere, ſemper ades.
Et Tibi, Mecœnas; ſuperet tranquilla ſenectus,
  Curarumque expers, & ſine clade Torus.

Nobiliſſ. Ampliſſimoque Viro,

D. IACOBO à TEYLINGEN. IC.
I.V.D. Cos. Alcmariano Scholarchæ.
Kal. Ian. 1639.

NVnc ſua MECœNAS, redit in Natalia IANUS;
  Nunc ſacra nobis luce December abit.
Demigrat ſic triſtis hyems tenuemque minatur
  Canitiem terris exiguumque gelu.
Progreditur formoſa dies, cum læta ſuſurro
  Mulcebit Zephyrus rura ſacrumque nemus.
Nos ubi triſtis hyems, & mors ſemel occupat um-
  Non Ver, non nobis ulla Iuventa redit. (bris,
Vmbra ſumus ſtipulæq; leves, ſpoliumq; ſepulchri,
  Ac mundi tantum ſcena, & inane Nihil.
Dii faciant! Sic tota ſiat non ſubdita Morti
  Vita, ſed Ingenio ſit fuga parta tuo.
Et Tibi perpetuum ſit fas Helicona tenere,
  Cumque novem Muſis conſenuiſſe Seni.
Iſta precor IANI auſpiciis. Det proximus Annus,
  Ex voto & meritis Fata venire tuis.
Vive diu faſceſque tene. Vis nulla nefaſque
  Demetat Ingenii fila decuſque tui.
Corruat in caſum Babylon. Germania rurſus
  Libera, conſpicuum tollat in aſtra Caput.
Et Belgas Pax læta beet, ſintque otia Muſis,
  Dirorum & ceſſent prælia Terrigenûm.
Mars ſedeat ſuper arma ferox, ſatiataque bellis
  Belgica, pacificis læta triumphet agris.

Et

Et Tu, Teylingi, poſſis ut Neſtoris annos
Vivere, & æthereas ſerus adire domos:
Cui ſummus ſe credit honos: rerumque poteſtas
Quem titulis donat condecoratque ſuis.
Hæc precor, eveniant! ut cum nos Alme reviſes
Iane, cadat ſacris Victima digna tuis.

Epithalamium,

Ampliſſimo Viro,

D. AHASVERO à VIER-SEN, IC.

Quæſtori Prov. Fr. Nunc illuſt. ac Præpot. DD. Ord. ad Batavos Delegato.

Aëre tam blando, Veriſque tepentibus auris
Quis non Idaliam Cyprida blandus amet?
Et ſua candidulis ſubmittat colla lacertis,
Proliferique ferat ſemina læta tori?
Ceſſit hyems, gelidæ cælo ceſſere pruinæ:
Nunc alium nobis ventilat aura Iovem.
Non Boreas Aquiloque truci circumvolat umbrâ,
Præcipiteſque Noti prælia fronte gerunt.
Pax habet Æoliam. Non claſſem triſtis Orion,
Arcturuſque ſuo ſidere turbat aquas.
Æquora tuta ſilent; taciteque ſtrepentibus undis,
Rara procelloſam verberat aura ratem.
In ſua cum Geminis redierunt cornua Tauri,
Et lætos aperit Ver geniale ſinus.
Nunc terris ſua vita redit, cælique calore
Concipiunt animas pinguia rura ſuas.
Parturiunt Elementa ſimul, Naturaque rerum
Solvitur in fœtus luxurioſa novos.
Naïades hîc, illic vitreas ad fluminis undas
Theſtylis in læto gramine paſcit oves.
Mollibus & Zephyris, gratiſſima Filia Veris,
Friſiacos pulchra veſte coronat agros.
Hæc inter reſonat Volucrum concentibus æther,
Et limoſa ſuis rana coaxat aquis.

Adſpicis,

Adſpicis, ut petulans Cytherea invitet Adonim,
Detineatque ſuum mollis Eliſa Virum?
Omnia prætendunt vitæ ſocialis amorem,
Et nihil eſt, cui non jam ſuus ardor ineſt.
Dic mihi, SPONSA, tuos quid diſtulit hactenus ignes;
Cur venit in venas tam tibi ſera Venus?
Quæ blandum ſic Dipſas anus diſſuaſit amorem,
Et tanto fecit corda rigere gelu?
Dum ſua Triptolemus redimitus tempora ſertis
Præbet Amalthææ florea mella Capræ:
Et Ver eſt roſeum, murideſque imitata Napæas
Gramineo ducit ceſpite Nyſa choros.
Dum calet omnis Homo, noſtroq; ardeſcimus igne,
Et ſequimur Venerem quiſque jugumque ſuum:
Vſque adeone ferox ſolum calcare recuſes,
Quod cognatus Amor monſtrat & urget iter?
An Tibi VIERSENIUS nondum inſpiraverat ignem,
Miſcueratque tuis oſcula blanda genis?
Qui nunc flammigeris urit tua pectora telis,
Et te blanditiis brachioliſque fovet.
VIERSENIUS ſolùm rutilis tibi deditus aſtris:
Solus, GEERSMA, tuos dignus inire toros;
Et tibi baſiolis tenerum penſare Pudorem;
Quod furor eſt, tantis non licuiſſe Procis.
VIERSENIDEN adamare docet tua IISCKIA Virtus;
VIERSENII eſt Virtus, IISCKIA Tu quod ames.
Hic Tibi Vis & Flamma fuit: quo Conjuge poſſet
Ipſa ſuum Iuno diſſimulare Iovem.
Ille tibi vivum defudit in oſſa calorem,
Et primùm in thalamos Duxque comeſque fuit.
Prima viam tentas illa Ductore per umbras,
Et ſolvis timidæ vincla Pudicitiæ.
Hoc ſecura mali, Leges nunc diſcis Amantûm;
Quicquid ſub tenebris noxque toruſque tegit.
Quas Virgo laudare ſoles, nunc oderis artes,
Perſona nimiùm diſpare ludit Hymen.
Vere novo blandos ſic, IISCKIA, concipis ignes,
Et grave poſt frigus pectore tota cales.

Tota Cupidineis incendis corda favillis,
Et pateris centum viva volenſque rogos.
VIERSENIO dabis amplexus & candida colla,
Et quodcunque tori poſtulat officium.
Non illo poteris noctes horrêre nivales,
Non longas hyemes Icarioſque Canes.
Purum nectar alit generoſa in pectore Virtus
VIERSENII: Flammas viſque virilis habet.
Hoc voluit Natura Parens ſub Iudice certum,
Quid valeat docto miſta lepore Venus.
Quid pudor & niveo poſſint in pectore Mores,
Et Pietas animi Relligioque Fori.
Hic etiam, tua ſe virtus ubi tollat in altum
Invenit. Hîc illi Scena locuſque datur.
Militat in vitium, ſceleri contrarius armis
VIR tuus. In vitium Miles & Vxor ades.
Fortunati Ambo! quorum ſub fœdere blando
Liberior nobis aura Fideſque redit.
Fata Deuſque ſinat, Vos, inter Theſſala Tempe,
Aurea VIERSENIÆ ducite ſæcla Domus.

Ampliſſimo Viro,

D. PETRO PAEU, Cos. & Senat. Alcm.

in obitum Vxoris.

IVſta tui luctus ratio, Clariſſime PAWI,
Prô dolor! & toto pectore vulnus alis.
Dum pia Te CONIUX, nunquam reditura ſub auras,
Deſerit, Heu! Tanti fida miniſtra Viri.
Quæ, dum vita fuit, Virtutum plena trophæis,
In Batavis meruit non potuiſſe mori.
Fœmina, ſed ſexu major: quæ clara Sabinas
Æquet, & ingenium, Porcia priſca, tuum.
Pone modum lacrymis, Mecænas, pone dolorem:
Naturæ legem turpe dolere viros.
Hæc Conjux mandata dedit: Tu rumpere noli
Vltima Conjugii pacta fidemque tui.
In Cælis tua nunc VXOR ſecura triumphat,
Complexu in medio contuituque DEI.

Nec

Nec rurſum cupiat terris avulſa renaſci,
Et putrida mundi carne toroque frui.
Nos hominum furias inter ſtreperoſque tumultus
Fortunæ fluxas ſollicitamus opes.
Et mox Elyſias etiam tranabimus undas:
Omnibus eſt vitæ linea ſumma, MORI.
Pone tuis metas lacrymis, Ampliſſime PAWI,
Ingenio Fatum triſtitiemque doma.
Et nunc Aonias oculis dignare Camænas:
Quod SCHOLA, quod Pallas Te quoq; docta rogat.

Nobiliſſimo Viro,

D. IACOBO à TEYLINGEN. IC.

Cos. Senat. & Scholarchæ Alcm.

Kal. Ian. CIↃ. IↃCXLIII.

NVper Lucinæ ſacris pia Thura ferebam,
Quando poſt Septem denos illuxerat annos
Tertius à cælo Titan. Nunc Annua mundi
Tempora, nataleſque tuos celebramus, IANE.
Vtraque lux Vatum numeros & carmina poſcit
Officiumque pium. TEYLINGO ſacra parantur.
Pierides, tantique Viri præconia cælo
Sculpimus. Et ſeris ſignamus nomina faſtis,
Delicias, Thymbræe, tuas. Quo Conſule nunquam
Pænitet Aonidum vario pede ducere campos,
Et famâ me tollere humo, nomenque vetuſtis
Addere imaginibus. Creſcit ſub Pallade laurus
Talibus auſpiciis, & circum tempora ſerpunt
Florentes Hederæ. Virtus antiqua, Fideſque
Hoc Authore ſemel Batavo ſe in pectore promit.
Felices! quando tales Reſpublica norit
Scipiadas, clarumque ſui diffuderit orbis,
TEYLINGO ſub vate, Genus. Quippe æmulus olim
Auſoniis iterum cernit nunc Belga Catones,
Et nova Palladias expectat purpura Muſas.
Hoc unum reſtat: virtus tua prorogat annos

In longum. Donec populos pax alma reviſat;
Bellorumque ſatur mundus, ſpontè oderit arma,
Gradivumque patrem: Soli qui ſpargit utrique
Nubila, & Eoos turbat cum veſpere fluctus.
Et Tibi, TEYLINGI, penſo feliciter acto,
Vſque decem decies Titan compleverit orbes.

Votum Novi Anni,

Ad Cl. Virum,

D. ADRIANVM SNELLIVM, Eccl. Alcm. & Med. Doct. *Kal. Ian.* clↄ.Iↄcxxxix.

STulta ſuperſtitio dum falſum Numen adorat,
Et Iano nunc vota facit, dum degener orbis
Deſipit, antiquumque tenet: caligine pulſâ,
Cernere plus nobis fas eſt, qui Numine certo
Nitimur incaſſumq; preces non fundimus unquam,
Eventu nec vota carent. Hac parte litamus
CHRISTIADES. Nil picta juvant ludibria trunci,
Nil Iano devotus Honor. Tu maxime rerum
Arbiter, alme Deus, noſtræ ſpes una ſalutis (plex,
Vnus amor columenq; hominum. Tua Numina ſup-
Et Nomen quicunque colit, non illius unquam
Irrita vota pudor, ſpes aut incerta ſequetur.
Te ſolùm SERVATOR, opem, Te poſcimus omnes
Auxilium ſortemque bonam: Duodena per Aſtra
Dum Phœbus tranſegit iter, Mundoque reducit
Anni feſta Novi. Major nunc naſcitur ætas,
Et creſcit cum luce Labor, vitæque propinquat
Terminus, ac ſubitò in ſenium labentibus annis,
Imminet exitio Mundus, patiturque Senectam.
Huc ades, ô SERVATOR, opem fer rebus in arctis
Et Sponſæ ſuccurre malis. Eccleſia, CHRISTE,
In caſum ſtat prona ſuum, Satanaſque minatur
Iſacidum Genti excidium. Trux Cerberus ipſe
Intonat, & fidos vocat in certamina Fratres,
Iuratas in bella manus. Conclamat ubique
Quas Erebo poſſit trahere in ſua caſtra phalanges.

Addit

Addit ſe ſocium, & rutilis ſupereminet armis.
Fax tanti Hiſpanus belli Satanæque ſatelles,
Edoctus cumulare neces, & mittere Letho
Inſontes. Tarpeia manus ſcelerumque miniſtra
Ferrum ignesq; crepat Babylon. Nil linquit inauſum
Inferno ſacrata cohors, ſi perdere gentem
Et Chriſti delubra queat. Tandem adſpice Sponſam
Sponſe tuam, miſerere animæ tam dira ferentis.
Maturet vindicta Dei, Patriſque capeſſe
Imperium. Tarde ſuſpenſi ſigna furoris
Compenſet gravitate Deus. Satis impia Clotho
Sanguinis, & miſeræ fecit diſpendia gentis
Trux Babylon. Pleno manarunt ſanguine rivi,
Et ſtragem jam terra ſtupet. Pro Marte cruento
Deſcendat Pax læta polo: ſic oderit arma
Et rabiem Bellona ſuam. Sic aurea rurſum
Teutoniæ, ac Batavûm naſcentur ſæcula terris,
Hæc ſacrâ Te luce DEUS, Ianique Kalendis
Poſcimus: Hæc noſtræ ſolennia vota Camænæ.
Et Tu, Magne Virûm, Fama Clariſſime SNELLI,
Vt longùm ſupereſſe queas, vivuſque valenſque
Inſervire Deo: Variis erroribus actos
Lucrari CHRISTO, & priſcas damnare tenebras.

In Nuptias,
Ampliſſimi & Conſultiſſimi Viri,
D. IOANNIS GVVALTHERI, I. V. D.
ET
CATHARINÆ IORRITSMA.

SIc Manes inter celebrat GWALTHERUS Amores;
Et ſequitur triſtes Vita Venuſque rogos.
Sat tumulo mortique datum. Stat prona Dione
Dulcia proliferi condere jura Tori.
Connubiis Lucina favet. Dat jura Cupido,
Et Mundi imperium nunc Ericina tenet.
Odit amor Lacrymas & triſtia funera: Luſus,
Oſcula, Conjugii pignora curat Amor,

Sic facilè amiſſos reparabit Friſia Cives;
Et multo Auriacus milite tutus erit.
Baſia ſi ceſſent, nocturnaque prælia lecti,
Belgica præſidiis jam foret orba ſuis.
Tu primus poſt tot Mortes & funera, IANE,
Das riſum Muſis materiemque joci.
Conſociat tecum pulchros CATHARINA lepores,
Virgo Leonini gloria prima Soli.
Sic curæ ceſſêre ultra Garamantas & Indos:
Obtenebrant animum nubila nulla tuum.
Illius adſpectu Pylius juveneſcere poſſet,
Viribus & Thiton fortior eſſe ſuis.
Sic pudor & pietas oculis ſcintillat honeſtis;
Ambroſius tanto manat ab ore Lepor.
Pugnat Majeſtas inter ſe & Gratia rara:
Agnoſcit laudes vix Venus ipſa ſuas.
Fallorò an illa graves expugnet Forma Catones;
Et rigidus Mores ſtipes amare queat?
Hanc GWALTERE, Deus jungit tibi fœdere Nympham:
Iudicio poſſit quæ Venus eſſe meo.
Quod Paris Oenonæ, forti Briſeis Achilli:
Æmonioque Duci Laodameia fuit.
Porcia quod Bruto; quod noſtra Boëthia nobis;
Quod fuit Iſaco caſta Rebecca ſuo.
Hoc, Heros, CATHARINA Tibi, tot dotibus aucta;
Candore, ingenio, nec probitate minor.
Sic placitum Superis, Thalami qui fœdera jungunt:
In votum pronam Cyprida Sponſus habet.
Ibitis hinc atræ, feralia Nomina, Mortes,
Et Thalamo quicquid triſte nocere poteſt.
Odimus hîc Tumulos, inviſaque ſpicula Lethes.
Triſtia conjugii damna rependet Amor.

IN TUMULUM
D. REGNERI BOGERMANNI,
in Eccleſia Harlingana V. D. M.

CHare Vir, æternùm Friſiis quem fama loquetur,
Et grex Iſacidum proſequitur lacrymis:
Quem ſacra Religio Myſtam ſibi plorat ademptum,
Eheu! hoc tumulo clauditur ante diem.
Hîc ô, BOGERMANNE, jaces, Divine Sacerdos;
Vermibus hic fœdis eſca Sororque jaces.
Nunc, tua quæ poterat cautes animare loquendo,
Altis ſub tenebris lingua diſerta ſilet.
Enthea vox afflata Deo, vox plena ſalutis
Chriſtiadum, putri nunc requieſcit humo.
Sic cineri, ſic ille rogo lacrymabile funus,
Qui puro nobis protulit ore Deum.
Qui populum miranda Sacri Myſteria verbi
Edocuit, veræ Vir Pietatis amans.
Quid Tibi tunc Harlinga animi, cum nocte ſub altâ
Talem conficeret Mors truculenta Virum?
Cum lacrymas Vrbs tota daret; cum percita luctu
Exanimi, tremeret Curia, Templa, Forum?
Eheu! majorum ſunt hæc præſaga malorum
Funera. Mors tanti Nominis omen habet.
Quid reſtat? primo ſi Eccleſia vertice nutet;
Si Rex ipſe ſuas concidat inter oves?
Peſtis, & ira Deûm latis graſſantur habenis,
Nec tenebras nobis Atropos una parat.
Vritur infelix Lethæis Belgica flammis,
Et viduat populis oppida tota lues.
CHRISTE, tuas manibus vinctis ampleximur aras,
Perfugium nobis ſolus & auxilium.
Tu Mortem Lethumq; domas. Tu, quando rebelles
Caſtigas animos & fera Fata regis;
Horrida peſtiferi repetunt ſua Tartara manes,
Et rurſum plauſus orbis anhelus agit.
Eſt ſatis irarum. Stygii ſubſidite fluctus:
Pallida victrices Mors ſtupet ipſa manus.

In Memoriam

Magni Iuriſconſulti, & per Friſiam

Senatoris ſummi

D. IOANNIS DE SANDE.

HEu! nunc Fatorum ſæva neceſſitas
Victuro ſemper nomine Sandium
Perpetuis tumulavit umbris.
Qui plena quondam voce leporibus,
Inſtar Donelli, Iura Quiritium
Edocuit veteres Athenas.
Quo clare functus munere, Patria
Illi Majeſtas pro merito obtulit
Præſidium columenque rerum.
Hic verò Numa, hic Scævola viſus eſt:
Qui vulgi errorem, criminaque expulit
Providus auxilio Senator.
Tot qui lites, & jurgia Civica
Legum vinclis compeſcuit Arbiter,
Grande Fori decus & Clientûm.
Quem cœlo pictor ſculpſit, & indicat
Formoſi vultus gratia, quid Viri
Interior Genius recondat.
Vileſcit formæ gloria; pectoris
Index fert annos, Ingenium & manet,
Corpore per cineres ſoluto:
Pennis Vir prudens permeat æthera,
Et cedro ſemper digna volumina
Sandius in Friſiis loquetur.

Ad Parentem amantiſſimum.

clↄ. Iↄcxxxi. xxi. *Oct.*

CARMEN NATALITIVM.

FRigora poſt blandos redeunt Brumalia Soles,
Et pulſo nobis Vere recurrit Hyems.
Pro Zephyris,ſtrident, jucundam halantibus auram:
Et ſiccus Boreas præcipiteſque Noti.

Infremit

nfremit adverſo tempeſtas horrida cælo,
Ventorum nulla ſtat regione fides.
Frondibus ac ſylvis Aquilo decuſſit honorem,
Suaviloquo nullum perſonat ore nemus.
Non flores violaſque legunt per prata puellæ:
Deſtituit pulchras forma Venuſque roſas.
Sic læti ceſſêre dies, rediêre procellæ:
Temperat alterno ſic Deus orbe vices.
Et tibi jam, Genitor, pulſis melioribus annis,
Canities venis rugaque frontis adeſt.
Nec bona tam ſequitur, quam quæ defloruit ætas:
Hæc eſt ærumnis plena ſcatenſque malis.
Sic patimur, donec mortales vivimus annos,
Et nos inviſæ tædia lucis habent.
Stat ſua cuique dies & inevitabile Fatum:
Omnibus eſt vitæ lex data, meta mori.
Non Pietas, non rara Fides, non Cenſus avorum,
Non aliquam Virtus afferet ulla moram.
Cum viſum eſt Superis, nobis mors incubat atra,
Et vita occulto labitur acta pede.
Felix! qui tacitos egit virtutibus annos,
Et non in fragili ſpem ſibi ponit humo.
Qui Muſas pro dote colit, noctemque diemque
In vera ponit cognitione Dei.
Hæc Te, Chare Parens, commendat gloria vivum,
Major poſt Cineres illa futura tuos.
Hoc docet, & feris ſcribet Leoverdia faſtis:
Hoc de Te multo Friſia teſte probat.
Hinc bene Cumæam, tuta ſub Pallade vitam,
Et meliore loco vivere dignus eras.
Temporaque emeritus Pylios traducere in annos,
Et medio Muſis nunc Helicone frui.
Sed, ſi tam nobis & ferrea ſæcula Mundo,
Virtuti ut nullus conſtituatur honor:
Otia ſi dederint & mollia tempora Muſis,
Cætera pro vili pro nihiloque putas.
Sponte, ſatur vitæ, delatos ſpernis honores,
Et cane res fluxas pejus & angue fugis.

Ter Te ſorte tua cenſes decieſque beatum,
In caſum ſi Te ſoſpite Cæſar eat.
Et ruat in ſubitam Meretrix Tarpeja ruinam,
Cum meritò pœnas ſuppliciumque luet.
Hæc multis ſuperant ſolatia rebus in arctis;
Sunt hæc Chriſtiadum vota, preceſque tuæ.
Et nihil eſt majus, quod poſcere Numina poſſim,
Hoc ſi te nobis Soſpite Fata ſinant.

In Reditum

Venerabilis & celeberrimi Viri,

D. IOANNIS BOGERMANNI,

SS. Theol. Doct. & Profeſſ.

ERgò ades & Patriæ felix allaberis oris,
Numine cui toto mens animuſque calet.
Soſpes ades, Vir magne, malis exercite multis:
Orci de medio limine ſoſpes ades.
Scilicet invidiam contra, vulgique furorem
Vivis, & in tantum non cadit umbra Virum.
O bene! quod nobis ſic Dii favêre: quod iſtum
Lugdunâ reducem clade dedere virum.
Qui tanto major ſpatioſi finibus orbis,
Et cælum ſupra Terrigenaſque ſapit.
Cujus ad Eloquium totus ſtetit orbis & Orcus
Attonitus: tali protegit ore Fidem.
Quem ſi damnaſſet Stygiis trux Atropos umbris,
In luctum & lacrymas Belgica tota fluat.
Et dudum pullam mœrens Eccleſia veſtem
Induat, à tantis obſtupefacta malis.
Quod felix fauſtumque ſiat, Vir Magne, precamur
Optatos Reditus & nova Penſa Tibi.

Amplif-

Ampliſſimo Viro,

D. AHASVERO à VIERSEN,
I. V. D. Quæſtori Provin. & Syndico
Leoverd.

QVod donem lacrymas & Flebile Funus Amici
Ne malè, VIERSENI, conſule; juſſit amor.
Hæc facies & vita hominum. Quo diſcimus, unam
Non Iuvenes Nemeſin, Fata eademque pati.
Hic amat; ille dolet chari conſortia lecti:
Illa Virum tumulo ſervat; at illa Toro.
Sic tædas, interque faces ſe vita reſolvit.
Heu! quàm diſſimili ſed face vivit Amor.
Nos ſumus in blandæ Veneris modò regna recepti,
Tu colis ISKIADEM; Me meus Ignis habet.
Nec mare tot ſpumans undis, tumidumq; procellis
Sopiat urentes corda jecurque rogos.
Sit felix hæc Flamma Tibi, Nobiſque perennet!
Non locus hic Parcis triſtibus, at Veneri.

Cl. Viri,

D. MEINARDI SCHOTANI,
SS. Th. Doct. & Profeſſoris.
Operi Theologico inſcriptum.

PRiſca tenebrarum, pluſquam Cyclopea Mundum
Sæcla tenent; Ætas deteriorque redit.
Tu nova Lux, SCOTANE, extremo naſceris orbi,
Qui tenebras pellis Cimmeriumque chaos,
A Patrio Phoenix ordiris funere vitam,
Et deploratis nunc Cynoſura malis.
Peccatis hominum, vitioque iraſceris omni:
Delicium Virtus ſola Deuſque Tibi.
Intrepidus CHRISTI miles, furis ore manuque
In Styga Tartaream, Panitiumque gregem.
Et ne jam toto deſcendat corpore peſtis,
Mentibus afflictis utilis addis opem.

Pharmaca cœleſti miſces fragrantia melle,
Et merum loqueris nectar & ambroſiam.
Miratur tantum Majeſtas Friſica Vatem,
Hactenus Eloquiis obſtupefacta tuis.
Nunc etiam doctos per ſæcula digeris ungues,
Vt poſſis ſerâ poſteritate legi.
Sic nunquam moreris. Suadæque æternus honore
Corporis Ingenii damna rependis ope.

Ampliſſimo Viro,

D. GERARDO KETH, COS.

SIc iterum querimur vulnus fatale Sororum,
Præſidioque ſui Numinis orba Schola eſt.
Tu ſpes una novem, KETHSI Doctiſſime, Muſis:
Quo ſolùm Aoniæ nititur artis honos.
Tu præter ſpumas pelagi, ſapis altius undis,
Et vulgi damnas otia fœda ſitu.
Dii facerent! noſtra poſſes non urbe revelli;
Sed Patrii longùm Sceptra tenere Fori.
In caſum inclinat diſcordi Friſia Fato,
Et res in ſcopulos exiliumque ruit.
Tu poſſes aliqua rem lapſam parte juvare,
Et medicam nobis ferre patronus opem.
Si liceat per Fata, velim remorarier Auſtros,
Et dare luctantes in ſua vincla Notos.
Nec tibi propitium peteretur claſſibus æquor;
Aut flueret votis unda vel aura tuis.
Heu! nihil obniti quòd fas, aut tendere contrà.
Stant adamantæis Fata revincta vadis.
Phœbus ubique jacet. Nulla eſt reverentia Vatum:
Deſpicitur Pallas proteriturque pede.
Tu nunc ter gemino, KETHSI, ſublimis honore,
AURIACUM multa ſæpè juvabis ope.
Principibus coram magnis, Mundique Dynaſtis
Auxilium Iudex conſiliumque dabis.
Nos mare, nos undas inter ſpumamque miſelli
Vivimus: Hìc Muſas nunc tenet alta quies.

Tu nunc vade decus Magnum; Laus ampla tuorum,
Et Noſtri in Batavis Vive Valeque memor.

STRENA,

Ad Parentem Chariſſimum, in vitâ poſtrema.

EMenſus Cœli ſpatium, gelidoſque Decembres
Sidera molitur per nova Phæbus iter.
Lucentemque ſuis accendit lampada terris;
Damnaque nox patitur, quæ tulit antè dies.
Vmbrarum vileſcit honos. Et lumine puro
Per cœlum niveis Cynthia fertur equis.
In virides annos redit, & Natalia Ianus,
Exoſus ſenium canitiemque ſuam.
Sic effœta novâ pubeſcunt Tempora pube,
Et poſt cana redit frigora Veris honor.
Nos ubi naſcentis metam tranſcendimus ævi,
Præcipitem in mortem vadimus & tenebras.
Nec fas in lucem primamque redire Iuventam,
Cum ſemel adſpectum ruga ſenilis aret.
Candida ſed toties reparat ſua cornua Phœbe,
Et ſoliti Titan permeat Orbis iter.
Sic utinam! nobis cum decreſcentibus umbris,
Non animi creſcat cura laborque novus.
Nec triſtes redeant alterno ſidere menſes:
Frigore ſopito nulla recurrat hyems.
Temperies nobis rerum ſit læta precamur:
Sint nitidi ſoles, Halcyonumque dies.
Læta triumphales maneat Victoria Belgas,
Et ſpolium nobis prædaque cedat Iber.
Pulſa Foro Pietas priſcos inſtaurèt honores,
Et redeat terris intemerata Fides.
Hoſtibus eveniant, quæ nobis dira minantur,
Et Babylon pœnas ſuppliciumque luat. (nos,
Tu quoq;, Chare Parens, Pylios cui comprecor an-
In ſano felix corpore vive diu.
Vive diu, longumque levent Tibi Fata dolorem,
Et multam præſtet proximus Annus opem.

In Nuptias,

Doctiſſ. Viri,

D. NICOLAI SCHOTANI, I. V. D.

& *Advocati.*

SIc Tibi, ſic multo curarum faſce ſoluto
Poſt viduas noctes, Vita, SCHOTANE, redit.
Bis voto Lucina favet. Bis ducitur Vxor
Moribus, Ingenio, Divitiiſque potens.
Quod pridē ANTHONIA luxiſti in Conjuge vulnus,
Hoc Conjux medicâ jam nova ſanat ope.
Nulla parte miſer. Quantum nocuere Novercæ,
Reddidit hoc amplo fænore dives Amor.
Sufficit IOSINA tuis ſolatia rebus;
Dat Tibi quæ vacuum nubibus ire diem:
Et Fato meliore frui. Sic Numine dextro
Felicem invenit ſpes tua, SPONSE, viam.
Hic ſtudiis debetur Honos. Ita nubere Muſis
Convenit in Friſiis, Docte Schotane, tuis:
Qui proavûm clarus titulis famaque Tuorum
Innocuo Cauſas ore Patronus agis.
Hoc felix IOSINA Viro! Quo pace ſub almâ
Vivis, & antiqua Relligione Togæ:
Ac tuto ſtas ipſa loco; Vis nulla nefaſque
Audeat in ſancti linquere Iura Thori.
Et dabit ex æquo partes Tibi Sponſus amorum;
Poſtulat officio quicquid amicus Amor:
Et pietas caſtique monet reverentia lecti.
Sic patitur leges Arbiter ipſe ſuas.
O utinam! ſic perpetuum Fortuna maneret,
Floreat ut multâ prole Fideque Domus.
Et nova Magnanimis redeat Victoria Belgis:
Qui nimiùm dubio Marte tuemur opus.
Tunc mea Naſſoviis, pullo quæ ſordet amictu,
Principibus lætùm Muſa Trophæa canet.

In

IN TRISTES EXEQUIAS
Cl. Viri,
D. GEORGII PASORIS, L. A. M.
in Illuſt. Friſ. Acad. Gr. Litt. Profeſſ.

Pieridum Muſis alibi nova regna reſurgunt:
Muſarum nobis occidit omnis honos.
Et, quondam pleno Friſios quæ fonte rigabat,
Infæcunda ſuis Cyrrha rigeſcit aquis.
Floruimus, retroque ruit Parmeſſidos unda:
Pallida funeſtum Mors Helicona tenet.
Non viles animas rapit, aut ignobile vulgus:
Præcipua Heroum pectora ſternit humi.
Hoc gaudet, ſtraviſſe viros, Floremque Minervæ:
Quo ſolùm placat ſanguine ſe Nemeſis.
Nec ſatis, ingenti proſtratum vulnere Phæbum
Pene ſuos manes deliquiumque pati.
Vlterius gliſcit rabies. Niſi plena cruoris
Non miſſura Cutem. Totum Acheronta movet.
Iamque iterum, poſt tot clades & damna Lycei,
In formidandas ibimus exequias.
Eheu! PASORIS Magni venerabile corpus
Inferimus terris marmore ſub gelido.
PASOREM Mors dira rapit. Vah! impia fata!
Vnus quo poterat Muſa Pelaſga loqui.
Poſteritas mirare Virum:Quem Numina tantis
Ornarunt Titulis Ingeniique bonis.
Si poſſet Pietas ſociâ cum Pallade pingi,
Non aliam pingi poſſet in effigiem.
Quas lacrymas, ô magne Virûm,quæ damna Iuven- (ta?
Plus quàm Cannenſi Friſia clade ſtupet.
Occidit Aonidum decus & tutela Minervæ;
Pars deſiderii maxima Phœbe tui.
Et nos obſcuræ noctis gradiemur in umbram,
Ni melior nobis luxerit axe dies.
Et fruſtra à Tameſi TWISSOS,Galloque PETITOS
Poſcimus; Incaſſum ſuſcipiturque labor;

Si ſtatuit noſtras Phœbus marceſcere Lauros,
  Et fas in Friſiis noctem hyememque pati.
Dii melius! fractoſque juvet ſupplere maniplos;
  Cum Patria & ſtudiis parcite Pieridum.

Reverendo doctiſſimoque Viro,

D. ALBERTO NYENHUIS,

Avunculo & Eccleſiaſtæ Neocleſiano.

De vectigali apud Friſios Doctoratu.

GELDRIA quòd lætos peragat gaviſa triumphos,
  Lætor, & ex voto quod Tibi vita fluat.
Nos quoque vitalem ſecuri ducimus auram,
  Et bene, ſit Superis gratia, Fata favent.
FRISIA ſed crebros agitat pro more tumultus:
  Heu! nimis in laudes ambitioſa ſuas.
Sæpius in Patrum diſcors mandata repugnat,
  Nec patitur durum ferre ſubacta jugum.
Indomiti virtus populi, vis enthea quondam;
  Et nihil invitis cedere jure ſuo.
Nunc tamen in mores antiqui deficit ævi,
  Imminuens laudem multa frequenſque ſuam.
Nec Capita in cenſum patitur fundoſque venire,
  Et qui de tenui Ceſpite fumus abit;
Prô pudor! Aonias cogit ſervire Sorores:
  Eſt vectigalis Laurus, & artis honos.
Non aliter fas eſt nobis inviſa revertant
  Sæcula Licinii, fœdaque Barbaries.
Et meritò cedant Friſiis Parnaſſia terris
  Munera: ſi Phœbo tollitur omnis honos.
Si non jure ſuo Latialis Muſa fruatur,
  Nudaque Doctorum vapulet umbra Virûm:
Sufficit inſanum Cenſu mulctare Lyæum,
  Et rapere in prædam prædia, tecta, larem.
Omniaque uſuris mordere, abradere ſummam
  Carne cutem, cunctas perdere gentis opes:
Quàm vectigali conſtringere compede Muſas,
  Nec ſinere Ingenii liberioris iter.

Hæc

Hæc nobis facies Rerum, Reverende Sacerdos:
  Quæ meliore fluant ſidere, Numen agat.
Et Tu cum charâ vitæ Conſorte Valere
  Nobiſcum poſſis, Dulcis Avûncle, diu.

MVNVS NATALITIVM
Ad Chariſſimum Parentem,
Cum Ætatis ſuæ annum ingrederetur LVI.
21. Octob. 1636.

CHare Pater, redit alma tuis Natalibus hora,
  Iamque ſalutifero lucet ab axe dies:
Læta dies, plenis ſtagnant qua gaudia rivis,
  Hyblæis recreat pectora noſtra favis.
Sic nos cura ſumus Superis. Dii noſtra tuentur
  Gaudia, propitiis vivimus auguriis.
Nec morimur toti, quibus eſt reverentia Divûm,
  Et curæ Pietas Aonidumque labor.
Dum vulgare mori, paſſimque occumbimus umbris,
  Et latè ſerpit peſtis & ira Deûm:
Nos vitam ſolitâ ſartam ſtatione tuemur,
  In precibus ſalvi præſidioque Dei.
Alterius cineres lacrymis & buſta rigamus,
  Et Muſa in multos officioſa rogos.
Quod rarum nobis, quod vix hæc tempora poſcunt,
  Nunc plaudens toto pectore Muſa ſalit.
In tua ſe totam vegetat Natalia rurſum
  Funereis dudum ſaucia Muſa malis.
Dum plorant alii, dum tundunt pectora palmis,
  Et feriunt triſtes ungue manuque genas:
Nos læta inſolitis molimur gaudia plectris,
  Annua natalis dum redit hora tui.
Sic medias inter creſcetis Lilia ſpinas;
  Sic vernat gelida ſub nive fronde Roſa.
Nos una non ſorte beas Deus optime: Centum
  Obruor officiis, afficiorque bonis.
Gratia ſi tanto Superis pro munere grata,
  Plena ſuis numeris gaudia fine carent.

Clariſ-

Clariſſimo Viro,

D. BERNHARDO SCHOTANO, IC.

Et Profeſſori Iuris Primario Lugd. Batt.

Cum mitterem Tyrocinium Eloquentiæ.

HÆc ſunt, quæ nuper Thymbræi ad Apollinis a-
Pieridum cecinit Pubes generoſa theatris, (ram
ALMERIÆ coram Populo. Doctæque Minervæ
Prima rudimenta, & magnarum nobile rerum
Auſpicium. Herculeis ne quid Conatibus impar
Radat iners littus, vitamque ingloria ducat
In tenebris animoſa cohors. Tu, magne Virorum,
Auſonii vindexque Fori, Legumque Sacerdos
Inclyte, SCHOTANE, ingenuis applaude Iuventæ
Laudibus, ac ſtimulis animos & pectora coge
In majus. non ipſa ſibi benè ſufficit ætas
In parvo. facilemque ſui dat fracta ruinam,
Si non conſilio, & fidis ſubnixa potentum
Auxiliis, thyrſo ſæpè impellatur honeſti.
Sic vivos ignes facilè accipit arida meſſis,
Nutrimenta feras ſi circum, habilemque miniſtres
Materiem, largèque foco ſi ligna reponas.
Clare Vir, AURIACI Decus immortale Lycei,
Barbariæ contra peſtem, oſoremque ſuperbum
Licinium Phœbi Procerum, defende Camænas,
Teque diu nobis ſtet Soſpite ſoſpes Apollo.

Doctiſſimo Præſtantiſſimoque Viro,

D. IOANNI BRUNONI, *Cum à functione Scholaſticâ ad Eccleſiæ miniſterium vocaretur.*

HActenus Aonidum ſacraſti tempora Muſis,
Et nobis ſociâ Pallade junctus eras.
Almeriæque tuæ pubes concredita curæ
Officii debet nomine multa tibi.
Devinctuſque mihi ternos Collega per annos
Vixiſti cunctis gratus, amanſque Dei.

Poſthac

Poſthac BRUNONIS vox hîc facunda ſilebit,
Et ſapiet forſan noſtra juventa minus.
Pro pueris, toties qui obtundunt voce Magiſtrum,
Grandibus implebis vocibus ora Virûm.
Sacra Sionæas quaties per pulpita laudes,
Ingentemque feres celſa ſub aſtra Deum.
Gratulor in CHRISTI ſuſceptam nomine Spartam,
Qui CHRISTI in terris ſacra locumque tenes.
Et precor EGMONDÆ poſſis ad littoris oram
Non minus ut nobis, utilis eſſe DEO.

Clariſſimo & Doctiſſimo Viro,

D. IOANNI ANSTA, Med. Doct.

In obitum prudentiſſimæ Vxoris.

Kal. Iuniis CIↃ. IↃCXXXVII.

SIc nunc, Magne Virûm, Dilectæ Conjugis Oſſa,
Deliciaſque tuas proſequeris lacrymis.
Eheu! quàm dubium mortales vivimus ævum!
Quàm res eſt hominum, ſpeſque caduca nimis!
Vt flos manè virens ſero cum Veſpere languet:
Sic celeri inconſtans turbine vita fugit.
Ergò unà periere omnes in pectore ſenſus,
Triſtitiam præter materiemque mali.
Exoſus manes amens inquiris amantem,
Vitæ quæ fuerat Duxque Comeſque tuæ.
Sic turtur ſua fata dolet, ſubque ilice mœſtâ
Flebilis, exſtincta compare, pangit epos.
O! quàm difficile eſt vitæ conſorte carere;
Et non ad curas Conjuge poſſe frui.
Conjuge ſub tali Pallas miteſceret ultrò,
Et rigidus ponat Cato ſupercilium.
Fœmineum ſupra ſexum laudabilis Illa,
Et rarâ Morum dote fideque fuit.
Quod poterat laudare Virum, MARIA tenebat;
Iudicio, fallor? major, an Ingenio?
Quod poſſit frænare tuos, Vir Clare, dolores,
Conjugis exemptæ Nomen Honoſque facit.

Argue,

Argue, non Medicos. Fato parêre neceſſe,
Quando ſuum virus Mors truculenta jacit.
Nulla ſoporiferis aconitis cura medetur,
In mortem & Parcas Pharmaca nulla juvant.
Omnia ſunt nihili. Medici migrabimus ipſi:
Nec datur in gelidos ulla medela rogos.
Deſine luctari. Cæloque aſtriſque recepta
Humanas Vxor ridet & odit opes.
Inter cælicolûm turmas de carne triumphat,
Et coram CHRISTO gaudia dives agit.

In Natalia

PARENTIS Chariſſimi.

cIↄ. Iↄ. cxxxvii. xxi. *Octob.*

ERgò novi redeunt, Natalia feſta, triumphi,
Et feriunt lætas gaudia bina fores.
Altera lux Batavis ſacra eſt; lux altera nobis:
Hæc Patriæ Patrem ſervat, at illa meum.
AURIACUS Virtute ſuâ concuſſit Iberos,
Tot furias contra Martiaque arma Tagi.
Nos agimus Stygiâ totidem de morte triumphos,
Contra vim Lethi Tartareamque manum.
Vicimus adjutore DEO: qui pugnat in hoſtem;
Qui vult Neuhuſium ſurgere nomen humo.
Quo ſi cœlipotens in Belgas pergat amore,
Belgica tranquillæ tempora pacis aget.
Priſca ſuos repetet tandem Germania faſces,
Totque ærumnarum tempore finis erit.
Et Tibi, chare Pater, poſt tot diſcrimina vitæ,
Natales aderunt candidiore polo.

In Mortem

Magnæ ſpei Iuvenis,

GERARDI HENRICIDES.

EHeu! ſic iterum tenebroſis clauditur umbris,
Qui Flos, quique decus nobile pubis erat.

Qui,

Qui, poſt Pieridum Muſas ſudore ſubactas,
Strenuus armatam Pallada miles amat.
Eheu! nunc GERARDE jaces ſub marmore duro,
Sic Martem ſubigit mors truculenta tuum.
Te gelidi Cineres, te pars inviſa Cupreſſi,
Nunc tua lethiferum pectora frigus habet.
Vermibus eſca jaces nigris adoperta tenebris,
Sub tumulo putris vermibus eſca jaces.
Invida mors ſine lege rapis juveneſque ſeneſque,
Intrepidumque pudor Tartara nullus habet.
Heu! Cognate tuos ſuſpiro carmine Manes,
Supplicium nobis mors luet inde ſuum.
Ira furorque meus Stygiis armata Cicutis
Vltrices acuunt in fera fata manus.
Chare Deo Iuvenis! poſt dira pericula Mundi,
Nunc frueris cœlo contuituque Dei.
Cum Iove, cum Superis æterna veſceris aura.
Hîc feculenta bibis mortiferumque ſalum;
Illic Angelici ſtipant tua terga Miniſtri,
Conſortes magni Numinis inter ovas.
Nos mala damnoſi patimur ludibria Mundi,
Te fortunatum vita perennis habet.
Gratulor æthereos tibi nunc GERARDE triumphos,
Divitias animi deliciaſque Poli.

Præſtantiſſimo Doctiſſimoque Iuveni,

D. PIBONI DOMA, LL. Cand.

nunc I. V. D. & Ordd. Friſiæ Delegato.

CRedite Friſiades. Et nunc Capitolia nutant
Franica: ſic doctos præmia parva manent.
Et vereor, totus ne Phœbi concidat axis,
Aonidumque ruat ſemiſepulta domus.
AMESIO nuper vitam Mors abſtulit atra,
Iam METIO vitam mors truculenta rapit.
Vix tumulo libatus honos; necdum atra cupreſſus
Intepuit buſtis; Præfica triſte ſonat.

Sic

Sic nunc in Batavas flagrant contagia Muſas,
Et fugiunt pulſæ toto Helicone Deæ.
Sat pœnam luimus Superi: Iam parcite pœnis.
In ſcelus, & vulgi ſæviat ira gregem.
Quid Muſas, imbelle genus, damnabitis Orco?
Non talis Stygium præda Acheronta decet.
O bene! quod noſtro redeas Lux, DOMA, Lyceo;
Et revoces Muſas, Barbariemque domes.
O bene! tabificos Batavûm quod fugeris ignes,
Et Patriæ ſoſpes ſedibus hoſpes ades.
Franica pro tantis meritis & munere debet
Inclyta cum Lauris Pilea, DOMA, Tibi.
Sed metuo; Magni SCHOTANI à ſole futurus,
Vmbra, procul noſtris mœnibus exul eas.
Sic iterum nobis Fato lugemus ademptam
Pallada. Sic noſtras poſſidet alter Opes.

Reverendo & Clariſſimo Viro,

D. ADRIANO SNELLIO, Med. D. &

Oratori Theologo.

Pro Auſpicio Anni Novi 1643.

SNELLI, qui Divûm modularis carmine laudes,
Iſacidumque choros Myſtica ſacra doces;
Atque Hominum mentes non Suadâ proluis unâ,
Et tot Pieridum munia clarus obis;
Hoc optem, Vir chare, Tibi, dum Lucifer annum
Inchoat, & Circi grande peregit iter;
Incolumis Pylios ſine curis vixeris annos,
Ingenuumque feras celſa ſub aſtra caput.
Invidiam contra & dentem Livoris iniqui,
Telaque in exitium ſæpe parata tuum.
Forti animo perfer, Tibi quod Cenſura Potentum
Imperat, aut mundi ſubdolus urget amor.
Nec CHRISTI erubeas partes nomenque tueri,
Et ſimul afflictis ferre Machaon opem.
Hic animas ægras; hic corpora noxia curans:
Vtraque ſic meritò præſtet arena Virum.

Vt qui non unâ ſortitus Pallade famam,
Vnius haud poſſis currere laudis iter.
Duplex debetur duplici pro munere merces;
Sed par eſt meritis gratia nulla tuis.
Hoc faxit favor, & Superûm clementia nobis,
SNELLIUS ut clari ſideris inſtar agat.
Et Momi adverſum rabiem, Synodumq; tonantem
Præſtet inoffenſam proximus Annus opem.

STRENA
ad
Parentem Chariſſimum, pridie Anni
clↄ. lↄcxxxvii.

Sic gelidum claudit Iani Lux alma Decembrem,
Et longum Phœbus circuit Orbis iter.
Sic Soles Annique ruunt,& labitur Hora,
Nec lentas patitur noxque dieſque moras.
Sic, qui deciduo cum Veſpere mergitur undis,
Purior Eoïs Lucifer exit aquis.
Sic hyemem molles Gemini, Ver excipit Æſtas,
Autumnique facit Pleïas orta dies.
Sic, quæ frigoribus ceſſavit vomere tellus,
Depoſitas largo fœnore reddit opes.
Candida naſcuntur redivivis Lilia pratis,
Et nitidis agmen floribus hortus alit.
Alternat Natura vices, velut æquora fluxus,
Et freta perpetuus vaſta refluxus habet.
Nobis, cum vitam ſemel Atropos eripit una,
Nunquam vita redit viribus aucta novis.
Ad tumulum rapimur; flos & citò deperit ævi:
In virides annos nec remeare licet.
Seu roſeas prima pulcher lanugine malas,
Seu fatale caput ruga ſenilis aret;
Virgo Puerque ſias, Lethæi fluminis undas,
Plenaque mortifero pocula felle bibes.
Non te dives Avûm cenſus de morte reducet,
Non Pietas Lethum triſte rogoſque domat.

Nec

Nec tanti Doctrina potens, non gloria tanti;
  Imperio ut cedat Mors truculenta ſuo.
Tu ne, Chare Patens, mortem patiâre propinquã,
  Hoc Superos ſupplex voce manuque rogo:
Et ne plus nimio damnatis fabula terris
  Corporis afflicti diſcruciêre malis.
Vive diu Nobis, Muſis, Patriæque ſuperſtes,
  Donec perpetuæ gaudia lucis agas.
Et Nobis cœlo qui nunc Novus imminet Annus,
  Hic Tibi propitio Numine proſper eat.

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMOND à NIEVBVRCH,

Coſ. Alcm. & VVeſt-Friſiæ

Præſidi.

Kalend. Ian. CIↃ. IↃ. CXLIII.

NIEUBURGI, Procerum Flos illibate Batavûm,
  Gloriaq; EGMONDÆ prima decuſq; Domus.
Hic, Batavis, precor, ut vortat Feliciter Annus,
  Vtque Tibi ex omni tempore proſper eat.
Et nulli Veſtrûm ſors in contraria vergat;
  Sed placidis ſemper Cymba feratur aquis.
Abſint terribiles à tergo ſemper Erynnes,
  Vitaque inoffenſo tranſeat acta pede.
Convulſæ rurſum reparentur tecta Sionis,
  Aurea & in toto fulgeat orbe quies.
Maurorum rabies, jam tot regnata per annos,
  Expers conſilii, mole ruatque ſuâ.
Belgica Libertas, fulvo ſubnixa Leone,
  Fatorum nullo concidat icta metu.
AURIACUSQUE Pater, famâ qui Sidera lambit,
  Heſperidum cogat ſub ſua jura DEOS.
Noſtraque Palladiis ſtudiis imbuta Iuventus
  In Batavis olim nomina clara ferat.
Et tuus Aſcanius, tua per veſtigia ſerpens,
  Admotus clavo Pallade clarus agat.

Ad

Ad Ampliſſ. & Spectatiſſ. Virum,

D. IACOBVM A COREN,

I. V. D. & Scholarcham.

Cum in primarium SCABINUM *eligeretur.*

PRudens SCHOLARCHA, Flos Decuſq; Virorum,
Quem juxta ſuas Pallas amat Sorores,
Cui doctem indulget Themis leporem:
Omnis Te chorus, Te nobilis Iuventus,
Adorat unum. Ter & quater beata,
Felixque nimis, Tali Pubes Patrono!
Salve CORENI; ſalve magne SENATOR,
Non una Lauro Laudibuſque decore.
Cui nunc ASTRÆA claros pandit honores,
Et Faſces purpurei donat Senatus.
Infracti Catonis inſtar, irretortis
Qui Fas & Æquum Legibus miniſtras.
Duplex CORENIUM Adorea ſequetur,
Virtute parta: quod optimus SCHOLARCHA,
Audiatque ſemper Optimus SENATOR.

Nobiliſſimo Viro,

D. ADAMO FORESTO, M. D,

Cl. Conſuli, & Patrono ſuo.

Cum delicias hortenſes miſiſſet.

DVm patimur priſcæ Vates diſpendia Floræ,
  Dum ſolùm nobis area nuda patet;
Et, duras inter ſilices, vix Solis aprico
  Hic fruimur, vitis parvaque inumbrat humum;
Tu, totos habitans ramis felicibus hortos,
  Alcinoum præſtas, pauperiemque levas.
Et quos fœta Tibi fœtus Pomona miniſtrat,
  Hæc nobis fætus parturit alma ſuos,
Ingentes etiam nobis nunc Piſcibus undæ,
  Et toto ludit ſquamea turba ſalo.

Scilicet, à pleno manatis flumine rivi,
Si Mecœnati fons fluat uber aquâ.
Dii faciant! Sit pulchra Tibi Vindemia laudum,
Floreat & Pylios læta ſenecta dies.

Extemporaneum,

Nobiliſſimo Viro,

D. THOMÆ ab EGMOND à NIEVBVRCH,

Cos. & Senat. Alcm. Præſidi

VVeſt-Friſiæ.

PRæmia diſtribuit noſtris Alcmaria Muſis:
Pro quo debetur gratia multa Tibi.
Gratia debetur claris Virtute FORESTIS:
Qui tribuunt ſtudiis munera tanta meis.
Gratia TEYLINGIS: Quorum Facundia pectus,
Et vis ingenii pulchra potenſque tenet.
Curia cum dederit Phæbi ſolatia nobis,
Et vitæ paullum liberioris iter:
Nos magis in Muſas alacres, promptique laborem
Suſcipere! ô quantum præmia Pallas amat.
Hæc coram dices, Mecænas ample, Senatu,
Nec quid de noſtrâ ſorte dolere queat.
Sat benè ſum Batavis, patriæque adſpernor honores:
Quos non invitâ porrigat illa manu.
Floreat in laudes Muſarum *Alcmaria* ſemper,
Illius & nobis teſte triumphet honor.
Alcmaria, æternis quæ mandat nomina faſtis,
Bellorum auſpiciis clara, Togæque bonis.

Cl. Viro,

D. PIERIO VVINSEMIO, IC.

Hiſtoriographo Friſiæ; Hiſt. & Eloq. Profeſſori.

SIc nos in tenerâ conamur grandia pube,
Inclyte VVINSEMI, Pieridumque decus.
Qualia non nobis indulſit FRISIA quondam
Otia, nunc agimus tutius iſta foris.

Alea

Alea dextra cadit: peperitque injuria laudem;
Ac coram Batavâ nunc licet aure loqui.
Hoc unum in Patriâ pulchrū & memorabile nobis,
Hîc quod VVINSEMII fama perennis agat.

Reverendo, Cl. Viro,

D. MEINARDO SCHOTANO

Theol. Doct. & Profeſſ. in Acad. Ultraject.

EN Tibi Neuhuſio Almeriam ſub vate Iuventam
Herſiliæ priſcis dicere verba modis.
Et nunc in Batavis Romana imitarier ora,
Præbuit ut nobis Tullius ille pater.
Tu, quæſo, noſtræ ne dedignâre Iuventæ,
SCHOTANE, attentâ conbibere aure ſonos.

STRENA

Ad Reverendum & Cl. Virum,

D. ADRIANUM SNELLIUM, V.D.M.

& Med. Doct. ac Scholarch. Alcm.

Kal. Ian. cIↃ. IↃ. CXLI.

ANnua dum Phæbi celebrat natalia mundus,
Et placat I ni munere quiſque Dies:
Nos alio tibi, Myſta ſacer, nunc thure litamus,
Cœlicolumque choro munera digna damus.
Læta ſalutiferi canimus præſepia CHRISTI:
Quo non in terris ſanctius exſtat opus.
Hæc dos unâ mihi dono præſtantior omni,
Ad quam nil faciet divitis unda Tagi.
Quâ toties me dote beas, Clariſſime SNELLI,
Cum cælo ingenii me levat aura tui;
Et ſacram immulges ânimi penetralibus eſcam,
Totque epulis aures in tuâ verba trahis.
Talibus auſpiciis, priſco pro more, Kalendas,
In tua propitias tecta laremque precor.

In natales CHRISTI.

SIc peperit Virgo, poſſet quis credere? Prolem:
Et quæ mox Mater reddita, Virgo manet.
Mater Virgo manet, ſanctæque è Virginis alvo,
Mira Dei Virtus! naſcitur ipſe Deus.
Illa Fide, quamvis Oculis haud obvia noſtris,
Credimus Iſacidum relligioſa cohors.
Verus homo, veruſque Deus de Virgine naſci
Debuit, ut careat labe renatus Homo.

aliud.

Salve feſta dies! Tuus eſt natalis IESU:
Gaudiaque ex alto totus Olympus agit.
Aligeræ circum plaudunt Præſepia turbæ,
Sacra miniſteriis dedita turba tuis.
Tota ſtupet lætis rerum natura triumphis,
Et cunas Domini cuncta Elementa canunt.
Solus Homo nati ſileat Cunabula CHRISTI,
Et non collaudet pectore & ore Deum?

aliud.

Impie Mortalis! quàm te Cunabula CHRISTI
Arguerint fœdi criminis, atque nefas.
Illi vile Torus præſepe eſt, ſtramina lectus;
Et pars Hoſpitii non vacat ulla Deo:
Tu Solus Tyrio ſquallens ac ſordidus Oſtro,
Prô pudor! in molli veſte toròque jaces?
Da veniam culpæ, IESU, noxamque remitte,
Et nos ſub legem coge laremque tuum.

aliud.

Naſceris in cunis tecumque renaſcimur omnes,
O animæ portus, CHRISTE, ſaluſque meæ.
Naſceris, & mundi ſortem miſeratus iniquam,
Mortales Stygiis eripis unus aquis.
Gratiâ, CHRISTE, Tibi: quod nos à morte reductos
In cæli Solium ponere Frater ames.

Reve-

Reverendo & Doctiſſimo Viro,

D. FEICONI OETSONIO,

Eccleſiaſtæ Leoverdienſi.

Hic ſacrum mihi turget opus, Doctiſſime Vates
OETSONI, & meritos, Chriſto inſtauramus
honores.
Non ſemper Tripodas ſtultúq; Helicona crepantes,
Aut veſtros, Thymbræe, Lares. Hîc maximus au-
Immenſiq; ſator mundi jubet eſſe Poëtam, (thor,
Inſtillatque alios ignes: quibus arduus æther
Materiam inſpirat facilem, atq; alimenta miniſtrat.
Tu, Vir clare, tuo tantùm qui in pectore verſas
Conſilium mentemque Dei, nec quid ſapis ultra,
Quàm ſolùm noſtro crucifixum in crimine Ieſum,
Huc ades: Iſacidum decus indelebile gentis
OETSONI, ſacros ſine nos ſtrepere inter Olores,
Myſticaque Aoniis intexere dogmata Muſis.

Feſto Paſchali.

PASCHA tuum rediit nobis, mitiſſime IESU;
Triſtia poſt vitæ nubila, PASCHA redit.
Nunc mortis domito imperio Satanaque ſubacto
Horrendum metuunt Styx Erebuſque ſibi.
Sunt hæc pro noſtris Holocauſta oblata piaclis,
Deque illo nobis ſanguine vita fluit.
Hoc opus, hîc labor eſt, Stygium frænaſſe Draconem:
Nititur hoc uno Vindice tota ſalus.
Et nihil humanæ fallax Perſuaſio mentis
Ad decreta Dei conſiliumque ſapit.
Sufficit hic mundo devictâ morte triumphus,
Et CHRISTI nobis de cruce pendet Honos.
CHRISTE Tibi cunctis vitæ pro talibus annis
Tempore ſolenni victima ſacra cadet.

Feſto Pentecoſtes.

Nunc ſacer è Cælo nobis Oracula pandit
SPIRITUS, & vires excutit ille ſuas.

Incaluit Divûm mens ſacro afflata ſuſurro,
Doctus & eſt ſubitò qui rudis artis erat.
Hic pulchros Latio rotat in ſermone lepôres
Qui nunquam Latios viderat ante Deos.
Fit Grajus loquiturque potens Agamemnonis ore,
Cui neque Grajugenum culta Minerva fuit.
Sancte Magiſter ades divino Flamine nobis,
Et nos ſub ferulam coge Scholamque tuam.

In aſcenſum CHRISTI *in cælum.*

SIc Acheronta premens pedibus Stygiūq; draconē,
CHRISTE, triumphator magnus ab hoſte redis.
Reſtauranſque iterum mundi, poſt lapſa, ſalutem,
Parêre imperiis Tartara nigra jubes.
Iſacidum populus, vinclis poſt terga rejectis,
Carmina te domito, Cerbere, læta cânit.
Non mors ipſa potes nunc in nos amplius ungues,
Stringere, vel nocuæ mittere tela manus.
Cernis, ut in cæli CHRISTUS ſtatione locatus,
Cum PATRE, cum ſancto FLAMINE Divus agat.
Atque illi glutino fidi jungemur amoris,
Vltima cum noſtri venerit hora rogi.
I nunc MESSIAM contra molire phalanges.
Prohibeaſque meæ grande Salutis opus.
Naſcitur, & noſtri cauſâ DEUS occubat umbris;
Sed victâ rurſus Morte reſurgit ovans.

Ad incertam vocem inter ſtudia.

QVæ mihi vox trepidas noctu diverberat aures,
Sancte Deus? grates dum tibi gratus ago.
Et precor, Aonidum tuearis cælitus artes,
Sit mihi, ſitque meis ſedula cura tui.
Dum ſtudiis operor, doctæque incumbo Minervæ,
Hîc aliquid fallax Dæmonis aſtus agat?
CHRISTE potens, cui noſtra uni deſerviet ætas,
Fac omni careat noſtra Thalia metu.
Et tranquillus agam ſaxis in parte cubilis,
Neve meos turbet Larva vel umbra lares.

Si quondam fuit illa domus Mammonis iniqui,
Nunc Schola, nunc ſtudiis eſt locus ille piis.
Talia Tarpeiam deceant ſpectacula Romam,
Eſt ubi fictitius præſes & ipſe Deus.
Hîc Pietas, hîc rara Fides, cum Pallade Virtus,
Optima ſelegit tecta Laremque ſibi.

Cum Alcmariâ in Patriam irem.

FRISIA dum petitur, ſpatioſi Rector Olympi,
O age ſiderius proximus Ales eat.
Qui maris irati furias, qui temperet undas;
Neve aliquo lateat gurgite Syrtis, agat.
Vt benè natali Genio Patriæque litemus,
Et ſatis antiquæ fiat amicitiæ.
Duc nos, CHRISTE, tuo ſinuoſa per æquora ductu:
Poſt reddar totus, Battava terra, tuus.

Sacram Ædem aditurus.

ALme Deus, noſtri reſera penetralia cordis, (to.
Dum tua nunc Vates Templa Laremq;pe-
Aliger æthereâ dimiſſus Nuncius Aulâ
Diſſipet ingenii nubila luce ſuâ.
Vt penetrent noſtros divina Oracula ſenſus,
Et Fidei nobis Spiritus intus agat.
I procul Aonidum, procul ito cura Sororum:
Non locus hic Muſis; ſed ſacer ille DEO.

STRENA.

Ad Nobiliſſimum Virum,

D. IACOBVM à TEYLINGEN, IC.

Cos. & Scholarcham Alcm.

SOſpite Te nobis redit in Natalia Titan,
TEYLINGI, Batavûm ſanguine nate Ducum.
Cumque annis Tibi creſcit Honos, Generiſq; vetu-
Clarior à priſcis nomine fulget avis. (ſtas,
Quot Soles annique Tibi ſunt Feſta peracta,
Tot vitæ numeras clara trophæa tuæ.

Curia, Relligio, Pallas tibi jure tenentur,
    Quod ſint auſpiciis tam benè geſta tuis.
Hoc utinam! fauſto cedat mihi pignore Ianus,
    Vt redeant Iani tempora crebra Tibi.
Sanctaque convulſæ reparentur tecta Sionis,
    Et pulchrâ Belgis pace revertat amor.
Tu quoque, Mecænas, Quem nunc tardante Senectâ
    Morbus habet, Phœbi gaudia lætus agas.

Conſultiſſimo Viro,

D. PAVLO SVVANENBVRCH, IC,

Senat. Leid. & Advoc. graviſſ.

QVi Veterum ingentes involvis pectore Faſtos,
Et tantum ſublime ſapis, magnique parentis
Æmulus, Aſtræâ cum Virgine dividis Æquum,
Nunc tua cum doctis diſpungens otia Paulis,
Nunc Decios Numaſq; animo calamoque recudens,
Huc age, Magne Virûm. Sileant Oracula Baldi,
Et paullùm ſecurus ades, rigidumque Catonis
Mitte Supercilium. Quam cernis, Epiſtola plauſum
Sollicitat jam prona tuum, Vobiſque probari
Se cupiat: ſi fortè tuum ſortita favorem
Aëra per vacuum ſpectet felicius auras.

Cl. Viro,

D. THEODORO VRYBVRCH, Med. Doct.

Rei Numm. Præf. & Senat. Alcm.

HÆc Tibi Cantabricas enarrat pagina pugnas,
    Hîc iterum Batavus Colchide Victor ovat.
Spes cadit, Hiſpano rumpuntur & ilia Regi,
    Mergitur hîc multâ cum Galeone Tagus.
Quos pudeat Morinos unquam vidiſſe, pigebit
    Hos quoque tam parvâ ſuccubuiſſe manu.
Sic illos periiſſe decet, qui perdere Belgas
    Priſco Terrigenûm perdere more rati.

Ergò

Ergò iterum Pharios Batavi domuere Tyrannos,
Et jocus & mundo fabula factus Iber.
Hoc Tibi BARLÆUS nitido ſic carmine pingit,
Quàm ſi unà in mediis fluctibus arma gerat.

Reſponſio Cl. D. VRYBURGI.

BARLÆI *numeros, tinctos à ſanguine Mauri,*
Et medio Batavûm parta trophaa mari,
Quam volviſſe juvat! Cernas hîc Actia bella,
Caſibus & Fatum par, Cleopatra, tuis.
Parque tuis, Xerxes, qui quondam mille carinis
Vela dabas, certus perdere Grajugenas.
Scilicet in cœlo conatus ridet inanes,
Involvitque metu corda ſuperba Deus.
Hoc, mundo coram, non uno teſte probabit
Olim Belgarum ſanguine plenus Iber.
Quem nunc AURIACUS *ſuperat terrâque marique:*
Pro quo nunc pugnant cuncta elementa Duce.
I nunc Heſperiæ ad fines, & linque Batavos,
Factus ubi Mavors præda pudorque tuus.
Illuc ſervitium, cædes, & mille rapinas,
Inque pati doctos bella nefanda trahe.
Fata jubent Batavas poſt terga relinquere terras:
Nunc ubi pro nobis militat ipſe Deus.

Conſultiſſimo Clariſſimoque Viro,

D. BERNHARDO SCHOTANO, IC.

& in Acad. Batt. Profeſſori Iuris Prim.

SIc nos Aonidum, SCHOTANE, exſculpſimus artes,
Sic pueros Latio fingimus ore loqui:
Vt cum liberius campis immiſſa juventus,
Publica non illi faxit arena metum.
Tu, Vir magne, fave ſtudiis operæque Minervæ,
Nec tenerum Almeriæ deſpice Pubis opus.

Clariſſimo Viro,

D. CASPARI BARLÆO,

apud Inclyt. Amſtel. Philoſoph. Profeſſori.

QVàm longè AURIACUS terris dominatur & al-
Liberaque Oceani jura Batavus habet: (to,
Tam longè tuus exit honos, divine Poëta:
Qui totò ingenium dividis orbe tuum.
Nos tenui ductu ſulcamus Friſidos arva;
Aut hîc Almeriis exſpatiamur agris.
Tunc aliquâ forſan nos dignos laude putamus,
Si tuus in ſcenâ ſcripſerit iſta favor.

Nobiliſſimo Viro.

D. CORNELIO SONNEVELT, IC.

Conſuli & Senatori Alcm.

Hîc tua, SONVELDI, venturo ſcribimus ævo
Nomina: Poſteritas quæ reverenter amet.
Qui nunc in Batavûm loqueris conſulta Senatu,
Et Patriæ præſtas Auxiliator opem.
Nec pateris ſacras Aras ſordeſcere Divûm,
Vtque ſuus Phœbo non benè conſtet honos.
Vive diu Almariæ ſpes, Clariſſime Conſul,
Seque probet Genio noſtra Iuventa tuo.

Illuſtri Viro,

I. CATZIO, Equiti, &c.

ALmeriæ Pubes campis hîc ludit apertis:
Ingenio nulli cedere ſacra cohors.
Tu ſpecta, CATZI, imbellis certamina pubis,
Vtque quatit ſolers Roſtra diſerta Puer.
Proderit hoc olim, quando maturior ætas
Vibrabit linguæ tela faceſque ſuæ.

A Mon-

A Monſieur, Monſieur,

le Capitaine,

IEAN GERCKES d'HOPTILLE,

ſon Beau Pere.

treſ-honorable perſonnage en Friſe.

MOnſieur, de qui le beau nom ſurpaſſe les cieux,
Et chant la victoire merveilles aux Dieux,
Ouvrez le cœur, & vos yeux à mon dire,
Et faitez que Mars peu s'en retire.
Sejourne icy la Muſe & la Grace,
A quelle vous plaiſe donner la place.

Idem Latinè.

CVi toties lætis plauſit Victoria pennis,
Et ſua bellatrix Diva trophæa tulit:
Nunc etiam armatam ſubſternas Pallada Muſis,
Et cedant Latiæ Martia ſigna Togæ.
Nec Phœbum, noſtras nec dedignare Camænas,
Virtute & meritis, Vir venerande, tuis.

Ad Amicum Feſto Ianuarii.

ACcipe NEUHUSII ſacras pro more Calendas,
Chare Vir, in meritum munera digna tuũ.
Verba meis nunquam deſunt fæcunda Camænis:
Dii faciant vobis verba placere queant.
Quæ magis ut poſſint animi metirier arrham,
Pro te, proque tuâ vota ſalute ferunt.

aliud.

Quas Tibi, magne Virûm, feſto nunc tempore gra-
Pro Xenii miſſo munere, gratus agam? (tes
Hîc Pactolus abeſt, negat amplos Cenſus honores,
Nec rapit in partes ambitioſa fames.
Mens nobis recti nunquam ſecura, laborque
Ingenii profert & pietatis opes.

Si pretium ingenii juſto dignêris amore,
Hoc cape pro magno munere, Magne Virûm:
Qui PUER in cunis recubat, ſub paupere tecto,
Hîc dabit ingenio Pieriiſque locum.
Vive diu, Vir magne, Tibi, Patriæque Tuiſque,
Cum ſobole, & charâ Conjuge vive diu.

Ad Clariſſimum Virum,

D. IOANNEM CLINGBYL,

I. V. D. *Secretarium, Sponſum.*

DVm Thalamos intras, & te Cortina ſalutat
Baſiolis, blandumque ſuis amplectitur ulnis.
IDSKIA, bis Fati ſpolium, miſerandaque mortis
Effigies, bis Dilecto divulſa Marito,
In cladem fœcunda ſuam: Tibi, clare Virorum
Plus faveat Fortuna Thori: precor integra vitæ
Gaudia: quæ nullum diſturbet turbine Fatum;
Aut damnet nocitura dies. Victuraque longùm
IDSKIADES, multâ faciat Te prole Parentem.

Nobiliſſimo Viro,

D. THEODORO à NIEVBVRCH, IC.

Scabino & Senatori Alcm.

HÆc ſunt, NIBURGI, noſtræ prœludia Pubis,
Quæ tuus in ſcenâ ſæpè probavit amor.
Illa etiam ut poſſint oculum irritare legentis,
Te mea, Mecænas, Calliopeia rogat.
Vt, cum Pieridum Studiis atque otia Conſo,
Tunc poſſit tecum noſtra Iuventa loqui.

Clariſſimo Conſultiſſimoque Viro,

D. IOANNI NORDINGIO, IC.

& Advocato præſtantiſſimo.

SI pius Aſtrææ labor, & Reſpublica veſtris
Otia dant Muſis, Almeriæque Foro:

Accipe Neuhuſio Batavam Rectore juventam
Dicere Romanis congrua verba modis.
Sic nos muneribus pulchrè pugnamus uterque:
Tu donas Indos, nos Helicona tibi.

Fratri ſuo,

HENRICO NEVHVSIO, IC.

& Advocato.

SIc nos in Batavis formamus Appolline pubem,
Friſia ſi nobis non ſinit iſta loqui.
Communi tamen illa damus nunc jure legenda,
Vnius & vates nolumus eſſe fori.
Cum Phæbo mundi tractus luſtramus Eoos,
Quaque ſuas haurit frigidus Auſter aquas.
Tu ſequere ingenio rutilantem lampada cæli,
Ac fauſto tollas alite nomen humo.
Non ſatis in lites animum depaſcere curis:
Vive etiam, felix ſi cupis eſſe, tibi.

Nobiliſſimo Viro,

D. ADAMO FORESTO, Cos. Alcm.

In reducem Ciconiam ſuam.

SIc redeunt nobis blandi primordia Veris,
Quæ Pietatis amans nuncia portat Avis.
Quàm benè FORESTUM Divina Ciconia noſti,
Nil ubi quàm Pietas, & viget alma Fides.
Qui ϛοργῇ Muſiſque parens; qui, ſideris inſtar,
Almeriam priſcâ Simplicitate beat.
Vive diu, noſtræque ſias ſolatia Muſæ,
Et toties vobis grata revertat Avis.
Hoc ſacra ſub luce precor, Martiſque Kalendis;
Audi, Sancte Deus, vota preceſque meos.

Memoria Doctiſs. & Fortiſs. Viri.

D. GVILIELMI VERHEYDEN.

FOrtia Romulidum miratur facta vetuſtas,
Cum quoque Libertas Vindice digna fuit,
Illius exemplo VERHEYDEN fortis in hoſtem
Palladiâ primus ſtinxerat arma manu.
Nec paſſus torpere gravi Romana veterno,
Pro Batavis acer pugnat obitque ſimul.
Sed meliore ſatus VERHEYDEN ſanguine: quàm Qui
Aonias armes in fera bella manus.
Arma fori decuit doctos vibraſſe Catones;
Eloquii pulchrum vincere Marte fuit.
Quo veræ Virtutis opus conſiſtit in actu,
Si populos judex, quàm ferus arma regas.

Clariſs. Viro,

D. MARTINO VVIBINGA, IC.

& Prof. in almâ FR. *Acad.*

MAgne Vir, HUNNIADÆ magni ſub nominis um-
Ingenium laudat pagina cuncta tuum. (brâ
Munera ſunt nobis à tantis grata Magiſtris,
Neve aliquâ cupiam dote placere magis.
Iuſtinianeos hîc promis Vatibus imbres,
Flumine qui pleno pectora noſtra rigant.
Sic, Vir Clare; tuis ſtudiis gratoque labori
Debeo, quod tribuis Tu quoq; & HUNNIADÆ.

Reverendo Doctiſſimoque Viro,

D. GEORGIO CANDIDIO, V. D. M,
nuper in Indiâ Orientali,
Medico præſtantiſs.

Cum me Sceptro Indico donaſſet.

CAndida CANDIDIO pro munere Carmina Cãdor
Mittit, & ingenio quod neget æqua, dolet.

Hoc

Hoc Tibi Neuhuſii poterit perſolvere Candor,
Candida ſi Phœbi munera, Candor, ames.

aliud.

Candida CANDIDII ſunt munera: Candidus Ille
Totus, & Ingenio nil niſi Candor ineſt.

Reſponſio D. CANDIDII:

Candida CANDIDII *ſpectat mage Carmina Candor,*
Fundere, NEUHUSI, *qua tua vena valet:*
Quàm flavum rutilanſque aurum, gemmaſq; micantes,
Queis ditat larga Chinsca terra manu.

AD EUNDEM,

Denuo profecturum, & à Societate Indicâ ſolenniter evocatum.

Extemporaneum.

CANDIDI, dilecte Deo; Dilecte Batâvis;
NEUHUSIO dilecte tuo. Vir dogmate Divûm
Inclyte; Myſta novem, à teneris, devote Camœnis
Pieridum, afflictæque Salus ſervata Sioni;
Solamenque mali miſeris: quos nubilus horror
Primævi involvit lapſus; queis fraude doloque
Sub variâ Satanas ſenſus effaſcinat arte.
CANDIDI, præſtans animis & macte virili
Ingenio: Tu, dum faciens mandata ſupremi
Iudicis, in terras alio ſub ſole calentes,
Eoos mundi ad tractus, & littora Gangis
Extremi tendis curſus; Hîc vota preceſque
Attentâ prius aure bibe: &, ſi ſolvere funem
A Batavis, Fato viſum, nos proſpera vobis
Aligerumque choros ne dedignare precantes:
Terrarum pelagique ſator, Qui cuncta gubernas
Majeſtate tuâ: Quem nil ſub Solis utroque
Adſpectu fugit, & compages Dædala mundi
Agnoſcit dominum. Tu nunc in gurgite vaſto,
Oceani medios inter fluctus, & cærula regna

Nerei-

Nereïdum, Pontique minas, Scyllaſque triformes,
Dimidium noſtri, errantem terraque marique,
CANDIDIUM præſta incolumem. Da cælitus agmen
Dimiſſum, longâ cæcæ caligine noctis,
Se fido agglomeret lateri. Fac, magne Creator,
Cum trux inflammat torrentem Sirius axem,
Et Sol in medio eſt, genteſque exurit Eoas,
Se pandat cortina poli, roremque ſalubrem
Aſpergat ſitienti animæ, qui temperet æſtum,
Vitaleſque novum robur transfundat in artus.
Tu verò, dilecta SION, nunc præda tyrannis
Auſtriacis, ſurge in majus, poſt horrida Martis
Auſpicia, & lætos tandem molire triumphos,
Supplicibuſque diem votis gratare ſerenum
Chriſtiadum Populo. Trans & Garamantas & Indos,
Vltimaque occidui ſeſe confinia mundi
Extendat Pietatis amor: Verumque Fideſque
Barbaricis etiam nimium placitura Moluccis.
Vt, cum Cimmerias Indorum à mente tenebras
Vox tua diſpulerit, radioſque accenderit orbi
Ignoto, Batavos iterum ſpectare Penates
Altâ in Pace queas: Hîc nobis jungere dextras,
Iure ſodalitii, caſtumque in pectore amorem
NEUHUSIO, Euryaloque tuo, ſine fraude, probare.

Fratri ſuo,

HENRICO NEVHVSIO, IC.

Curia Fr. ſup. Advocato.

NVnc etiam in Batavis patimur diſpendia Veris,
Nec Flora Almeriam ſemper beat. Hîc quoque
Vincla Thetys, Fratriq; ſuo nox ipſa parentat. (ſentit
In priſcum nos ire Chaos Proſerpina cogit,
Et tacitum ſpectare nemus, mutoſque receſſus
Aonidum. Spirant unà furialibus auris
Æoliâ de gente Noti, totique tenebris
Mergimur, & gelidi reparant ſua ſidera Piſces.
In noctem ruimus mediam, ſtygiaſque paludes,

Ni

Ni mundi errores & nubila, CHRISTE, fugâris.
Vos tamen auſpicio tædas meliore jugales
Ducetis læti. Et qui nunc affectibus uni,
Vni corporibus coaleſcite. MARGARIS illud
Poſcit amans, viduæ & damnat diſpendia noctis;
Bis gelidas perpeſſa nives; bis paſſa calores
Æſtivos. Irata ſibi longumque timenda
Virginitas. Fer, Frater, opem, doctuſque levamen;
Affer opem Dilectæ, & lenti tædia rumpe
Conjugii: ne te Thalami promiſſa fideſque
Arguat immemorem Sponſæ, pactique Hymenæi.

Ampliſſimo Viro,

D. IOANNI COETENBVRCH, IC. & Advocatò.

Poëſeos & politioris literaturæ ſtudioſiſſ.

NOs Tibi TEYLINGI tenero ſub cortice manes,
Afflictæque damus buſta legenda Scholæ:
Vt meritò Myſtam magnum plorare decebat,
Qui Phæbi & Themidos gloria tanta fuit.
Tu facis ex ſimili, mittens pro munere verſus,
Et vis non noſtris debitor eſſe ſacris.
Officio major. triplici nos mole Minervæ.
Obruis, ac totum penè Helicona cies.
Altera *Stratenii* flagrantes ignibus aras,
Hugenii lacrymas altera Muſa refert.
Sic utrinque damus feralia dona cupreſſos;
Et niſi jam fletus noſtra papyrus habet.
Vna tamen triſtes removet *Franciſca* dolores;
Nec Tumulo locus eſt, quà Siren illa canit.
Cujus ab ore velim jam tecum pendulus eſſe,
Quàm cum Stratenio membra cremare rogis.

In

In Natalem

Nobiliſs. Viri,

D. THOMÆ ab EGMOND à NIEVBVRCH

QVi tibi Natalis nunc gaudia portat Olympo,
Ille meo Patri funera mæſta tulit.
Ergò diſparibus nos fatis vivimus ambo:
Te Lucina favens, me Libitina vocat.
Sic ſcenæ variat ſpecies, Hic adſpicit auram
Vitalem, occaſus adſpicit ille ſuos.
Dii tibi Natales; dii vitæ tempora donent
Mecænas; ſerò dent quoque Fata mori.
Quod Batavo prodeſſe queat, nec inutile Muſis,
Luce ſacrâ faciunt quæ Bona Verba Tibi.

Nobiliſſimo Viro,

D. IAC. à TEYLINGEN, IC.

Coſ. Senat. & Scholarcha Alcm.

SI vacat, & Conſo ſint otia, maxime Conſul;
Huc age, Pierio Iudice Cenſor ades.
Cenſor ades noſtris, Mecænas optime, Muſis:
Quæ ſemel auſpiciis ſunt in honore tuis,
Fata Deumque precor, cani poſt Neſtoris annos.
Præſidiis creſcat Pallas Honoſque tuis.

Reverendo Viro,

D. ADRIANO SNELLIO, Med. & Theol.

Sch. Alcm. Curatori.

ALtera cura redit doctæ præbenda Minervæ,
Sufficit in curas nec ſatis una tuas.
Ergò ades & noſtris accede Scholarcha Camœnis,
Vt ſolito Pallas noſtra tenore fluat.
Omnia ſunt Spartæ noſtræ felicia: pro quo
Gratia ſit Superis. Tu tamen ipſe veni.
Sponte quidē ad palmam currit generoſa juventus,
Non tamen ingeniis addere fræna nocet.

Reve-

Reverendo Doctiſſimoque Viro,

D. GEORGIO CANDIDIO, Theologo & Medico præſtantiſſimo,

Amico ſingulari.

CANDIDI, dum ſacra Tibi ſunt dogmata Curæ,
Et verſas totâ mente animoque Deum.
Nunc etiam Solymæ de vertice reſpice Muſas,
Et fas Thymbræo ſit quoque pauca loqui.
Neuhuſii pubes hîc ſacrâ perſonat Æde,
Et ſtudium offendit pagina nulla tuum.

Ex Oratione Triumphali,

ad Illuſtrem

ALCMARIÆ CIVITATEM.

ECce vides: totis nunc alta ſilentia campis,
Nec ſtrepero Mars ore tonat. Sua gaudia quiſque
Poſſidet in tuto, nullum diſcordia civem
In pugnam vallumque vocat. proſcribitur omnis
Hinc latè rabies. longè ceſsêre Latrones
Barbarici, noſtriſque quies ſub mœnibus altis
Tuta frequenſque habitat. Miles, Dux, Fœmina, Cives
Hiſpanum domuere ſimul, fregitque Philippum
Non armis aſſueta manus. bellique trophæa
Virgo tulit, quod fera olim mirabitur ætas.
Libera ſic Maurûm jaculis Alcmaria, tandem
Excuſſit cervice jugum. ſic Numine dextro
Vicimus ingentem felici Marte tyrannum.

IN HULSTÆ *obſidionem,*
Ubi lethali vulnere confoſſus, generoſiſſ. Heros.
HENRICVS CASIMIRVS
FR. GRONINGÆ, DR. OML. *Gub. &c.*

QVi tantas Hiſpane, tibi ſubtraximus urbes,
Et Martem toties luſimus arte tuum:

Hic

Hîc nunc Naſſoviis obſtet fortuna Trophæis,
Nec conſueta ſuum Diva coronet opus?
Hîc tali caderet de ſanguine natus Achilles,
Quo Batavûm poſſet ſiſtere tuta ſalus ?
Friſiades ! priſcum terris mandare Camillum,
Haud fuerat tanti mænibus Hulſta ſuis.

aliud.

Hulsta, tuas Belgis vires & robora monſtras;
Cur te Belga queat deperiiſſe magis. (ceps
Mænia ſed quantum munis magis ; hoc mage Prin-
In tua Naſſovius mænia bella parat.
Exemplo nocet eſſe trucem: quantoque nocere
Fortior es, tantò præda futura magis.

aliud.

Infelix ô Belga nimis ! cui funere tali
Attulit haud unam trux Libitina necem.
Auriaci tangit tantum præcordia vulnus,
Et tota in lacrymis Friſidos aula natat.
Alter Naſſovii Martis nunc occidit Atlas
Alter qui Belgis currus equuſque fuit.
Quo patitur triſtes Fato Groningia manes,
Atque unà effertur Friſia tota rogis.
Dii bellum bellique anſas radicibus imis
Eruite, & blandæ fœdera pacis eant.
Bellorum nunc Belga ſatur; Martem odit Iberus:
Poſcimus & pacem mundus uterque Deos.

aliud.

En tibi Naſſovios iterum, Leoverdia, Manes.
Quos pro bellorum pignore mittit Iber.
Hoc tali firmat vobiſcum fœdere pacem:
Porrigit hoc Belgis jure fideque manus.
Sic Phalaris Mauruſque ſolet. mens illa tyranni,
Quem nil, quàm fuſi ſanguinis urget amor.
Diique Deæque omnes, manes ulciſcier iſtos
Convenit, æternis ignibus atque rogis.
Occidit Heroum decus, & ſpes altera Belgis
Occidit. Heu ! Friſiis triſtia Fata nimis !

In

In Cardinalem & Hiſpanos.

SIc eſt: Cardinibus, Te Cardine protinus uno,
Nititur Heſperidum turba profana Tagi.
Cardine ſed fragili conſiſtunt omnia: quando
Cardineos faſtus ridet ab axe Deus.

aliud.

I procul à Batavis, Belgarum lethifer hoſtis,
Auſonidumque tuas coge ſub arva rates.
Non opus auſpiciis veteres imitarier Albas:
Odimus hîc Stygium Celtiberumque ducem.

aliud.

Belga fugam lethumque tibi,trux Maure,precatur:
Tutus ab inſidiis poſſit ut eſſe tuis.
Formidat dudum fictâ ſub fronte tyrannum,
Nec bene reſpondent Belga Taguſque ſibi.

aliud.

Odimus Hîc Mauros, inviſaque nomina Belgis:
Nec terrere lues nos magis ipſa queat.
Quicquid amant Batavi, purũ & ſine felle Batavum eſt:
Haud quicquam puri Maurus & Orcus habet.

aliud.

Stant Batavis generoſa armis animiſque trophæa;
Maurorum nulla nomina labe vacant.
Tam malè conveniunt Hiſpani & Belga ſub uno
Fœdere; quàm rabidis convenit agna lupis.

aliud.

Non ſic Tartareis Phlegethon colludit in undis,
Belgarum ut fuſo ſanguine gaudet Iber.
Vnus utrique ſcopus: Satanas tellure ſub imâ;
Hic totâ doctus ſpargere virus humo.

aliud.

Abdomen, Dux Alba, tuum Ventriſque ſaburra
Innocui Batavûm ſanguinis unda fuit.
Dii tibi pro tali rabie lauroque cruentâ
Præmia pro merito conduplicata ferunt.

aliud.

aliud.

Eſuriit mediis cæſorum Albanus in undis,
Nec potuit flumen ſiſtere grande ſitim.
Scilicet Ætnæis intinxerat ora favillis
Cerberus, & toto peſtis in ore fuit.

aliud.

Sanguine te paſcis noctesque dieſque Tyranne;
At tibi non finis ſanguinis ullus adeſt.
Iure, precor, Batavi, rumpantur ut ilia Mauro,
In miſeros Batavos cum truculentus agit.

aliud.

Poſteritas te crede Deo, ne crede tyranno:
Sic poteris Spartâ nobilis eſſe tuâ.
Non pax, ſed bellum quovis ſub fœdere dormit:
Hanc ſpecie præfert; bella ſed intus amat.

aliud.

Cantaber infelix quid Christi regna laceſſis,
Inque ſacrum Domino ſufficis arma gregem?
Non totus Solymam Batavoſque in pulvere verres:
In mediis Batavus tutior exit aquis.

aliud.

Quam foret in tuto Belgarum publica cymba,
Si mare non Mauri turbet iniqua fides.
Hoc ſtudet Hiſpanus terras atque æquora poſſit
Fallere: nil iſtum paxque fideſque juvat.

aliud.

Vis verâ ſculpi, Lector, Tibi imagine Iberum?
In tabulis Batavûm buſta rogoſque lege.
Carnificis Dux Alba vices & munera ſupplet:
Hoc unum gaudet tingere cæde manus.

Ampliſ-

Ampliſſimo Viro,

D. THEOD. VRYBVRCH.

Med. Doct. & Pub. Aer. Præfecto.

O Tia feciſti nobis, cum Carmina nuper
Ad mea FORESTI pulpita docta dares.
Qui Batavûm nobis tumulos atque ora Parentum,
Heu! quondam mediis obruta narrat aquis.
Et Maurûm furiis temerata ſacraria Divûm,
Carnificumque truci corpora prenſa manu.
Albanos potuit nemo ceciniſſe furores
Arte magis mores pingit ubique ſuos.
Et vivum Vates latronem verſibus edit,
Naturâ rerum triſte ſtupente nefas.
Hic redit ad veſtrum jam nunc Helicona manuſque.
Odit quem noſtrâ pace cruentus Iber.

Præſtantiſſ. Viro,

D. ANTONIO HOPTILLA, affini,

Patris Capitanei Locum tenenti.

NASSOVIUM ſic atra dies dimiſit ad Orcum,
Heu! nimium Belgis triſtia Fata meis.
Hîc abetas unâ vix, Frater, cuſpide letho,
Iam jam tacturus Tartara nigra pede.
Inter utrumque fuit momento labilis horæ,
Triſte per extremum vivere, triſte mori,
Hîc coram pius ingentes exercuit iras
Naſſovides, pugnæ duxque comeſque tuæ.
Magnanimuſque Pater mediis errabat in armis,
Heſperio ſpolium prædaque pene Duci:
Ni vinclis mediaque iterum de morte reductus,
Tunc quoque prendiſſet fortius arma manu.
Nec fuerat tunc turpe mori; dum vivere tantus
Deſiit Alcides Scipiadumque decus.

Minæ

Minæ Magni Turcarum Cæſaris,
Ad Imp. Germaniæ
FERDINANDVM,
Eccleſiæ Dei Sectorem perpetuum.

Bella tibi, Cæſar, nunc Cæſaris ira minatur,
Cæſare qui tanto nomine reque minor.
Eſt mihi ſola hominum in terris mandata poteſtas;
Sumq;,Ego,quem metuit mũdus uterq;,Deus.
Tu quæ bella tuos infers ſceleratus in hoſtes,
Iſta mihi calido ſanguine bella lues.
Ira furorque meus Tarpeias deſtruet arces,
Invadet regnum Turcia tota tuum.
Omnes ora meis dabitis frænata lupatis,
Non pars ſuppliciis ulla vacabit iners.
Auſtriaco primùm fœdabo ſanguine dextram,
Inde aderit Mauro funeris hora ſui.
Væ tibi, tot miſerûm cumulatâ morte, Tyranne,
Cui non Europæ buſta roguſque ſatis.
Fert animus, tua nunc armis contrarius arma
Stringere, & in mortes cuncta parare tuas.
Exequar officium violenti judicis ipſe,
Carnificis peragam jam quoque ſponte vicem.
Illa dies aderit, mihi cum tua mænia, Cæſar,
Oſcula demiſſa fronte manuſque ferent.
Sufficit hoc, magno venturo Cæſare, fulmen
Sic prius in jugulum detonuiſſe tuum.

In Infantiam Imperii Romani,
Cl. Viri,
D. EDONIS NEVHVSI, S. L. Rect.
Patris obſervandi.

Romule, gradivi patris Mavortia proles,
Poſt tot natalis ſæcula longâ tui,
Naſceris hìc iterum: ſed non ad Tybridos undam
Cum te aleret mammis Porca vel urſa ſuis.

Qui

Qui primùm hauſiſti molles vagitibus auras,
Inter opes parvas, Amuliique minas:
Hîc nunc tergemino Vatis ſpectande cothurno,
Verè Romanâ, Romule, veſte nites. (eſt
NEUHUSIUS, pro MARTE, Pater; genitrixq; ſecundũ
FRISIA: nec poſthac ILIA Mater erit.

In Ejuſdem
SACRA FATIDICA.

Hîc Sacra Fatidici ſurgunt Oracula Vatis;
Hîc canitur Divûm grande laboris opus.
Scribitur excidium magnæ Babylonidos urbi,
Vtque ſuum in caſum Roma ſuperba ruet.
Ingemiit hîc duro ſub faſce Eccleſia CHRISTI,
Et queritur ſortis triſtia Fata ſuæ.
O utinam! ſic chare Parens, reſponderit æther
Chriſtiadum votis, Fatidicîſque tuis.
Et, qui nunc lætè per Teutonis arva triumphat,
Sit ſpolium Belgis, Naſſovioque Duci.

In Ejuſdem
TRIGAM ARTIUM SCHOLASTICARUM.

EN tibi Pieridum Trigam Cellamque Curulem:
Quæ triplici Muſas laude ſub aſtra vehit.
Scande rotas facilis Currus, animoſa juventus:
Hoc te Parnaſſo credere Vate potes.
Invenit, ac tantus prudenter diſſerit Author:
Vnum naturæ ſedulus urget opus.
Vtraque Secta placet, præſcribit utramque Iuventæ;
Sed vult, illuſtret Ramus Ariſtotelem;
Faſciculiſque ſuis comprendat dogmata tanta:
Quæ Stagyrita ſuis implicat in tenebris.

In Ejuſdem
POEMATA.

QVàm gravis Orator FRISORUM dixit ad aram,
NEUHUSIUS, Vates non minor eſſe queat.

Naſſovidum celebrat Sophocleo buſta cothurno,
Inque rogos tantos flebile pangit epos.
Mox ſupplex ſua vota facit pro gente fideque
Iſacidum, veræ Vir Pietatis amans.
Iam Thalami lætos Elegeia cantat amores,
Iam pangit Lyrici nobile Vatis opus.
Friſia materiem ſic pleno fonte miniſtrat,
Et quæ miſſa ſuâ eſt docta Iuventa manu.
Illius à Fato jam Friſia fracta dolore
Ingemit, ac Muſis jam ſua venit Hyems.
Hoc Famæ laudumque ſatis Leoverdia: manes
Rhetoris ut tanti Vatis & oſſa tenes.

In Ejuſdem

Theatrum Ingenii Humani.

CHare Pater, ſolido monumentum grandius ære,
Ingenii hîc cudit Dædala lima tui.
Dividis humani ſolers penetralia cordis,
Atque oculis coram pectora cæca vides.
Invide, non opus eſt, veſtris hîc, Mome, feneſtris:
Hæc aperit mentem pagina corque tuum.

In Ejuſdem,

Eloquentiæ Gymnasium,

HÆc promit, Lector, Latiam tibi pagina Suadam,
Atque iterum pleno Tullius ore ſonat.
Iure ſuo meruit Liber hic Gymnaſia dici:
Qui benè Dicendi nobile pandit opus.
Subque manu longis opus hoc incudibus hæſit,
Et primùm lucem poſt tria luſtra videt:
Fatorum quæ culpa fuit Muſiſque negata
Tempora, & Aonidum Marte cruenta domus.
Publica nunc rurſum deſiderat area Muſas,
Et pretium Eloquio grande decuſque redit.

In Ejuſdem,

E f f i g i e m.

OS, oculos, humeros, Vatem ſic pinxit Apelles!
Nulla eſt in toto corpore menda, vides.
Intus agit, Lector, generoſæ mentis imago,
Et vis Ingenii pulchra potenſque Deo.
Corporis externi facies reſoluta peribit;
Poſt Fata, Ingenii Fama perennis erit.

aliud.

Talem Neuhusius ſe corpore & ore ferebat,
In tabulis tanti qui legis acta Viri.
Ternis plus Luſtris in corpus ſæviit atrox
Calculus: ingenio Laurea parta tamen.
Quodque mori potuit terris Leoverdia claudit;
At tumulo claudi gloria tanta nequit.

aliud.

Dum vultus, Vir Clare, tuos; dum metior ora,
In mentem Virtus non ſubit una tui.
Protinus Herculeos odi indignorque labores,
Laſſarunt nimiis qui tua penſa malis.
Hoc juvat, ingenio quod non par mundus uterque,
Et Famæ æterno nomine clarus agas.

In Ejuſdem,

O b i t u m.

ERgò, Dive Parens, carnis compage ſolutus,
Nunc cognata Tibi ſidera Victor habes.
Nunc coram mirare Deum: magnique Tonantis
Vultus,Ora,Torum , Sceptra manumq; vides.
Hic, major terris, humanas deſpicis artes,
Et cui nunc pretium fœda libido facit.
Non illic quereris quos Calculus ingerat ictus;
Aut labor afficiat ſollicitudinibus.
Otia quæ nuper Tibi Muſa ingrata negavit,
Hæc nunc in cælis otia lætus agis.

Cernis, ut humanis nulla eſt fiducia rebus,
Et vulgi inſtabilis gratia? fide Deo.
Fide Deo quicunque voles te credere Fatis,
Alloquio CHRISTI Cælicolumque frui.
Corporis exigui facilis jactura: perennis
Ingenii titulos fama decuſque facit.
Sola Deum Virtus penetrat, metitur & aſtra;
Eſt ubi corporibus gratia nulla ſuis.
Sic, ô Dive Parens, quot Muſis clara dediſti
Nomina, quàm Friſio commoda multa ſolo!
Tot pro dote refers, CHRISTO Ductore, triumphos.
Semper ubi nullo fine triumphus erit.

Clariſſimo Doctiſſimoque Viro,

D. REINERO NEVHVSIO, IC.
& Rectori Sch. Alcm. digniſſimo.

RErum Benignus conditor omnium,
Humana formans corpora, ſpiritu
Afflavit unumquodque vivo
Pro modulo ſibi congruente.
Omnes eodem non homines tamen
Natura ducit, quiſque ſuos habet
Servatque mores, ſe, tenentem
Vota animi, reputans beatum.
Hic curat omni quærere opes modo,
Summumque credit divitias bonum:
Crudi vel ipſas ex Averni
Faucibus accumulare pronus.
Inſana multos ambitio tenet
Ampliſque adhinnit ſemper honoribus;
Interque magnates haberi
Optat, & obſequio colendos.
Affectat ille aſt, Eloquii parens
Scribi diſertus, nominis ultimas
Poſſe, & per orbis nationes
Conſpicua volitare fama.
At Tu, revinxit cui viridi comam
Aſtræa Lauro; cui Iuveni genas,

Et

Et labra Gratiæ rigarunt
Caſtalio nitidæ liquore;
In hoc labores & ſtudium locas,
Prodeſſe poſſis ut patriæ, & bonis,
Communicans cunctis receptas
Ingenii Geniique dotes.

I. à TEYLINGEN.

In elegantes Epiſtolas
D. REINERI NEVHVSII, IC.
Gymnaſii Alcmariani Rectoris.

O Sacer interpres Themidis, Phœbique ſacerdos
Officio longè celſior ipſe tuo.
Non hoc ingenium titulo ſe continet iſto;
Nec premitur ludo tanta Minerva ſuo.
Pro pueris magni populos nunc erudit orbis:
Hos auditores ſuſcitat illa ſibi.
Pectora tot formanda tibi, totque ora, tot aures:
In tot divideris ſcrinia, totque manus.
Hic tuus eſt ludus: tantum tibi panditur æquor;
Et patet in laudes area tanta tuas.
Hanc ſibi deberi tua jactat Epiſtola laudem,
Quod dedicit mundus cultius ipſe loqui.

IOANNES FORESTUS
Supr. Holl. Curiæ Senator.

In Epiſtolas Familiares
Cl. Viri,
D. REINERI NEVHVSII, IC.
Rect. Sch. Alcm. Vigilantiſſimi ac digniſſimi.

MAgne Vir, & Friſiæ nuper fax ſplendida terræ,
Cujus Appollineum Muſa laceſſit ebur;
Qui Cyrrham colis, & plenâ Permeſſide Belgas
Proluis, & toto das Helicone frui:
Mutaſti cum gente ſolum, cum ſidere terras,
Et propior Batavis vis habitare meis.

 Ingenio,

Ingenio, quod grande geris, non una voluptas
  Sufficit, & latè mentis arena patet.
Iam teneræ Rector moderaris fræna juventæ,
  Barbarieſque tuo diſcit ab ore loqui.
Auſpice te prætexta ſapit, geſtitque renaſci
  Almerius veſtra ſedulitate puer.
Iam ſua, NEUHUSI, pandunt tibi templa Camœnæ,
  Et Clariis vates cingeris ordinibus.
Iam, quàm blanda ſuo Pylades perſcribat Oreſti,
  Pirithouſque ſuum Theſea ſcriptor amet,
Voce ſimul calamoque doces. Stat Litera teſtis
  Federis, & fidei pandit operta ſuæ.
Te duce, felices animis ſociantur amici,
  Quoſque locus dirimit, jungit amantis amor.
Te duce, facundi permutant verba ſodales,
  Diſſimiliſque licet dextera, ſentit idem.
Debet amor Tibi, & indomitæ cultura juventæ,
  Debet inoffenſam Magnus Apollo chelyn.
Audiat hoc Batavus, Batavoque hoc dicat: Athenas,
  Atque aliam Almeriis ſurgere Phocyn aquis.

C. BARLÆUS.

Cl. Viro,

D. REINERO NEVHVSIO, I. V. D.

Gymnaſiarchæ Alcmariano.

Hic ſcatet Ingenii pulcher de flumine rivus,
Aoniis fœcundus aquis. Sic Caſtalis unda
In Batavos redit, & Latialia regna reſurgunt.
Nunc ubi Pegaſidum per amœna vireta Sorores
Demulcent animos; Pubemque inflammat amore
Dux authorque novus: puro qui nectare Muſas
Edocet & Charitum deſtillat ab ore lepôres.
NEUHUSIUS *variâ decoravit laude juventam,*
Mille modis ornat ſacri plantaria fundi.
Lilia miſta roſis hinc carpit Apollinis infans,
Semina falce legunt animo linguaque diſerti.

Ambro-

Ambroſio teneram paſcendo lacte juventam.
Chare Deo, Cæli, Patriæ celebrabis honorem.

ADRIANUS SNELLIUS
Eccleſiaſtes Alcm. & Med. D.

Ad Cl. Virum.

D. REINERVM NEVHVSIVM, IC.

Gymnaſiarcham Alcm.

GEORGIVS CANDIDIVS V.D.M.

Ipius à quodam lectus placuiſſe legenti
Dicitur: arrident ſingula verba Viro.
Cuncta notare cupit, quæcunque notanda videntur:
Incipit, & ſpatium per breve multa notat.
Creſcit in immenſum tandem labor ille notando:
Iam notat hac calamo, mox notat illa ſuo.
Sed finem quando non cerneret ille notando,
Invenit mirâ calliditate modum.
Arripit ille nigrum, calamo ceſſante, liquorem,
Perfundens librum: Cuncta, ait, Hic Bona ſunt.
De ſcriptis, REINERE, *tuis, ſic judicat æquus*
Lector, & auditor: Cuncta quod Hic Bona ſunt.
Ergò quiſquis eris, qui docti nomen habere
Expetis, hæc vigili volve, revolve manu.

Ad Doctiſſ. & Cl. Virum,

D. REINERVM NEVHVSIVM, IC.

& Gymnaſiarcham Alcmarianum.

Octe Vir, Aonidum cultor Themidiſque Sacerdos
Inclyte, quos præfert hæc Pſalmos noſtra Papyrus,
Sanctus Idumæis velut illos verſibus olim
Ad Citharam David cecinit perdulce ſonantem:
Sic tua carminibus tranſcriptos Muſa Latinis
Hinc aliquod nobis dignetur reddere: Namque
Exigit hoc Pietas operis, promiſſaque nobis

Ante fides, urgent etiam renovataque vota
OETSONII, *ex animo nimium cupiente profecta.*
FEICO OETSONIUS,
Eccleſiaſtes Leoverd.
clↃ. IↃCXLIII. *Kal. Maii.*

Alluſiones aliquot in Nepotulum.

D. NICOLAI CORNELII. Cos. Horn.&
D. SIMONIS MARTINI. Cos. Medembl.
Natum Petteni ad mare in Hoſp. publico.
Cum de munimentis maritimis Comitia agerentur.

DUm Patriæ Patres leges in littora condunt,
Et ſtat Cæruleum cogere cura Deum:
In partem Lucina venit Conſeſſibus iſtis,
Et Batavis ludos Conſus Amorque facit.

aliud.

Dum nos unanimes disjungimus æquora Terris,
Et Batavûm genti mænia tuta damus:
Accedis Matrona potens, ac, teſte Dione,
Neptunum contra fortiter arma capis.
Ergò non unâ frænatur compede Nereûs:
Oderunt tumidos Fæmina Virque Deos.

aliud.

In Batavos quid pugnet Iber! nos mænia Ponto
Ponimus, & mediis jura tenemus aquis.
Fæmina conſiliis Patrum ſeſe ingerit audax,
Nec tantum Virtus pugnat, & haſta Virûm.

aliud.

Ardua dum tractat rerum moderamina Brutus,
Conſilio ſequitur Porcia ponè ſuo.
Neve Viri tantum Faſces Sceptrumque tenemus;
Fæmina nunc etiam Roſtra Forumque tenet.

aliud.

Qui nunc ingrederis, nobis Compatribus, auras,
Auſpicio Patriæ creſce bonoque, Puer;
Atque

Atque olim fræna truculentas Tethyos undas,
Vt Batavis, domito, ſit benè, SIMO, mari.

In Poculum memoriale
Sex Civitatum illuſtrium inſignibus exſculptum,
Infanti oblatum.

NVper qui ſacris Te, SIMO, tinximus undis;
Hîc tibi natalem pinximus ære diem.

aliud.

Adſpicis, ut Batavûm Te inſignia, SIMO, coronant?
Conſeſſu Batavûm naſceris in medio.

aliud.

Plaudite nunc Batavi! Veſtrum Lucina tribunal
Hîc petit, & Procerum parturit inter ebur.

aliud.

Abluit internas CHRISTUS baptiſmate ſordes;
Hîc tibi nos pleno tingimus ora mero.

aliud.

Hæc tibi ſacramus natalis dona diei:
Quod procerum in ſacrâ naſceris Æde, SIMON.

aliud.

Aureus hîc cyathus Batavûm tibi nomina ſculpſit,
Natalem poſſis ut meminiſſe tuum.

aliud.

Muneribus Pallas ſua nomina ſignat Athenis;
Pettenum famâ nunc SIMOENTIS ovat.

Anno æra Chriſtiana.

In VIno VerItas anIMVsqVe ſVb fVndo CernItVr.

Ad Deum pro pace Germaniæ.

Impia Schiſmaticæ ſævit diſcordia turbæ
In genus, inque gregis viſcera, CHRISTE, tui.
Fac longo finem bello, & miſerêre Sionis.
Quod tua per mortis vulnera dira precor.

aliud.

Adſpice Cælipotens, & fac, cum Cæſare victo,
Corruat in caſtes Turca Taguſque ſuos.

aliud.

Quando erit, ut rabidis Eccleſia preſſa Tyrannis
Tollet honoratum celſa ſub aſtra caput?

De Germaniæ bellis.

Hunc eſt Auſtracis Germania præda Tyrannis:
Olim Germanis præda Tyrannus erit.

De Angliæ tumultibus.

Anglia, nuper eras divinæ pacis imago.
Anglia, nunc facta es Martis imago trucis.

In Cæſarem profligatum.

Cæſaris in litem venit res improba. Cæſar,
Totus, ait, mundus, jam ſibi jure dolet.

Pro Principe Auriaco votum.

Ergò novas inter flammas, & Martia belli
Fulmina Naſſovius fortiter ire parat.
Tu, tanto Heroi Belgarum cominus ito,
Fatorum in dubiis, alme potenſque DEUS.

aliud.

Dii tâlem tantumque Ducem ſervate Batavis:
A tanto Batavis jam Duce pendet honos.

In Triumphum Belgarum.

Seu petis occiduos, ſeu tractus orbis Eoos,
Victores Batavos Phæbus uterque videt.

In Bredam M. Z. BOXHORNI.

Quod vi BREDA ſuâ invicta eſt: hoc efficit acer
BOXHORNI calamus, NASSOVIIQUE labor.
Ille ferum Martem pulchris glomerare ſub armis,
AURIACI Hic doctus ſcribere geſta Ducis.

In

In Pſalm. I. CAMPANI.

Bis numeros CAMPANUS habet. nos unius artis
Vix numero Vates, artificeſque ſumus.

In Pſalm. I. à TEYLINGEN.

Talis vita Tibi, puroque in pectore virtus,
Quali, TEYLINGI, tu canis ore Deum.

In effigiem C. BARLÆI.

Hic eſt, qui Batavas toties ſtupefecit Athenas,
Cum ſua Threiciis ſolveret ora modis.
Forma Venuſque perit: Genii cœleſtis imago
Ipſo cum mundi neſcia fine mori.

In Hiſtoriam P. VVINSEMI.

FRISIA jam priſco gaudes prodire cothurno,
Et major ſolito laudibus ire foras.
VVINSEMII hoc debes calamo curiſque ſecundis:
Cui tribui ex æquo gloria nulla poteſt.
Maſcula quæ quondam virtus tua grandibus auſis
Edidit; hæc luci reddidit Ille ſuæ.

In EIUSDEM *Amores & Sirium.*

Blandula res Amor eſt, ſed multo blandior: illum
Cum pingit blando carmine VVINSEMIUS.
Qui ſua cum magnis quod habet commercia Divis,
In cæli medio Sirius ipſe probat.

In Organa ALCMARIANA.

Organa quæ cernis, tanto ſpecioſa paratu,
Enarrant magni Solius acta DEI.
Carmine Ieſſæo, Cytharâ, Fidibuſque Tonantem
Pſallere, Quis, captus non niſi mente, vetet?
Pyramidum Ægyptus moles & pondera ſtruxit:
Non hîc Mauſolo Pyramidique locus.

In natam FILIOLAM.

Vt primùm vidit vitæ mea Filia lucem,
Annua fiebant, Lucia, ſacra Tibi.

Tincta es in CHRISTO ſacri Baptiſmatis undâ,
Eſſet natalis cum tibi, CHRISTE, dies.

Natali Die.

Vt melius vivam Virtuti & rebus honeſtis,
Natalis redeat ſic mihi ſæpe dies.
Aut citò florentis vitæ mihi rumpite ſtamen,
Quas penes eſt Fati rumpere fila mei.

In Vitia Vulgaria

NOTA CENSOREA,

ad Nobiliſs. Adoleſcentem

CORNELIVM ab EGMOND à NIEVBVRCH,

Convictorem ſuum.

Ex Tyrocinio Eloquentiæ huc reſcripta.

In Atheiſtam.

TVrpe negare Deum nimis eſt, Incredule: debes
Qui vitam atque animæ ſingula ſenſa Deo.
Inſpice cunctarum ſolers penetralia rerum:
Qualibet agnoſces parte locoque Deum.
Si cœli rutilos orbes emenſus & aſtra;
Hic Domini cernis grande potentis opus.
Si mare velivolum roſtratis claſſibus intras;
Navigat hic unà portio magna Dei.
Si terram puroſque Ignes metiris ad unguem;
Offeret hic magnâ ſe quoque parte Deus.
Diſce Deum, dum Fata ſinunt, ô impie: Diſce
Dædala quod mundi machina plena Deo.

In Superbum.

Dic mihi ventoſo turgens præcordia faſtu,
Quis tua tam dirus pectora faſtus habet ?
Humani oblitus criſtas attollis inanes,
Heu ! nimium propriis inſidiate malis.
Neſcis, Sponte ſua vileſcat gloria mundi,
Omniaque in caſum ſtent reſupina ſuum?

Sors

Sors nos una manet, cœli qui veſcimur aurâ;
Sed te non ſimplex pœna, Superbe, manet.

In Invidum.

Stulte quid alterius marceſcis rebus opimis?
Quid tot tormentis ilia rumpis iners?
Es Phalaris tute ipſe tui, ſævuſque tyrannus:
Præcipitas manes & miſer ipſe tuos,
Hoc tanto gaudet dives magis, Invide, quantò
Tu magis alterius proſperitate doles.

In Calumniatorem.

Nomina quid Vatum ſcelerata Calumnia mordes,
Et tot conducta eſt in mala lingua Tibi?
Quos potes aperto non Marte invadere, Fallax,
Hos clandeſtino rodere dente paras.
O utinam! priſci pro more & ritibus ævi
Turpiter in faciem ſtigmata inuſta feras.
Aut brevibus Gyaris pœnam luiture nefandi
Criminis, æternis diſcruciere rogis.

In Diſſimulatorem.

Omnia diſſimulas, & vis tamen unus haberi
Omnibus; ad ſpeciem ſufficit eſſe probum.
Divideris totus; diſcordant linguaque menſque:
Sed nihil in toto eſt, quod liquet eſſe tuum.
Proteus in varios tranſis mirabilis uſus:
Sæpè tui mutat quælibet hora fidem,
Altera ſacrificat donis manus, altera telis
Pugnat, & in partes ingenioſus abis.
Odimus ex uno qui lumine ridet & odit:
Hac pacem, atque illâ bella minaſque crepat.
Ille placet ſolus, cui verum manat ab ore,
Nec mentem fuco diſſimulante tegit.

In Adulatorem.

Dicis blanditias, & fumos vendis inanes;
Odi ſed palpum blanditiaſque tuas,

Mellea, Adulator, dum verba & baſia donas,
Tota venenato pectora felle madent.
Mitte ſoporatam medicatis frugibus offam,
Argutoſque ſonos deſine, Amicus ero.

In Falſarium.

Nomina, Suppoſtor, qui ponis falſa libellis,
Eventu meritò ſpeſque manuſque caret.
In bona vicini dum ſtrictos digeris ungues.
Infami maculâ te quoque fama notat.
Dii faciant! falſo qui non Falſarius audis,
Haud falſo pœnam nomine réque luas.

In Ebrium.

Ebrius immodico vini corrumpitur uſu,
Ingeniique rogus, peſtis & ipſe ſui eſt.
Omnia contactu fœdo conſpurcat & ore,
Nec pars in toto corpore labe caret.
Non ſimul expletus Baccho, mens exulat unà,
Et ſolitâ ingenium de ſtatione fugit.
Experſque ipſe ſui mox totas territat urbes,
Monſtrum immane ſonans, terribilemque Feram.
Cur modicè ſumas generòſi munera Bacchi,
Qui tibi vis felix vitaque ſoſpes eat.
Tempeſtate gulæ nil turpius adſpicit Orcus,
Pluraque mortali damna neceſque tulit.

In Avarum.

Imperioſa fames quid non deſignat Avari,
Dum fragili Nummo Numen ineſſe putat!
Et malè metitur cenſus humanaque cuncta
Fortunæ in fluxæ collocat arbitrio,
Eheu! quàm tetricis horret frons aſpera rugis,
Obſcœnus quanto pallor in ore ſedet.
Nil eſt quod rabiem flammamque exſtinguat Avari,
Immodicis lucri finibus urget amor.
Omnia poſſideat ſolus, furit ardor habendi,
Nec minus ac pleno Tantalus amne ſitit.

Da

Da mare, da terras, &, quod capit omnia, cœlum:
Non mare,non cœlum, Terra nec ampla ſatis:
Semper avarus eget, ſitis inſanabilis auri,
Mendicum medias ſuſtinet inter opes.

In Pigrum.

En piger, ut plenos eructat pectore ſomnos!
Vt ſua purpureis ventilat ora roſis!
Sed facit ad vanos nil Palladis area fucos:
Quos mala deſidies in ſua vota trahit.
Odimus ingenium molli torpore ſolutum,
Atque per illecebras corpora fracta ſuas.
Mane rubeſcentes Phœbi præverte quadrigas,
Qui dignum Phœbo munus opuſque facis.
Turpe eſt, in lento producere ſomnia lecto,
Cùm vigili Gallus provocat ore diem.
Exemplo Formica ſiat, quæ corpore quantò
Eſt minor, hoc tantò grandius urget opus.

In Paraſitum.

Dum mecum pingui frueris, *Paraſite*, Falerno,
Pluribus & vitæ diffluis illecebris:
Primus amicitiæ pandis ſacraria nobis,
Primus Romanam qui probet ore fidem.
At paullum offenſo cum Iuppiter intonat axe,
Alterius ſubitò fercla ciboſque petis.
Non, Paraſite, tui facimus Popyſmata tanti,
Vt noſtrum lingas amplius ore ſalem.
Excute nunc alios; ſtomacho ſat favimus illi:
Hîc Pylade ingenio, non Paraſito opus eſt.

In Helluonem.

Infelix totas ſe ingurgitat Helluo noctes,
Virtutem in vino vimque virumque probans,
Vſibus humanis Divûm quod cura negavit,
Helluo,non unâ lege tenendus, agit.
Helluo re meritò dicere & nomine totus;
Quod pœnam Stygio dignam Acheronte lues,

In

In Homicidam.

Sanguinis humani pretium tibi vile videtur,
 Cum non ſit juris gutta puſilla tui?
Obtruncas, Homicida, Deum: Qui, Numinis inſtar,
 Mortalem finxit de meliore luto.
Cœlo tende manus. Hominem demittere ad Orcum.
 Odimus hoc tantum cuncta elementa nefas.

In Parricidam.

Dignus morte perit, Patrios qui inquirit in annos,
 Præcipitat Matris fata neceſque ſuæ.
Sævior eſt Scopulis, Buſiride ſævior ipſo,
 Hircanâque magis Tigride virus alit.
Dii! Patris & Patriæ cædem mactate nefandam.
 Tanti ne ſuperet fama vel umbra mali.

In adulterum.

Quæris, Adulterium quâ ducat origine nomen?
 Is quod in *alterius*, per mala furta, *torum*.
In Thalamo poſcit puros Hymenæus amores,
 Et Venus ex omni parte pudica ſiat.
Turpe nimis dictu! caſtos violare penates;
 Turpe eſt, legitimi rumpere ſacra tori.
Impia proſtituit meretrix quæ corporis uſum,
 Digna eſt non unâ claudere morte diem.
Dignus ut Ætneas vivus damnetur ad umbras,
 Qui ſecus ac propriam Pallada ſponſus amat.

In Furem.

Omnia cum furvis nox obruit atra tenebris,
 Invigilas hominum, Fur ſcelerate, bonis.
Odiſti roſeos Phœbi radiantis honores,
 Inque tuum uſurpas ſidera ſacra nefas.
Ergò cuncta *foras furvâ* quod nocte tuliſti,
 Certum eſt, quod furva ſis quoque nocte ſatus,
Furca tibi meritò pœna eſt, ac luce carebis,
 Odiſti teſtem quod ſine jure diem.

In

In Aleatorem.

Improba ne falſas deceperit alea dextras,
Fortunæ Cenſus alea nulla dabit.
Non ſemper Veneris jactus tua vota ſecundat;
Quando erit, ut triſti læſerit ore Canis.
Alea Virtuti nulla eſt, caſuſque ſiniſter:
Hæc ſolido ſemper nititur una Deo.
Conſiliis quondam ſolers Prudentia crevit;
Conſilio tribuas tu quoque multa Sophum.

In Moroſum.

Quid matutinâ ſemper mortalia fronte
Deſpicis, & tetricum nubila pectus habent?
Martius ille animi vultus, Beſſoſque Getaſque
Qui decet, in Belgas non cadit iſte rigor.
Ergò nunc rugas facie depone ſeniles;
Sarcina curarum, nec grave mergat onus.
Triſte Supercilium rigido permitte Catoni:
Cui riget aſſiduo mens animuſque gelu.

In Iracundum.

Quid toties animo cæcas flagramus in iras;
Prô pudor! & bilis viſcera noſtra coquit?
Pax hominem, non ira decet. Pax una triumphis
Auſonidum potior; pax quoque digna Deo.
Mitius Ingenium, quod rixas odit & iras,
Proxima cum ſuperis regna chorosque tenet.
Tartareis quondam monſtris Lis Iraque nata eſt:
Quæ geminas fovit lacte, Chimæra fuit.
Hæc fuge monſtra, Puer, crudeliaque arma Cyclopũ,
Pieridum cultus non ſinit eſſe feros.

In Perjurum.

Numina teſtari fas eſt, ſi poſtulet uſus,
Conceptis verbis ſitve probanda fides.
Non aliter Divum patitur perjuria Virtus:
Quos conteſtari non ſine jure licet.
Per caput, & Stygias quiſquis juraverit undas,
Æternùm Stygio carpier igne decet.

Et

Et ſcelerum urgeri juſtis ſub Tartara pœnis;
Flebilis ut vitæ ſit tibi cuncta dies.

In Garrulum.

Omnibus in vitiis, queis nos afflavit Erynnis,
Turpius eſt ſtultâ Garrulitate nihil.
Linguam unam Natura dedit: quam duplice vallo
Labrorum, ac crebris dentibus occuluit.
Aures attribuit geminas, patulaſque reliquit,
Audire ut poſſis plurima, pauca loqui.
Fœminei eſt animi Virtus, Linguæque ſupellex,
Immodicis ſemper fundere verba modis.
Auribus utamur Linguâ magis: auribus ille
Plus peccat, qui non ſæpe ſilenda ſilet.

In Sciolum.

Quo magis Aonias Vir doctus combibit artes,
Hoc minus ingenium prædicat ipſe ſuum.
Eſt Virtus, quo plura ſcias, Tu ſcire videto
Sæpe minus: non eſt, dicere, ſcire aliquid.
Hoc quod abeſt miſerè Sciolus ſibi vendicat unum,
Prô pudor! hoc quod adeſt, eſt niſi inane nihil.

In Magum.

Quæ tantum Virus diffudit Vipera Muſis,
Langueat ut toto nunc Helicone labor?
Nequicquam Magicis locus eſt hîc artibus: alma
Hîc colitur Pallas Cecropidumque chorus.
Et nihil eſt tanto commiſſi crimine dignum.
Expiet ut noſtrum Tiſyphône ulla nefas.
Ergò Theſſalicis ſcelerata Venefica ſuccis
Diſpereas toties, & mala noſtra leves:
Ne fugiant retrò Stygio ſtridore Camœnæ,
Nec lethale Deum pectora Virus alat.

In Muſicum.

Muſica flexanimæ præſcribit dogmata linguæ,
Threïcioſque docet voce referre ſonos.
Sed nihil ingentes quàm fumos vendit & auras,
Inque uno pretium murmure grande locat.

Vah!

Vah! pudeat, docti plectrum moderarier oris.
Organa Virtutis nulla movere ſuæ.

In Militem.

Quæ mala te Stygiis, Miles, produxit ab antris
Peſtis, ut in Batavos nunc quoque bella pares,
Dira Lycaoniæ recoquis, prô! fercula menſæ,
Sanguinis & fuſi triſte revertit amor.
Nec magis humanæ quem vitæ cura ſaluſque,
Quàm levibus ſtipulis facta favilla, juvat.
Pro Patria ſtringis fortem imperterritus enſem?
Nec renuis magno ſub Phocione mori?
Auſpiciis, ter macte, tuis! Bellator: ut armis.
Et cauſa inceptis ſpondeat æqua tuis.

In Ruſticum.

Ruſtice, quod totidē numeras cum fœnore meſſes,
Quod cumulas tantis horrea plena bonis;
Non tua ſedulitas, aut curvi robur aratri
Efficit: æthereus parturit iſta labor.
Numinis hîc virtus, Divûmque potentia pollet:
Gloria quæ cunctis ſub Iove rebus ineſt.
Sed ſegnes non adde manus ô Ruſtice: ſegnes
Haud ſequitur meſſis luxurioſa manus.

In Aſtrologum.

Ingerit in Divûm ſeſe conſortia ſtultus
Aſtrologus: quorum pars quaſi magna ſiat.
Ignorat proprias animi metirier umbras,
Et vult Cœlituum pareat aula ſibi.
Cum benè ſe ſpatiis didicit complectier ipſum
Aſtrologus, Cœli tentet adire domos.

In Arithmeticum.

Nocte dieque ſuos cenſus examine pendit,
Et quàm congeſto dives in ære ſiat.
At peccata miſer toto non computat anno,
Nec vitium ad numeros grande manumq; venit.
Deſine, quæ ſupra, cœli comprendere ſtellas:
Qui nævos animi non numerare queas.

In Coſmographum.

Quicquid terra tenet vario ſub cardine mundi,
Hæc nos cuncta docet pagina Coſmographi.
Qui parvo ingentem circumfert cortice Olympum,
Quaque petat, coram, Pelion aſtra, videt:
Qua ſua per ſeptem decurrat cornua Nilus;
Vnde ſuos ortus Rhenus Ararque trahant.
Oppida, rura, homines tabula depingit in una,
Nec procul à nobis ultimus orbis abeſt.
Dædaleum miramur opus doctumque laborem:
Si par ingenio ſit quoque vita tuo.

In Sophiſtam.

Deſine pro veris Ænigmata ponere verbis
Heu! nimium doctis uſe Sophiſta dolis.
Mera Sybillinis memoras oracula nobis:
Quæ vix Thymbræus ſolverit ipſe Pater.
Tolle animi fucum prætentaque pallia menti:
Sæpius hac nobis texitur arte malum.
Et loquere, ut videam, lateat quid corde ſub imo:
Non decet obſcuras pectoris eſſe notas.

In malum Logicum.

Semper te Logicum jactas primumque Sophorum,
Cum triſti glomeras verba ſupercilio.
Cum verris longo maculoſam Syrmate terram,
Cum riget impexis horrida barba comis.
Non animi Virtus Tyrio ſpectatur in oſtro,
Pallia non doctum Forma Virumque facit.
Diſſere prudenter Latias exculte per artes:
Virtutem Ingenii res ratioque probet.
Tunc magnus Stagyrita ſuum te dicet alumnum:
Quando erit in ſcriptis Suada diſerta tuis.

In malum Rhetorem.

Inſeris ordinibus Veterum te, peſſime Rhetor,
Iamque novus Phœbi miles ad arma venis.
Sed rudis in Muſas, omnique inglorius arte;
Nulla eſt in labris Suada Venuſque tuis.

Rhetora te dicam linguaque animoque diſertum,
  Cum tua Pieridum ſcripta cothurnus amet.
Priſcaque majeſtas refluat dicentis ab ore,
  Eloquiumque tuum jam nova Roma ſtupet.
Securus ſpecta, Quos Lauro cingat Apollo:
  Ingenio non ſunt ſerta parata tuo.

In malum Poëtam.

Carmina conglomeras quod plurima nocte ſub unâ,
  Inque tuos cogis verba ſoluta modos,
Vis Vates dici, propiuſque accedere Muſas,
  Et partem doctas inter habere Deas.
Falleris, & longùm diſtas à limine Famæ,
  Ingenii nimium credulus ipſe tui.
Cyrrha tibi ut pateat plenis uberrima rivis,
  Vtque ſacram ſedet Caſtalis unda ſitim:
Fac Suadæ Sophiæque lites Helicone ſub ipſo:
  Non venit ad fucos Laurus honoſque rudes.

In Paſtorem impoſtorem.

Audis Myſta ſacer Superûm cœlique Miniſter;
  Sacrorum; cœli ſed tibi nulla fides:
Nulla animo eſt Pietas, nullus reſpectus honeſti,
  Chriſtiadum paſcis nec bene Paſtor oves.
Impoſtor meritò dicêre, ac Numinis expers,
  Qui non Paſtoris munia ſanctus obis.

In repente divitem.

Pauper eras quondã, populò & deſpectus ab omni;
  Nunc tibi diſtribuit præmia rarus Honor.
Nunc dives; pleniſque ſcatent æraria nummis,
  Inque tua fulget purpura multa domo.
Tam ſubitò unde tibi nummorum ſuppetat uſus,
  Ingenio Vatum prendere nemo valet.
Ergò etiam poſthac miſeris ſperare licebit:
  Nam Sors hæc aliis ferre benigna poteſt.

In repente nobilem.

Si modicum indulſit felix Fortuna paratum,
  In cœlum vulgus tollit & aſtra caput.

Quæritur

Quæritur antiquæ labi prætextus honoris;
Inque novo clarum ſculpitur ære Genus.
Cum cenſu creſcit paulatim gloria ſtirpis;
Et ſeſe in plures fundit Equeſtris honor.
Stemmata ne jactes; aut Nomina clara Parentum,
VIRTUS, Nobilitas optima, & una tua eſt.

In Rabulam Forenſem.

Ah! quoties damnat miſeros ſententia Cives,
Cum ſentina fori ſceptra forumque tenet.
Vertitur in prædam facilis Tutela Clientum,
Et res in lites Curàque crimen abit.
Non ſecus ac Tygris timidis iraſcitur agnis,
Cum ſtimulat ventrem longa minaxque fames.
Dii talem Batavis Roſtris avertite peſtem,
Et ſacra Hyrcanis Tygribus Aula vacet.

In malum medicum.

Vt valeant homines totieſque à morte reſurgant,
Nil Æſculapii hîc pollet in arte labor.
Has curas relinque Deo: qui reddere vitam
In deſperatis rebus opemque poteſt.
Non homini eſt virtus punctum brevis addere vitæ:
Reſpicit hæc ſolum cura laborque Deum.
Vah! pudeat medicâ ſpem tantum ponere in arte,
Qui propriis medici nolumus eſſe malis.

In mendicum.

Omnia Mendicum Fata adſpexere malorum:
Cui vita à tenebris tota noverca fuit.
Omnis in alterius fragili ſpes nixa favore:
Quem levis unius diſſipet aura noti.
Fabula divitibus ſemper luduſque jocuſque,
Inque diem vivit triſtis, egenus, inops.
Et cum dira fames ſtimulat prurigine ventrem,
Non eſt, quo ventris ſedetur ille famem.
Quid quereris, Mendice, tuos ſine fœnore, Cenſus?
Inter opes nullas eſt quoque nulla Fides.

In malum Præceptorem.

Formatis primo lubricam qui à lacte juventam,
Prævia ab exemplis cuncta docere decet,
Non benè virtutum tradit præcepta Magiſter,
Si non virtutis præferat ipſe facem.
Nec quid deterius turpi Natura Parente
Adſpicit: hinc ſummi fons & origo mali.
Affricat teneræ ſcabiem peſtemque juventæ:
Qua res in caſum publica tota ruit;
Et ſeſe in patriam latè diffundit Erynnis,
Mortali nunquam pœna luenda ſatis.
Hanc ſemper, Proceres, Muſis impendite curam
Vt bene quæ docta eſt, Pallas honeſta ſiat.

In malum Diſcipulum.

Quid mihi vobiſcum eſt infelix turba juventæ,
Infames Scopuli, fexque maligna Scholis?
Nequicquam celſas ad Divûm tenditis arces,
Turpe recuſantes te quoque, Phœbe, ſequi.
Et bene formantes vos vitâ & lege Magiſtros
Mactatis toties triſtibus obſequiis.
Ponite difficiles mores animoſque rebelles.
Placato rurſum Numine, mitis ero.

In Anum nubere parantem.

Turpis anus Pylios jam dudum fracta per annos
Subdit ſub leges colla, Cupido, tuas.
Atque iterum exſtinctas acuens prurigine flammas
Idalium ſubeat prompta libenſque jugum,
Nullaque cum ſupereſt effœto in corpore virtus.
Et longum formæ facta ruina ſuæ eſt:
Non tamen imbellis Lycidam perdere amando
Deſinit, & toto pectore velle Virum.
Turpe ſenilis amor, nec par congreſſibus illis,
Cum nihil ad gelidam Lampada fervet Hymen.

In Daniſtam.

Quis furor alterius, Scelerate, exedere Cenſus,
Et tantis miſeros excruciare malis?

Pauperis

Pauperis in loculos Milvinos digeris ungues,
Quodque inopi indulget ſors bona, præda tua eſt.
Vſque adeò in Stygium Plutona accenſus amore,
Siſque Lycaoniâ ne feritate minor.
Nam labor eſt ſudorque tuus, concedat in eſcam
Quod gremio celat mundus uterque ſuo.
Ergò, Daniſta, lues malè parti fœnoris artes,
Et par uſuris pœna futura tuis.

In Coquum.

In facili cauſa eſt, quod non Coquus eſurit unquam:
Non minus atque aurâ veſcitur ille cibis.
Quod totidem in ventres ſpatioſo ſufficit orbi,
Hoc primum manibus verſat, & ore Coquus.
Inter tot patinas & tot qui juſcula vivit,
Num Coquus hic ſolus ſobrius eſſe queat?
Nec malè: ſi, quoties digitos prærodit & ungues,
Inviſum toties oderit ille nefas.

In Suſurronem.

Semper in alterius linguam voceſque Suſurro,
Quæ ratio eſt aures advigilare tuas?
Non, ô ſtulte, vides, proprio quæ mantica tergo eſt;
Quàm multa eſt oculis noxque chaoſque tuis.
Lynceus alterius vitam moreſque requiris:
Hîc mirùm ſolers carpere multa ſoles:
In proprios primùm nævos adverte, Suſurro,
Conniveas vitiis ne quoque Talpa tuis,
Oderit inviſos, hominum contagia Scurras,
Qui ſemel in doctas fervet amore Deus.
Nam nihil ad Muſas facit irreverentia morum:
Quique placet Muſis, moribus ille placet.
Spurciloque non eſt locus hic, aut gratia linguæ;
Hîc colitur Phœbus Caſtalidumque chorus.
Numine, Scurra, cares, & honeſto Nomine: nomen
Nam turpe & putidum nil niſi ſtercus olet.

In Deformem.

Si tibi formoſam faciem natura negavit,
Et tetricus toto ſquallor in ore ſedet:

Ingenio

Ingenio penſare potes ſub corpore nævos;
Ingenio ſemper forma decuſque manet.
Nil refert, Therſite ſias deformior ipſo,
Si tinctum Aoniâ Pallade pectus habes.
Si probitas, raruſque Pudor ſcintillat ocellis,
Hæc eſt, quâ ſolùm dote placere potes.
Divitiis formaque miſer non exere criſtas.
Præter Virtutem cætera tempus habet.

In Bibliopolam indoctum.

Inſtitor indoctus cum Doctis tempora fallit;
Sed neſcit doctum quàm modò tractat opus.
Sic vendit quaſque odit opes, collaudat & artes.
In pretium nimiò callidus, arte rudis.
Dividit & cunctos claris cum Vatibus annos,
A Vatum ſacris ingenioque procul.
Sic juvat umbra Virûm Doctorum ac ſedulus error,
Et pretium indoctis pagina docta facit.

In Cynicum.

Cur ſenſum alterius diris latratibus urget,
Et Regum Cynico purpura ridiculo eſt?
Pluſque ſuo gaudet baculo peràque miſellus,
Quàm ſi Mygdonias fœnoret unus opes?
Scilicet ut Regum Faſces & nomina ſupra
Non opibus Cynici clarius exſtet opus.
Namque animus ſolo pretium metitur honeſto,
Quo ſibi Fortunam quiſque parare poteſt.
Sic vis Ingenii certus theſaurus habetor,
Sic parent animo cætera cuncta duci.
Noverat hoc Macedo, qui, ſi non Numine Divûm
Factus Alexander, maluit eſſe Sophus.

In Libitinarium.

Enumeras anno Cineres & funera toto,
Tabificuſque tibi pallor in ore ſedet.
Et vitæ ſpatium Stygiis cum dividis umbris,
Ante oculos ſemper buſta rogoſque videns:
Non tamen à vitiis, communi lege ſepulchri
Abnuis, ut mutet quælibet hora vices.

Peſſime mortalis! qui non mortalia curas,
Cum manes inter ſemiſepultus agas.

In Lictorem.

Carceris ô cuſtos, quæ te dementia cœpit,
Et miſerum inceſſit tanta cupido tui?
Non eſt Virga tibi, non eſt Romana Securis,
Lictor ut in Batavâ gente timendus agat.
Improba te Populi tantum ſentina veretur,
Et Faſces metuunt Stupra Scelusque tuos.
Sic multos ſua ſtultities & amabilis error
Decipit, ac nullum non ſuus urit amor.

In Tyrannum.

Chriſtiadum ſævis in viſcera, dire Tyranne,
Et nihil intactum eſt Cæſar Iberque tibi,
Sanguinis humani plenos effundere fontes
Priſtina Cyclopum fama laborque fuit.
Mæſta Lycaonios patitur Germania luxus,
Iamque tuam rabiem mundus uterque timet.
Deſine Chriſtiadum cœtus odiſſe, Tyranne,
Chriſtiadum cedet non benè præda tibi.
Adſpicis Arctoo quæ nubes ſurgat ab axe?
Illa manet manus Cæſar Iberque tuos.

In Phaëtontem.

Quid Phaëtontæis petimus ſublimia pennis,
Tentamuſque Deûm ſacra per arva domos?
Vna dies Puero patrias ſuffecit in artes,
Vna dies ſpolium de Phaëtonte tulit.
Hoc docet exemplo Phaëton, quod inutile multis
Supra fortunam ſe exeruiſſe ſuam.
Nec nimium vitæ faſtum capiamus & auras:
Nam capiunt magnos grandia vela notos.
Diſcamus ſortem: quam cuivis Fata dedêre
Sitque nefas hominem ſollicitare deos.

In Ædificatorem Senem.

Stulte ſenex, quid tecta locas, ubi veſpera ſera
Imminet, ac vitæ nox venit atra tuæ?

Pyra-

Pyramidum fruſtra tollis ſuper æthera moles,
Cum caput annoſum ruga ſenilis arat.
Ædificas anno toto & fundamina ponis;
Sed potes in tetricos nil fabricare rogos.
Nil Parius lapis, aut Phario de marmore templum
In Stygias umbras juſſaque mortis agunt.
Illa ſenectutis tremulæ non otia ſunto,
Diſcite ſed cœli tecta locare Senes.

In Monachum malum.

Mira datur Monachi ſpecies,quando improbus orbē
Fallit, & incautos implicat arte ſuâ.
Qui Curios ſimulans Centauros fingit agendo,
Cum tota in vinis mens animuſque natat.
Sobrius in ſpeciem cunctis prodire; ſed intus
Ebrietas alto pectore clauſa latet.
Fœdera Conjugii dum totus damnat & odit,
Nulla vacat ſtupris noxque dieſque ſuis.
Conjugis expertem ſic eſt benè ducere vitam,
Cui non eſt unâ veſte ſoluta Venus.
Sic meritò *Monachi* laudes & nomina jactas,
Omnia nam mundi crimina *Solus agis.*

In Papam malum.

Papa ſuos cœlo titulos & nomina jactat,
Inque Deum ſtultus ſcrinia ſe penetrat.
Scilicet & Papæ pateat ſic janua cœli,
Quo nil deterius terra poluſque tenet.

In Augurem.

Inſpicis exta boum, verum ut prædixeris, Augur,
Et pecudum in fibris ſtulta ſuperſtitio eſt.
Obſervas volucrum dubios per inane volatus,
Dextera Romanis ut bene vortat Avis.
Auſpice ſic Pacem firmamus, & Auſpice bellum:
Sic vano quondam teſte dabatur honor.
Nunc Trabeam & Faſces donat vis æris & auri,
Ambitioque ſuis partibus aucta ſtudet.
Differimus priſci nequicquam à moribus ævi:
Nunc Aurum nobis Augur & Ales adeſt.

In Zoilum.

Cur, Pimplea, tuos Vates ſic Zoilus odit,
 Pieridum famam ferre patique nequit?
Et ſemper certamen habet cum laude Bonorum,
 Nulla venenato ut pagina felle vacet?
Hæc ratio eſt: famæ præconia ridet inanis,
 Scintillamque boni non rude pectus habet.
Cumque ſuo genio ſterilem ſortitus arenam,
 Ingenium alterius rodere dente parat.
I male Gurgulio & linguæ diſtringe mucronem.
 Nil facit in Vatum tempora livor edax.

CORONA
VIRTVTVM.
ad
Nobiliſsimum Virum,
D. THOMAM ab EGMOND à NIEVBVRCH.
Cos. Alcm. & VVESTFR. Præſidem,
MECOENATEM ſuum.

DVm tua, Mecænas, Genialis tecta Cupido
 Perſtrepit, & ſponſos blandulus urit Amor:
Filiolus Muſas inter ſua brachia verſat,
 Ac toto nubit pectore, Phœbe, tibi.
Vtraque flamma juvat, quæ ſic incendit amantes,
 Iamque domus binas accipit una Deas.
Cypria LANSCHOTO RACHALIq;inſpirat amorem,
 CORNELIDES ſacram Pallada totus amat.
Ergò Venus doctæque ſimul nupſere Sorores,
 Et non ex uno Spes, Hymenæe, tori.

aliud.

Iam penſo defuncta Venus: Labor urget amantes,
 Officiumque ſuum quemque forumque vocat.
Et ſordent nobis jam dudum feſta Diones,
 Inque ſuas nugas ingenioſus amor.

Palladis

Palladis hîc ſacrum priſcis celebramus Athenis:
Deliciis paſcit nos ubi Apollo ſuis.
Spernimus & quicquid Parthus pro munere donat,
Vinaque Campanus quæque Falernus habet.
Nos epulas Divûm, & Laticum libamus honorem:
His dapibus nunquam ſobrius eſſe velim.

aliud.

Hactenus in VITIUM Vates diſtrinximus arma,
Cumque Hominum monſtris pugna laborq; fuit,
Nunc tantis feſſi rebus, ſaturique triumphis,
Quos Epicureo de grege Muſa tulit,
In nova fert animus. VIRTUS generoſa Poetam
Dulcia Pieridum plectra movere jubet.
Nam nihil à triſti Satyrâ ſperare licebit,
Nulla ubi mordaci pagina dente caret.
A Virtute datum magis inclareſcere Vatem,
Et pretium ingenii ferre decuſque ſui.
Macte Puer! cum dote tuâ, fac inclyta Virtus
Famaque *Nyburgi* tollat in aſtra caput.

PIETAS.

Quicquid agis, Generoſe Puer, cole Pallada ſacram,
Et *Pietas* artes condiat alma tuas.
Quâ ſi vita caret rerum ductrice; Salutis,
Pro! iterum amiſſæ grande laborat opus.
Ingenium fruſtra formamus Apolline noſtrum,
Attalicas nobis & cumulamus opes.
Vnum quod poſſit propius nos jungere CHRISTO,
Vna eſt in CHRISTI ſanguine nixa Fides.

IUSTITIA.

Vna Salus, ſpes una hominum, ſi ſacra gubernas,
IUSTITIA, Auſpiciis templa forumque tuis.
Si cuncta ex meritò, juſtoque examine pendens,
Et ſua ſint laudi præmia, pæna malis.
At cum non merces maneat condigna merentes,
Stat res in caſum publica prona ſuum.

Nec tutum ſatis eſt communi vivere jure,
Iamque locus nullâ fraude doloque vacat.
Hoc agite,ô Proceres,quibus eſt,commiſſa poteſtas,
Vt benè ſit mundo, reddite cuique ſuum.

Constantia.

Publica tempeſtas, ſubitoque exorta procella
Si populo impendet Chriſtiadumque gregi;
Et latè furor inflammat Babylonius orbem,
Cunctaque ſub pedibus barbarus hoſtis habet:
Tu ne deſtituas animum firmare labantem,
Et rurſum fractæ ſubdere colla rati.
Gorgona vel ſævam ſi Mars objectet & Orcum,
Ante tuos oculos triſtis Erynnis agat:
Roboret immotam victrix Constantia mentem;
Hoc ſartus clypeo tectus & eſſe queas.

Clementia.

Qui ſedet in puppi Typhis, clavumque gubernat,
Imperet ex facili Civibus ille ſuis.
Nec nimis in curſu properanti indulgeat iræ:
Ira feras pecudes, non decet ira viros.
Maxima Virtutes inter Clementia cunctas:
Quæ nexu jungit nos propiore Deo.

Patientia.

Nunquam bella piis deſunt. Contrarius urget
Trux Satan, & Stygio Marte cruentus agit.
In mala Chriſtiadum crudeles explicat ungues,
Retiaque incautis nocte dieque ſtruit.
Multa boni patimur ſub triſti incude malorum,
Fabulaque in terris ludibriumque ſumus.
Ergone ſupremùm fractis Eccleſia rebus
Congemuit, Pietas hoſpitioque caret?
Diis aliter viſum. Domitrix Patientia Fati
Leniet ærumnas, & meliora dabit.

PRUDENTIA.

Præterea ſolers teneat PRUDENTIA Faſces,
Quæ ſola in rebus ſit Cynoſura tuis.
Proſperat hæc omnes felici numine caſus,
Et certâ humanas res ratione regit.
Deſpice Fortunam, vulgi commenta profani.
Non eſt Fortunæ firma tenaxque fides.
Hæc ſemper fallax, levibuſque ſimillima ventis,
Vertitur in crebras ingenioſa vices.
Sed ſolido in ſaxo Vatum prudentia fixa eſt,
Fortuna inſtabili ſiſtit in orbe pedem.

LIBERALITAS.

Digna Deo Virtus, pœnis urgere nocentes;
Iraſcique malis ſemper, amare bonos.
Ponite mercedem in medio: quæ provocet ultra
Ingenium ad palmas ambitioſa ſuas.
Gliſcit amor rerum & nihil inſuperabile nobis,
Si venit ex merito gloria cuique ſua.
Vileſcit Procerum Virtus terraque marique,
Ni pleno redeat dextera folle domum.
Non meritis bene claude manum. Pars publica rerũ
Si ſuus ex æquo præmia penſet honor.

FORTITUDO.

Seu rotat inſtabilem Fortuna volubilis orbem;
Seu nimium nobis illa ſecunda fluit:
Vir fortis ridet ſortem, nil fractus, utramque.
Et contrà invictum robore pectus habet.
Par animus Fatoque bono fatiſque ſiniſtris:
Intonſi qualis forma Catonis erat.
Hæc veterum norma. Hanc dictat Prudentia Legem:
Neve aliter Virtus perplacet ulla ſibi.

VERECUNDIA.

Effigies morum prima eſt, cum fuſus ab alto
Noſtra verecundus purpurat ora Pudor.

Et facie rubor indicium ſcintillat Honeſti
Datque ſui Virtus indubitata notas.
Arguit ille color tacitæ penetralia mentis,
Virtuti & nunquam linea major erit.

CHARITAS.

Inter tot ſacras, quas ſcripſi carmine Nymphas,
Hæc etiam poſſit Nympha placere tibi.
Quæ fuco falſoque caret, tota æmula Divûm:
Quæ nunc in terris, prô dolor! exul agit.
Sedibus æthereis CHRISTO deſponſa triumphat:
Hîc agit æternùm gaudia Dia CHARIS.

MODESTIA.

Cum bene ſint Superis ſua penſa & ſacra peracta,
Exornet mores vita Modeſta tuos.
Et nunquam tumido inflentur præcordia faſtu,
Fidere divitiis ne videare tuis.
Hunc ſi non tanto Pactolus proluit auro,
Non infelicem vult magis eſſe Deus.
Pulchra placenſque Deo, divina MODESTIA, Virtus;
Proxima quæ cælo tecta laremque tenet.

TACITURNITAS.

Vis tutus vitamque procul traducere curis?
Appone ad linguam ferrea clauſtra tuam.
Sæpe nocet fidum verbis punxiſſe ſodalem,
Et non cuſtodem ritè fuiſſe ſui.
Eſt Virtus, arcana animi non credere cuiquam,
Et premere interius, quod tacitum eſſe cupis.
Plus peccas, qui dente truci proſcindis inermem,
Quàm ſi me ſtricto cominus enſe petas.
Vulneris ac ratio minor eſt, cum corpora lædis:
Conſolidat famæ vulnera nulla manus,

ABSTINENTIA.

In vetitum ruimus cuncti, cupimuſque negata,
Et toto contra nitimur orbe Deum.

Sic

Sic Homines vitiis à primo innaſcimur ortu,
Et turba in pœnas ingenioſa ſumus.
Hinc nos Luxuries imbelles obruit: illinc
Ambitio miſeros enecat, atque nefas.
Tunc omnes gnari rerum, ſi fallere mundum
Inſidiis poſſis Proteus, arte Sinon.
Felix, quem Curius vitiis ſejungit ab illis,
Fabriciuſque ſuo vivere more facit.

OBEDIENTIA.

Regia, Libertas, res eſt; ſed Regibus ipſis
Fas eſt in leges vivere ſponte ſuas.
Nec facile hæc mundi ſubſiſtat machina: ſi non
Res una alterius ſerviat obſequio.
Vtrinque officiis ſic magna minorque poteſtas
Eſt data. Sic Homines mutua turba ſumus.
Sola Dei Virtus cauſis, ita legibus expers,
Cuncta ſupercilii qui gravitate movet.
Imperiis igitur nunquam parere recuſa,
Qui nondum liber, juris & ipſe tui es.

DILIGENTIA.

Sic penſat peccata labor: triſtique veterno
Mens hebet, & gelidus pectora torpor habet.
Pro Lauro meritò ſudor venit. Hoc juvat illud,
Prô dolor! antiquæ pendere labis opus.
Fas odiſſe igitur deductum ab origine primâ
Crimen, & à vitiis abſtinuiſſe manum.
Herculeis tentanda iterum eſt Industria nervis,
Et tot Cocyti monſtra domanda prius.
Vt facis aſſiduè, Phœbo monitore; nec ullum,
Nieuburgi renuis ferre patique jugum.

In Filioli *Diligentiam.*

Non capit Aonias ingens Alcmaria laudes
Filioli. in penſum nunc venit Haga ſuum.
Dum magni miſcere cupit ſe Principis aulæ
Naſſovidæque ſuo proximus ire gradu.

Sic dextrè nunc fervet opus, ſic maſculus inſtat,
Ne minor Auriaco militet in ſtudiis.
Sic poterit quondam doctos numerarier inter,
Ingenio & clarum condecorare genus.
Hoc niti ſplendore decet, famamque tueri:
Quas non ſera dies depopulatur opes.
Adde animum calcarque tuum, Vir magne, volenti,
Olim delicias ſurculus ille dabit.

Finis Coronæ

VIRTUTUM.

Iam quoque Virtutum feſſi ſuperavimus æquor,
Totque inter ſcopulos longa peracta via eſt.
Cepimus hos curſus, Geminis feliciter albis,
Cum RACHALI Sponſus baſia prima daret.
Et Puer Idalius fauſtos portenderet ignes,
Proliferuſque ſacrâ luce litaret Hymen.
Anchora nunc jacitur, portumq; intramus ovantes,
FILIOLI ut redimit pulchra Corona comas.
Et, LANSCHOTE, Tibi curæ & cunabula fervent,
Et RACHALIS partes læta Parentis agis.
Ergò, quo primùm Palinuro intravimus undas;
Illo nunc etiam ſub Duce vela cadunt.
Hoc precor in portu Vates: Tibi, DIA SUSANNA,
Nata recens, longùm proſpera vita fluat.
Et, Quæ nunc ſacri Baptiſmatis abluta lymphis,
Cum CHRISTO poſſis Vivere, & alma Mori.

IUSTA

IUSTA
FUNEBRIA,
In Manes Illuſt. Virorum & Amicorum.

D. IOANNIS à SAECKMA, IC.
Reip. Fr. Senat. Supr. & Acad. Cur.

VAh! nimium pro jure tuo furis arbiter Orci,
Dum reſecas tanti fila fidemque Viri.
Friſia Tarpeias ſupra caput extulit arces,
Olim cum tanto judice tuta foret.
Illius à Fato rerum prudentia languet,
Prô dolor! & terris exiit alma Themis.

D. IOANNIS de SANDE, IC.
Reip Fr. Senat Summi.

POſt manes SANDI terras Aſtræa reliquit,
Et ſapimus Friſii Pierideſque minus.
Ingenii ſupereſt ſolus poſt funera ſplendor,
Qui noctem nobis diſcutit & tenebras.

D. SEBASTIANI PRUSSEN, IC.
Senat. Fr. & Acad. Curat.

CUria PRUYSSENIUM titulis & honoribus auxit:
Cui meritò Pallas præmia tanta tulit.
Nunc quoque naturæ perſolvit debita juri,
Poſtremùm humanis dixit & ore vale.
Scilicet, uſuram qui vitæ cepimus unquam,
Reddimus hanc amplo fænore, Parca, tibi.

D. HECTORIS BOURICII, IC.
Senatoris Friſii.

HECTORA Bouricium, claræ telluris ocellum
Hîc mors exanimem pallida ſtravit humi.

At Virtus menſque alta Viri non ſubjacet umbris:
FRISIA quem merito ſemper honore colet.

D. EVERHARDI BONER, IC.
Senatoris Friſii.

OCcidit, heu! Legum Antiſtes per fata BONERUS:
Qui Friſii nuper lux columenque Fori.
Occidit, & Patriam multo in mærore reliquit:
Quæ nimis à tanti funere fracta Viri.
Nullus ſic pius eſt, ut non fatalia cernat:
Nam nemo à Fati compede liber agit.

D. FRANCISCI IONGEMA, IC.
Senatoris Friſii.

IONGEMA, Friſiaci nuper pars ampla Senatus,
Hic vacat à curis omnibus atque malis.
Nullus ubi coram lites & jurgia nectit;
Læta ſalutiferi ſed patet aula poli
Hoc juvat, ut primùm cælo mens noſtra recepta,
Cætera terreſtri contumulamus humo.

D. GELLI IONGSTALL, IC.
Senatoris Friſii.

SIc eſt, ingenio tantùm mortalia ſupra
Vivimus: in cineres corpus & oſſa fluunt.
Hæc in divina IONGSTALLI parte videmus:
Cujus in æternùm nomen honoſque manet.
Altera pars magnæ concedit victima Matri,
Et nil de toto, quàm bona fama manet.
FRISIA lugebis meritò, quæ manibus illis
Iam facis inferias officiumque pium.

D. ORICHI à DOYEMA, IC.
Senat. Friſii Summi.

ERgò iterum lamenta ſonant in Friſidos aulâ,
Pieridumque minax Parca laceſſit ebur,

Et

Et paſſim Muſis ſic fervent funera, ut annus
Nullus ab inviſâ clade rogoque vacet.
Vix quartâ illuſtrat jam Phœbus lampade terras,
Vt canimus Muſæ ſeptima buſta Virûm.
O Patria! ô toties pulſas Helicone Sorores!
Præſidioque ſui Numinis orba Themis! (nus,
Dumq; dolet DOYMANA ſuum Domus inclyta vul-
Vulnera plus patriæ ſentit at inde ſalus.
Hoc unum nobis in rebus reſtat egenis,
DOYEMA quod pulchrâ Prole ſuperſtes agat.
Atque illo Phœnix è ſemine pullulet alter,
Quo Friſii rurſum floreat aula Fori.

D. HECTORIS GROVSTINS, IC. *Senatoris Friſii.*

RVrſum fatales epulas tibi, Friſidos aula,
Mors parat, & requies non datur ulla rogis.
Vix data GROUSTENIO Iuris Legumque poteſtas,
Cum furtim à tergo trux ſequitur Lacheſis.
Quæ rapit ante diem, Pylium qui Neſtora dignus
Vivendo, & meritis vincere Fata ſuis.
FRISIA, ſic moreris paulatim ævoque ſeneſcis,
Et non imperium Mors manet una tuum.

D. ADRIANI METII, *Alcmariani. Med. D. & Math. Prof. Cl.*

DÆdalus ille alter, magnique decempeda mundi
METIUS, exiguo conditur hîc tumulo.
Sed mens ſidereis jam nunc auguſtior aſtris
Stellarum cernit cominus ore globos.
Et nihil in tantâ terrarum mole Polique
Quod fugit ingenium judiciumque viri.
Totus Hyperboreum vivus ſublatus in axem
Naturæ cernit grande patentis opus.
Nunc verè Aſtrorum Doctor, menſorque peritus
Aërei tractus cælituumque chori.
Salve Divorum, METI, regione recepte,
Poſthac humanis non memorande medis.

D. MENELAI VVINSEMII, Med. D. *& Prof. Celeberrimi.*

CLarus Apollineâ nuper VVINSEMIUS arte
Fædavit fato totum Helicona ſuo.
Non ſecus ac cælo ſi ſpargat nubila Titan,
Cum viſus ſenium deliquiumque pati.
Flete novos caſus, raptumque Machaona flete:
VVINSEMIUM reddit non niſi VVINSEMIUS.

D. GEORGII PASORIS L. A. M. *Gr. Ling. Prof. Cl.*

SI Latiam ſpectes Suadam, Grajoſque lepores:
Vtraque PASOREM Pallas in aſtra tulit.
Omnia Muſarum ſtillarunt ſacra ſub unum
Pectus, & in tanto fixa ſtetere viro.
Omnia nunc uno paſſim periere ſepulchro,
Singula quæ tanti Muſa fideſque facit.

D. IOANNIS BOGERMANNI, *Th. Doct. & Prof. Syn. Dord. Præſidis.*

HOc BOGERMANNUS recubat ſub marmore IA-
De quo magna parens nunc legit oſſa ſibi(NUS:
Scilicet hoc carnis ſpolio mors una triumphas,
Ingeniis nullo dente nocere potes.
Felix! qui ſimili Fato defunctus, ut orbem
Illuſtret purâ relligione Dei.
Quales ſed paucos, Divûm myſteria doctos
Nuper DORDRECHTUM viderat in SYNODO.

D. HENRICI RHALA, IC. & *Profeſſoris Cl.*

EDocuit nuper qui ingentia Iura Quiritum,
Et punctum Eloquio qui tulit omne ſuo:
Illius hîc Suadæ mors occupat atra medullam,
Aſpera nec potuit cogere fata Themis.

Hoc

Hoc ſuperat ſolùm rigido de marmore nobis,
Quod poterit nunquam laus tua, RHALA, mori.

D NICOLAI VVEDELII,
Th. Doct. & Profeſſ. Cl.

NVnc etiam Elyſiis errat VVEDELIUS agris,
Et ſe Cælituum miſcuit ordinibus.
Coram ubi divinas fas eſt agitare choreas,
Humaniſque oculis ora videre Dei.
I nunc, Livor iners, arteſque intende nocendi:
Invidiæ in tantum non cadit umbra Virum.

D. MEINARDI SCHOTANI,
SS. Th. Doct. & Profeſſ.

VIxiſti, SCHOTANE, diu, ſi laudis arenam,
Et numerem ingenii grandia facta tui.
Vixiſti, SCHOTANE, parum, ſi tempora vitæ,
Primaque natalis metior orſa tui.
Debueras vixiſſe tamen Patriæque Tibique
Longius, & doctâ voce tonare DEUM.
Hos Patriæ ex veſtro decerpit funere fructus,
Vt Lacrymis nullum fecerit illa modum.
Et circum ripas Iſalæ Rhenumque bicornem
Nil niſi fatalis nænia triſte ſonet.
Tu vitæ, SCHOTANE, ſatur ſuper ardua cæli
Nunc agis, & fluxas deſpicis orbis opes.

D. GVILIELMI à VIERSEN,
Illuſt. DD. Ordd. Fædd. PP. Delegati.

VIERSENIÆ qui prima dedit cunabula Genti,
Et tantis auxit FRISIDOS arva Viris;
Hîc, vitæ laudumque ſatur, ſub marmore, Matri
Mandat humo corpus, quod potuitque mori.
At laus VIERSENIÆ Domus, & fama inclyta terris
Non ſubſunt juri, mors truculenta, tuo.
Illa ſed in Friſiis æternùm clara refulgent
Nomina; Phœbæo ceu micat igne polus,

Vos

Vos ô Viersenia Rami de Stirpe novelli,
Creſcite frondoſo celſa ſub aſtra jugo.
Et, ſi nunc veſtræ Domus una exaruit Arbor:
Tandem etiam, qui nunc ſurculus, Arbor erit.

D. GVILIELMI STAECMANS,
Dynaſtæ Rugevvartii Ordd. Fr. Dep. IX Viri.

Clauditur hoc uno Staecmanni Gloria buſto,
Sub quo Pieridum floruit omne decus.
Friſia quo potuit veteres æquare Pelaſgos,
Et rediviva ſuo Roma lepore loqui.
Lampada poſt unam, quam mors ſi exſtinxerit una,
Aonidum cunctas mors tenet atra deas.
Sic nihil æternùm ſub climate Solis utroque,
Pieridum exceptis ingeniique bonis.

D. FREDERICI HILLAMA, IC.
Ordd. Fr. Dep. & Prat. Milit.

Exceſſit terris, vitæ ſtatione peractâ,
Hillama, Friſiaci gloria prima fori.
Pieridum, prô! grande decus, Legumque Sacerdos
Inclytus, hîc poſuit membra cremanda rogis.
Quo non in terris major Pietate fideque;
Aut morum priſcâ Simplicitate fuit.
Nunc tamen æthereas, pro terris, incolit arces,
Et bona cum Christo non peritura tenet.
Gratulor Elyſios, Mecænas optime, campos;
Gratulor Halcyonum nunc ſine nube dies.

D. GODSCHALCI HIDDAMA,
Trib. Fr. Ærar.

Friſia cui belli nervum, atque Æraria tanta
Credidit, hic triſti funere raptus obit.
Et jam crudeli ſolvit ſtipendia morti,
Reddit & ex æquo; Parca, Tributa tibi.
Nil cenſus juvat, aut ditis Seſtertia Craſſi.
Debemus cuncti nomina noſtra rogis.

Vixiſſet

Vixiſſet ſeros vitæ GODSCHALCUS in annos
HIDDAMA, ſi Virtus non moritura Virûm.
Aut immunis agat ſolers Prudentia rerum
Contra Tartarei juſſa minaſque Canis.

D. RICHÆI ECHTENI, IC.
Advocati graviſſimi.

QVàm bene ſubduxi me tempeſtatibus atris,
Et requiem æternæ vita Salutis habet!
Vt non corrupti maculem me ſordibus ævi
Amplius, aut fragiles ſecter honoris opes.
Nil mihi vobiſcum eſt fallacis gloria mundi;
Gloria quæ nullâ labe doloque cares.
Angelicos inter gradior ſublimis honores,
Gaudiaque à plenis fontibus orta bibo,
Contuituque fruor blando ſuper æthera Vatum,
Qui circumſiſtunt limina ſacra Dei.
Terra Forumque vale: noſtri mutata figura eſt.
Nil eſt, quod præſtes, Terra, Forumq; mihi.

D. BERNHARDI FVLLENII,
Eccleſiaſtæ Leoverd.

SI Pietas poſſit vivos in marmore vultus
Ducere, & ingenii pingier arte Fides:
FULLENIUS primas tenuit: quem Rector Olympi
Virtutum ornarat dotibus innumeris.
Qui ſeptem denos vitam porrexit in annos,
Iſacidùmque gregi commoda multa tulit.
Cujus perpetuò ſervat LEOVERDIA nomen,
Et ſemper vivo teſte loquetur Honor.
Nunc, ô magne Senex, curis & compede liber,
Poſt mundi ſordes aſtra polumque tenes.

D. HERMANNI KOLDE,
Eccl. Leoverd. Miniſtri.

DVm vixit, plenus divino Numine, KOLDE,
In Friſiis columen grande Sionis erat;
Exem-

Exemplarque novum priſcæ Virtutis. Et inter
Conſpicuos primus Relligione Viros.
In Babylona ſuo toties qui ſæviit ore,
Fulmine Tarpeios impetiitque duces.
Nunc ſilet os ſacrum, Stygiiſque obmutuit umbris,
Atque alius poſt hunc lampada Paſtor habet.
Felix ô nimium, felix LEOVERDIA! Veſtra
Pulpita cum quateret tanta quadriga Senum.

D. CYPRIANI OSTERZE,
Pratoris Friſii.

QVàm rotet inſtabilis Fortuna volubilis orbem,
Oſtendit vitæ triſtis imago tuæ.
In Patriâ primi tetigiſti culmen honoris,
Vnus tantorum fœnore dives avûm.
Omnia nunc tecum mors primo in flore juventæ
Abſtulit, & facta eſt tota ruina tui,
Ingenuas Druidum nihil eſt luſtraſſe Camænas,
Perque bonas artes exeruiſſe caput.
Si quid in æternum de te bona Fama loquetur,
Ingenii virtus ſola decuſque facit.

In manes Cl. Viri,

D. EDONIS NEVHVSII, Patris
Obſervandi, Gymn. Leoverd. per annos XXXI. *Rectoris.*

NVnc, Pater, æthoreâ vivis tranquillus in aulâ,
Terrenis liber ſordibus atque malis,
Cum CHRISTO divinus agis, cælumq; triumphans
Ingreſſus, Patriæ nunc colis arva tuæ.
Fac, ô magne Deus, cum nos rapit invida Parca,
Sic etiam nobis leniter oſſa cubent.

aliud.

Conditur hoc tumulo Parnaſſi gloria montis,
NEUHUSIUS, Friſii rara medulla Soli.
Carnę tenus jacet hîc. Mens incolit ætheris arces,
Et coram CHRISTO gaudia carpit ovans.

aliud.

aliud.

Iuſta queant ulli tam Fata injuſta vocari,
Dum Phœbi occumbit, prô dolor! ipſe Pater?
Atropos hæc nobis infelix funera fecit:
Sic peccat nobis nomine reque ſimul.

aliud.

Quis cubet hîc gelido quæris ſub marmore, Lector?
Hoc ſua NEUHUSIUS condidit oſſa rogo.
Grande Decus Phæbi cubat hoc ſub marmore: nuper
Quo Patriæ ſteterat grande ſalutis opus.

D. ADAMI FORESTI, V. N.
Med. Doct. & Conſulis Alcmariani.

Clauditur hoc tumulo corpus mortale FORESTI:
Vnum quod potuit ſumere Parca ſibi.
Cætera pars, Animus, cælum metitur & aſtra,
Cujus in æternum fama decuſque manet.

aliud.

Hîc ſitus eſt, Lector, Batavûm tutela FORESTUS:
Ille Machaoniâ clarus ADAMUS ope.
Vno quo potuit Reſpublica ducere vitam,
Illius à Fato jam quoque tota mori.

aliud.

Tu nunc urna capis tantâ Virtute FORESTUM,
Quo non ſub Batavo Sidere major erat?
Crede mihi: corpus tantùm mortale ſepulchro
Clauditur, at claudi mens generoſa nequit.

aliud.

Poſt ſeptem vitæ denos hîc occubat annos,
Ingenii multâ dote fideque potens
FORESTUS: ſeros Tithoni vivere in annos
Dignus, & ingenii ferre decuſque ſui.

aliud.

Flete novos caſus, inviſaque Fata FORESTI:
Quo Patriæ nemo tam benè geſſit onus.

In

In mala dum quiſquis poterit ſatis eſſe diſertus;
Hoc res privatis publica plura dolet.

aliud.

Ergò tuos, Vir Clare, rogos Alcmaria ſervat,
Vnius, heu ! nimium funere fracta viri.
In Batavis ſed vivus agis, Divine FORESTE,
Quâ moritur nunquam nominis umbra tui.

IN FILIOLUM.

QVis ſitus hîc, Lector, vis ſignet nomine ſaxum?
Hîc ſita NEUHUSI pignora prima tori.
Maſcula Progenies. Cui mors in flore tenello
Abrupit vitæ menſtrua fila ſuæ.
Invidit Nemeſis Virtutem & nomina terris.
Nunc Puer in cælum raptus, & aſtra tenet.
Sic nunquam moreris, Fili chariſſime: vitam
Qui ſemel ingreſſus contuitumque Dei.

aliud.

Extremis FILI, recubas in Friſidos oris:
Nos Batavo forſan ſub Iove buſta manent.
Nil obſtat, quâ parte jaces, quo ſidere vivis.
Vna eſt, quæ cunctos ſemita ſorſque vocat.

aliud.

Libavi nuper, FILI, quibus oſcula labris,
Illic nunc putrido vermis in ore ſedet.
Exemplo decet eſſe pium. Tu qualis in herbâ
Occidis: hæc omnes nos quoque Fata manent.

aliud.

Fortunate Puer ! vitæ ſtatione peractâ,
Cum CHRISTO in cælis gaudia lætus agis.
Dicere jus veniet Iudex cum in nube ſerenâ,
Hîc tecum, FILI, cominus ore loquar.
Corpus humo tegitur: mens incolit ætheris arces.
Vna eſt pars terris debita, at una Polo.

REINERI

REINERI NEVHVSII, IC.

P O E M A T U M

IUVENILIVM

Liber Secundus.

Nobiliſſimo Ampliſſimoque Viro,

D. CORNELIO SONNEVELT, IC.

Cos. & Senat. Alcm.

VVEST-FRISIÆ PRÆSIDI.
Mecænati ſuo.

FRISIA *quos nobis hîc adſpice junxit Amicos;*
Ingenii clarâ Nobilitate Viros.
Olim quos doctæ meritò admirentur Athenæ,
Et cupiat Cives Roma fuiſſe ſuos.
Hanc Tibi devoveo FRISORUM *à Gente Coronam,*
Mecænas, Batavæ qui quoque Gentis Honos.

ORATIO

In memoriam Chriſti nati.

Ecce ſerenato Titan demittit Olympo
Promiſſam mundo lucem, quâ Numi-
ne fœta
Virgo Puellari concretam è ſanguine
prolem
Enixa eſt, quæ Cœleſtis Genitoris imago
Non ævi incluſa eſt ſpatiis, quæ ſemina rebus
Principiumque dedit,Genitrix Genitricis, amico
Fœdere mortalem jungens cum Numine carnem.
Fas igitur memorare ſacras per carmina laudes,
Et cantare Deum lœtoque applaudere verſu
Naſcenti Puero, & meritos reverenter honores
Solvere; juſta meæ ſolennia dona Camœnæ.
Interea hæc miſeri fata inclementia ſæcli,
Et triſtis rerum facies contraria mentem
In ſtudia avertunt, potiuſque effundere fletum
Præcipiunt, queſtuque animi laxare dolores.
Ecce catenarum vinclis nexuque ſoluto
Tartareas trux Pluto domos, Stygiaſque paludes
Deſerit, & miſerum Phlegethon ſe immittit in or-
Omnia veſano miſcens concuſſa tumultu. (bem,
Quà ruit inſequitur triſti ſors aſpera vultu
Et furor & rabies: Fatum miſerabile mundo
Invigilat, ſuperant latis incendia flammis.
Nonne vides, quantis ſtupeat perculſa procellis
Chriſtiadum ſacrata cohors? Quo Eccleſia caſu
Langueat, & largò laxarit fræna dolori?
Heu ſacra Relligio! quàm te furialibus auſis
Impia ſchiſmaticæ lacerat contagio turbæ,
Conjurata Deo toties ſe opponere caſtris,
Atque Sionæi tractam de vertice montis
Doctrinam cœcis involvere prompta tenebris,
Si qua fata ſinant. Nunc & perverſa ſalutis
Semita monſtratur, quâ non in ſanguine *Chriſti*

Innocuo

Innocuo fundata fides, pretioque fideli,
Flagrantique Dei ſpes ſuſtentata favore;
Sed meritis confiſa ſuis, operumque valori
Intrepide cœlum ſua tanquam debita poſcit.
Blanditur ſibi cœcus amor, vireſque negatas
Addit & ereptos mendax indulget honores,
Obviaque humanis promittit ſidera curis.
Neſtoris hic, alter ſopitos Eutychis ignes
Suſcitat. Hos inter furiis agitatus & irâ
Romanus Phariſæus agit, tumidumque venenum
Intus alit, dirumque nefas ſub pectore verſat.
Ipſe ferus Dæmon ſtimulis exaggerat iras,
Tartaream inſpirans animam, vireſque miniſtrat.
Ipſa etiam válido quatitur Reſpublica motu:
Quæ dum depoſitis fidam ſpem concipit armis
In labem ſtat prona ſuam: furibunda flagello
Intonat Alecto, & blandæ ſub imagine pacis
Funereas inferre faces, & ſpargere belli
Semina mille ſtudet. Quò non diſcordia cives
Perducit? quàm fœda animos inſania verſat!
Adſpice, qui vinctis centum poſt terga catenis
Mars ſuper arma ſedet, quantas exardet in iras
Impatiens tolerare jugum! ut furialia membra
Iactitat, ingratos poſſit ſi ſolvere nodos.
Trux Satan indomitas pridem collectus in iras
In Chriſti movet arma gregem, mundique ſupremo
Tempore, Tartareo rabidus dat vela furori
Ad ſua caſtra vocans ſocios, ut ſigna ſequantur
Intrepido fortique animo, Martemque fatigent
In commune malum. Spes eſt hìc certa ſalutis,
Inquit,& affulget pretium prægrande laboris:
Ergo agite; & rabies vigilet ſopita, dolorque
Exacuat ſtimulis animos, date vela furori,
Irarum laxate ſinus; ite, ite ruentes
In commune nefas, mundoque infundite peſtes
Quotquot Avernus habet, quot ſunt Acherontis in imo
Monſtra vado, ferte àrma citi, ferte arma, trucemq;
Exigite

Exigite in populos rabiem, terraſque per omnes
Accumulate neces, ſævo proſternite letho,
Exercete odiis, ſceleratam exſcindite gentem.
His ſuper accenſi flagrant furialibus iris,
Et ſcelerum verſant artes, Chriſtoque ſacratam
Vnanimes ferrò certant ſubvertere gentem.
Auſtrius infeſtos diſtringens Milvius ungues
Fertur in objectam prædam, lateque per omnem
Teutoniam victor Belgarum affunditur oris.
Iungit Iber ſeſe comitem, Martemque fatigat
Impiger, & fidos vocat ad certamina Fratres.
Conjurant omnes, quamvis meliora precamur,
Belgarum in populum,regnumq; exſcindere Chriſti
Fert animus, Paniſque Dei reparare ruinam.
Fervet opus, rabidoque furens Bellona tumultu
Ferratas in campum acies educit, & iras
Aſperat. Heu quantum bellum,quæ funera faxint!
Tantus amor ferri,bellorum tanta Cupido. (vens
Quis,quæſo, hæc animo verſans ſecumque revol-
Temperet à lacrymis? Quis læto gaudiá ſenſu
Accipiat, mœſtumque queat removere dolorem?
At verò vox certa Dei, & manifeſta voluntas
Mandat, ut infeſti per tot diſcrimina fati,
Mille inter rerum caſus immota feramus
Pectora, quæ diris ſint inconcuſſa tenebris,
Funereis immota malis, ſperare ſalutem
Auſa, atque afflictis melius confidere rebus.
Et jam Virgineo prognatum ſanguine Numen,
Cara Dei ſoboles, miſeri ſpes unica mundi,
Extulit os ſacrum, clariſque infunditur auris
Immanuel, pleniſque refert uberrima rivis
Gaudia, ſollicitos mandans procul ire dolores.
Hoc juvat, hæc ſuperant omnes ſolatia caſus.
Vos igitur, quos hæc facies aſperrima mundi,
Et ſtatus infelix, & lamentabile fatum
Sollicitat,revocate animos, & ſolvite luctum,
Et mecum liquidas memorando ferte per auras
Munera naſcentis Pueri, benefactaque grati

Dicite, quæ effuſo largè manantia fonte
Non fando æquari poſſunt, non divite venâ.
Tu verò lux nata Deo, Deus edite Matre
Virgine, cui meritos nunc inſtauramus honores:
Tu, quæſo, attonitum tantarum pondere rerum
Numinis afflatu ſacrum mihi pectus obumbra,
Adſpiraque mihi, blandoque impellito motu
Infantis plectrum linguæ, quo dicere laudes
Ritè tuas, dignoque queam præconia verſu.
Nox erat, & medium Phœbe pulſabat Olympum,
Languidaque immiſſis invexerat otia ſomnis.
Sed pia Bethlemidos Paſtorum turba per agros
Lanigeras paſcebat oves, nec fida quietem
Cura dabat, nullo languebant membra ſopore.
Interea rutilo vibratus ab æthere fulgor
Emicuit, gelidaque Viris formidine preſſis
Aliger æthereâ Fratrum de gente per auras
Labitur, & clarâ ne quicquam luce refulgens
Aſtitit, & tales effundit pectore voces:
Solvite corde metum, vanas ſecludite curas,
Ne trepidate Viri, venio Patre miſſus ab alto,
Gaudia læta ferens vobis, ingentia pleno
Gaudia larga ſinu, vatum prædicta piorum
Carminibus; votis priſcorum optata Parentum.
Hæc eſt illa dies, Patrio quâ Chriſtus Olympo
Miſſus, & humano conceptus viſcere mundi
Conditor, ingreditur primæ incunabula vitæ;
Quam pia Ieſſæo revocans à ſanguine ſtirpem
Vobis Virgineo peperit Virguncula partu.
Vera cano, & mentes præſenti pignore firmo:
Ite & Regalem tecto ſub paupere Prolem
Faſcibus implicitam rigidoque in ſtramine læti
Cernetis: quam non magni capit ambitus orbis.
Dixerat: Angelici cœtus longo ordine toto
Diſcurrere polo celeres, vectique per auras
Ingeminant lætos, ſocio modulamine, plauſus,
Inſonuere novis placidæ concentibus auræ,
Et ſtupefacta ſacro lucentia ſidera cantu

Diffu-

Diffudêre comas, rutilumque inveĉta per orbem
Cynthia ſuſpenſo flammantes axe quadrigas
Continuit, monteſque feri, ſylvæque triumphis
Indulſere novis, infuſaque flumina ripis,
Terraque feſtivis viſa exultare choreis.
His moniti ſignis rapido veſtigia greſſu
Paſtores ad vicinæ fumantia Bethles
Culmina proripiunt, natamque è Virgine prolem
Panniculis clauſam cernunt, Mundique ſalutem
Stramineo recubare toro, miſerabile viſu!
Salve Virginei Soboles ſanĉtiſſima ventris,
Salve Dive puer, noſtros miſerate labores
Immanuel. Tu ne hîc Patrii deſertor Olympi
In ſtabulo, in duris recubas projeĉtus ariſtis?
Nec tibi Regali famulatur ſplendida luxu
Aula, nec adſiſtit piĉto cuſtodia leĉto?
Non te Sidonio veſtis ſaturata colore,
Non Tyrius præcingat honos, ſed faſcia vilis
Ambiat, & placidam tribuat præſepe quietem?
Tantus amor lapſis mundi ſuccurrere rebus!
Ergò quid inſanis juvat indulgere querelis
Chriſtiadum contempta cohors? quin læta voluptas
Suſcitet affeĉtas mentes, ſenſuſque per omnes,
Gaudia pertentent tacitas ingreſſa medullas.
Ecce ſalus Mundi liquidas infuſa ſub auras
Venit, & abjeĉti vilis ſub imagine ſervi
Amiſſas apportat opes, Stygiiſque tenebris
Submerſam revehit pacem mortalibus ægris.
Primus Homo ſanĉtæ donatus munere vitæ
Expers labis erat: Cœcâ ſed Vipera fraude
In ſcelus impellit miſerum, tacitoque veneno
Occupat, & fœdo pervertit crimine mentem.
Viderat, & meritam Deus inflammatus in iram
Prô dolor! æternæ diffundit ſemina mortis
In miſerum mortale genus, gentemque Nepotum
Ducentem priſcas tranſmiſſo è ſemine ſordes
Perdit, & horribili damnat ſub Tartara fato.
Obſtitit, & patriæ Medium ſeſe obtulit iræ

Filius, & ſortem Mundi miſeratus iniquam
Me, me, adſum Pater alme, in me converte furorē,
Dicit, & indomitas irarum effunde procellas.
Ipſe ego mortales olim transfuſus in artus
Naſcar, & immeritas perſolvam ſanguine pœnas.
His Pater inflexus dictis, poſitoque furore
Conſilia in melius retulit, mentemque benignam
In genus humanum cepit, fidamque ſalutem
Reddidit, & Patrii flammas indulſit amoris.
Felices! tanto quibus eſt devinctus amore
Ipſe Deus, quos in Chriſto ſibi legit amicos,
Peſtiferæque abolens penitus contagia noxæ
Hæredes adſcivit opum, quas nulla vetuſtas,
Non mors, non fortuna, vafri non Dæmonis aſtus
Surripiat, quas non mortali indagine ſenſus
Perdidicit, nemo eloquiis inſignibus æquet.
Stulte, quid infidam vulgi ſublatus ad auram
Tolleris, & Regum innixus Procerumque favori
Aſpera faſtidis malefidi ſpicula fati?
Inſtabilis mundi furor eſt, & gratia Regum
Fluctuat, ambiguis ludens incerta procellis;
Promiſſam mentita fidem: Sed cœlica nullo
Stat varianda die, nullis obnoxia fati
Legibus, in dubiis ſpes intemerata periclis.
Scilicet ut fido Genitor ſuccenſus amore
Blanditur Natis, cognato & ſanguine victus
Largitur veniam facilis, mentemque benignam
Accipit abjecta non implacabilis irâ:
Sic Deus electos miro complexus amore
Proſequitur, nec perpetuas immitis in iras
Ardet, nec meritis compenſat crimina pœnis.
Salve Dive Puer, ſalve Optatiſſime *Ieſu*,
Ieſu nomen habes, in Te ſperare ſalutem
Vna ſalus miſeris ſupereſt: Tu perdita priſcæ
Munera Iuſtitiæ novus & cœleſtis Adamus
Reſtituis, tu longævæ contagia noxæ
Abſterſurus ades. Te noſtrum excivit Olympo
Crimen, & infauſti fortuna miſerrima mundi.

Hunc

Hunc omnes, quicunque gravi ſub pondere culpæ
Ingemitis, quem peſtifero ſua crimina morſu
Sollicitant, quos adſiſtens Erroris imago
Territat, & ſtimulis urget præcordia cœcis.
Huc omnes celerate gradum, Mundique ſalutem
Accipite, & cupidis ſpem veſtram ambite lacertis.
Ecce cubans duris Infans projectus ariſtis
Eriget afflictas firmo ſolamine mentes,
Sollicitiſque animis onus eximet omne, gravemque
Criminis admiſſi molem, ſævique laboris
Excutiet cervice jugum, ponduſque revellet.
Hic dubiis Medicina malis, hic rebus in arctis
Præſidium petitur, vivoque è fonte perennes
Semper inexhauſti potantur fluminis undæ.
Qui ſitit, inde bibat, ſacroque humore rigatus
Torreat infeſtis nunquam ſitis arida flammis.
Hic eſt, hic eſt ille Dei puriſſimus Agnus,
Qui noſtros ſubiit morbos & crimina mundi
Suſtulit, & triſtes toleravit ſponte labores.
Hic eſt ille Dei cælo demiſſus ab alto
Filius, humani quem ſumere corporis artus
Ille Patris voluit rigor immutabilis iræ,
Indicioque reum ſiſti, legumque procellis
Damnari inſontem, quo nos à lege ſolutos
Aſſereret, quæ nos laqueis involverat atræ
Mortis & infernis ferri ſub Tartara pœnis
Iuſſerat: Hæc mundum pro crimine fata manebant.
Quid metuis ſævo vibratum Iudicis ore
Fulmen, & iratos vultus, juſtique tribunal
Numinis, & triſti commiſſa piacula ſenſu
Expendens, meritas horres in crimine pœnas?
Reſpice Virgineo pendentem à pectore Chriſtum:
Hic Patrio fidum caput objectare furori
Naſcitur, hic pro te legis maledicta ſubibit,
Inducenſque tuis lethæa oblivia culpis
Eximet à ſtygiis, placato Iudice, flammis.
Quis tibi nunc fuerit volventi talia ſenſus,
Cerbere? qui diras quondam converſus ad artes

Et Stygium ſpargens, ficto ſerpente, venenum
Auſus es infandis Hominem ſubvertere curis,
Et miſerum Elyſiis Paradiſi avertere campis.
At non promiſſo potuiſti excludere cœlo
Lethifer: Heu! fruſtrà facto ſublate ſecundo
Nequicquam turpes tentaſti ſedulus artes.
Nil cæci potuere doli, nil callidus aſtus.
Ecce ſubit promiſſa dies, quâ è ſemine proles
Fœmineo diri caput attritura Colubri
Naſcitur: ipſe licet ſolitas delapſus ad artes
Excuſſiſſe Deum cupias, ſceleriſque dolique
Nil intentatum linquas, auſuque protervo
Perfodias calcem ſtimulis: tamen illa Draconem
Sub pedibus premet, & victo dominabitur orco,
Et tua lethiferis convolvens regna ruinis,
Et palmâ inſignis, ſpoliiſque Acherontis onuſta
Ibit ſublimi victrix per Tartara curru.
Vtque olim Peluſiacis deduxit ab oris
Iſacidum Deus ipſe genus, triſtique ſolutum
Servitio, Phariæ victor ſubtraxit habenæ.
Vt fortiſunt rupta manu Babylonica vincla,
Conciſumque jugum, fœdique è carceris antro
Eductus Patrios Iudas remeavit ad agros.
Caſtra velut Midiana animis ſuffulta ſuperbis
Invictiſque hoſtem Iojades impiger armis
Contudit: ille potens cœleſtis robore dextræ,
Fulmineâ quatit æra manu, trepidaſque phalanges
Dejicit, & pœnas inimico à ſanguine ſumit:
Sic Chriſtus ſtygium felici Marte Tyrannum
Edomuit, vincliſque feris & carcere preſſum
Solvit, & infeſto mortalem exemit Averno.
I, nunc & technis Hominem ſubverte malignis.
Tu nunc ſummoto tandem confide periclo
Chriſtiade, jacet hoſtis atrox victricibus armis,
Mors humiles jacet ante pedes, nec ſpicula vibrat
Amplius; aut cœcos falcem ſuſtollit in ictus.
O felix genus humanum, ſoboleſque Nepotum
Serior extremis ſæclis, cui ſidere claro

Illuxit

Illuxit promiſſa dies, cui Virginis alvo
Naſcentem noviſſe Deum, cui cernere Chriſtum
Contigit, humani dignatum corporis artus
Sumere, quem toties exoptavere Prophetæ
Iſacidæque Patres manifeſtâ in luce tueri.
Ille autem pleni perfecto temporis orbe
Naſcitur extremo ſæclo, genteſque per omnes
Queis nec libertatis erat, nec cura ſalutis
Spargitur, & denſis umbrarum obducta tenebris
Profert ſacra Dei, vatumque Oracla priorum
Edocet ignaros homines, veloque revulſo
Explicat haud dubio Myſteria cœlica ſenſu.
Hinc Patris ætherei nobis patefacta voluntas
Et vitæ monſtrata via eſt, quâ criminis amplâ
Mole fatigati, *Ieſu* per vulnera pacem
Poſcimus, & fœdam purgari ſanguine labem.
 Quid dubitamus adhuc firmâ ſpe tollere mentes;
Et rerum in dubiis animum revocare periclis?
Inſurgant ſævo ſociati Marte Tyranni
Credentumque neces ructent, det fræna furori
Tartareus Phlegeton; rabidi maris æſtuet unda,
Omniaque horrendis crepitent convulſa ruinis;
Pone metum ſelecta cohors, te fida tuetur
Cura Dei, certo Chriſtus tibi fœdere junctus
Adſtat, & invictæ defendit robore dextræ.
Ille omnes victor longè ſupereminet hoſtes
Conſilio fortique manu, & felicibus armis,
Infeſtaſque valet vel verbo infringere vires.
Namque licet fragiles moribundi corporis artus
Sumpſerit, & vili jaceat præcinctus amictu:
Ille tamen magni ſoboles eſt vera Parentis
Vmbrarum luciſque Deus, cui militat æther,
Quem dominum agnoſcit tellus. qui ſemina rebus
Naturâ ſurgente dedit, conſorſque parentis
Fatorumque potens certo regit omnia nutu.
Ille etiam æterno nobis devinctus amore
Suppeditabit opem facilis, dextramque benignam
Porriget. An verò conſanguinitate propinquos

Deſerat, & Fratri renuat ſuccurrere Frater?
Os Hominis vultumq; gerens, perq; omnia carnem
Mortalem, ſimilis; fœdi ſed criminis expers.
Illum per varios eadem fortuna labores
Excepit, facieſque mali ſe vertit in omnes,
Intentans ſævam dubio diſcrimine Mortem.
Et veluti Rupes vaſtum quæ excurrit in æquor
Ventorumque minis, furiiſque obnoxia ponti
Vrgentes tolerat fluctus, cœlique ruinas:
Sic ubi virgineâ ſacrum caput extulit alvo
Chriſtus, pontificum rabiem toleravit, & iras
Scribarum indomitas, mundique Erebique furores
Pertulit, & fatis rerum vexatus iniquis
Aſſuetuſque malo miſeris ſuccurrere novit.
Heu! quibus illum odiis procerum ſcelerata caterva
Impetiit! quoties ſtolidi convitia vulgi
Audiit! Inſidiis quoties & fraudibus actus
Levigenûm! Quoties noſtræ ſub pondere culpæ
Ingemuit! Quoties frigus toleravit & æſtum
Nudus, egenus, inops; ſacrum dum munus obiret?
Donec poſt multos ſub iniquâ ſorte labores
Viribus exhauſtis crudeli vulnere mortem
Oppetiit, celſo maledicti in robore ligni.
O *Ieſu*; Tu quem crudeli in morte peremit
Noſtri fidus amor, noſtræ cognatio ſortis,
Tu poſſes dubiis nos deſeruiſſe periclis?
Sed jam me rerum moles immenſa fatigat;
Deficiunt Muſæ, pigroque elanguida curſu
Vena fluit, tantis minor eſt Facundia donis.
Quas verò tibi Dive Pater, quas dicere grates
Conveniat? Quo cantemus tua munera verſu!
Quid te tantus amor noſtri: Quid cura ſalutis
Humanæ tenuit? Nos te furialibus auſis
Læſimus, & meritam vitiis accendimus iram,
Digni, quos Legum vibrato fulmine Iudex
Damnet, & æternis rapiat poſt funera flammis.
At tua te bonitas & ſors aſperrima Mundi,
Et noſtri mollivit amor, quo preſſus ab alto

Æthere,

Æthere, mortales ſeſe collegit in artus
Filius Immanuel, noſtroque in crimine ſudans
Rettulit amiſſam mirando fœdere pacem.
Te quoque quis dignâ tollat ſuper æthera laude;
Quis, linguâ licet Angelicâ, perſolvat honorem
Dive Puer, magni ſoboles æterna Parentis ?
Tantane te noſtræ tenuit miſeratio cladis,
Vt patrio avulſus gremio cœlique beatis
Sedibus, & preſſâ vilis ſub imagine ſervi
Majeſtate Dei, contemptâ è Virgine carnem
Sumpſeris, & ſtygiis invicto Marte Tyrannis
Edomitis, triſti nos ducas Victor ab Orco,
Et tecum hæredes in cœli parte reponas ?
Tu datus es natuſque mihi, quo mente renatus
Innocuâ vivam. Tu ignotis Exul in oris
Egiſti, ne cœleſtis mihi Patria regni
Interclusa foret. Tu vixti pauper ut eſſem
Dives inexhauſtis opibus. Te ſplendida mundi
Lumina ſpreverunt, ſolii ut cœleſtis honore
Sublimis veherer, celſoque infuſus Olympo
Servitioq; premam Lethum & dominarer Averno.
Cui tantus linguæ lepor eſt, fandique facultas
Qui tua dona ſatis dignâ celebrare Camœnâ
Poſſit, & Eloquio fidos memorare labores ?
Ergò tui nobis ſacratam indulſeris auram
Flaminis, & blando tenta præcordia motu,
Vt tua perpetuis ſtent altâ mente diebus
Munera, teque pio ſemper veneremur amore,
Laudemuſque omnes meritis pro talibus annos.
Da tua volventes animis exempla ſequamur
Expreſſum Virtutis iter, cœlique beatas
Aſſiduò ſectemur opes, curaque fideli
In ſcelus & vetitos labi caveamus in actus.
Tu nobis præſentem animum, vireſque miniſtra,
Vt mediis quaſi tranquillè vivamus in undis,
Vanaque ridentes nocituri ſpicula fati.
Hinc procul erectos tollamus ad æthera vultus,
Præſidiumque tuum rebus ſperemus in arctis,

Invictaque graves toleremus mente labores;
Donec, quam dederis, vitæ ſtatione peractâ,
Triſtibus exempti, felici funere, curis,
Ad ſtata perpetuæ ducamur gaudia vitæ:
Quæ nec Livor edax, nec acerba calumnia fœdis
Morſibus infeſtet, nec rerum caſus iniquus,
Nec dolor invertat rabidum ſublatus in ictum.

Ad Illuſtrem & Generoſiſſimum

DOMINUM

HENRICUM,

NASSOVIÆ COMITEM,

Poſt confecta Militiæ Munera Leoverdiam reducem.

MAgne Heros: Quo poſt Manes & Funera Patris
Erneſti, melior luxit ab axe dies;
Et fortunato reſpexit ſidere Belgas
Cynthius, & Friſios omnia fauſta manent:
Siccine, poſt varios ſtabilitâ pace labores,
Te reducem noſtro vult Deus eſſe ſolo?
Sic tandem, domitis generoſo Marte Tyrannis,
Felici nobis Numine Victor ades?
Salve Magne Comes! præſtantibus Inclyte factis,
Gloria Naſſoviæ prima Decuſque Domus.
Inclyte ſalve Heros! Noſtræ Tutela Salutis,
Friſiaci Columen Præſidiumque ſoli.
Quo Duce laurigerâ Virtus cum Pallade floret,
Et nitidum Pietas tollit in aſtra caput.
Cœlica divinis cujus Prudentia labris
Inſidet, & pleno quem Sophos imbre rigat.
Qui, Iuvenis, fortes ſuperas Virtute Camillos,
Et veteres Fabios Scipiadumque Genus.
Nec Magno minor Auriaco, victricibus armis
Et Clarum Illuſtri Sanguine Nomen habes.
Ingredère Auſpiciis fauſtis & Numine dextro
Virtutum pulchro Dux comitate choro:

Et cape ſuſpenſo paullum Mavorte quietem;
  Vrbs quà Magnanimo Clara Leone nitet.
Non ſemper rigidis Macedo trux ſævit in armis,
  Nec rapidus Miles Martia ſigna crepat.
Non ſatus ad duri Princeps certamina Martis,
  Et ſemper rigidâ ſtringere tela manu:
Eſt etiam, Patriis ſemoto finibus Hoſte,
  Principis officium dicere Iura Foro;
Et frænare feros & caſtigare rebelles,
  Et rigidâ vetitum plectere lege nefas.
Hæc nunc, poſt acri quaſſatum Marte Philippum,
  Te Generoſe Comes cura laborque manet.
Te Proceres petière ſuis; Te Curia votis:
  Ingemuit mœſto Civica turba ſono.
Vt, cum luctantem ſubducunt nubilà Phœbum,
  Deformat nitidum triſtior aura polum:
At nitet, & pulſâ ridet caligine cœlum,
  Inde ſerenato cum micat axe jubar.
Vt roſa crudeles nimiùm laſſata per imbres
  Demittit lætam languida facta comam;
Pandit, & amiſſos iterùm reſtaurat honores,
  Cum revehit clarum purior aura diem:
Sic etiam poſito renovat ſua gaudia luctu
  Friſia, Præſidiis hactenus orba tuis.
Ipſe videns ſævo Phœbus freta concita cœlo
  Pone modum ventis, Æole, pone modum;
Sternite Vos auræ, dixit, ſubſidite fluctus;
  Ferte, precor, placido gaudia noſtra ſalo.
Naſſovides duris Bellorum exercitus armis
  In Patriam tumidum per mare tentat iter.
Ergò ades, & noſtris felix allaberis oris
  Inclyte Naſſovio Sanguine nate Comes?
Ergò optatus ades? Salve Comes Inclyte, Salve
  Immenſis animi Nobilitate bonis.
Cernis ut emiſſus ſævi de carceris antro
  Pluto Tartareas deſerat ipſe domos;
Imbuat & rabido mortalia corda veneno,
  Lethiferique ferat ſemina mille mali.

Dum Bellona jacet rigido conſtricta capiſtro,
Et Mars auſpicio fert juga mœſta tuo:
Prô pudor! indomitas crudeſcit civis in iras,
Cœcus & interni Martis amore furit.
Scilicet in fœdum fertur Reſpublica caſum,
Tu niſi ſuppedites Auxiliator opem.
Ergò agito, & motos rerum componito fluctus,
Et tege Præſidio Iuſque Piumque tuo.
FRISIA ſic multis Fatorum exercita damnis
Gaudia NASSOVIO ſub Duce Pacis aget.

Nobiliſſimis, & Ampliſſimis

Reip. Friſiorum

SENATORIBVS.

ILluſtres virtute VIRI: Quos rara per orbem
Nobilitas, Pallas, Relligioque ferunt;
Et tanquam cœlo demiſſum Numen adorat
FRISIA, poſteritas ſera memorque canet:
Si vacat, ad noſtras animos advertite Muſas,
Et faciles ſtudiis, oro, favete meis.
Officiumque magis quàm Munera noſtra probate.
Quæ ſunt Ingenii Munera prima mei.
Sic Rex vile capit magno pro Munere Pomum:
Sic parvâ Superis victima mole placet.
Neuhuſius cunctis, dederit quos Iuppiter, annis,
Se totum veſtris devovet obſequiis.

D. D.

IOANNI à SAECKMA.

FRiſia quod priſcis nequicquam cedat Athenis,
Quod Latiæ ſummo ſint in honore Deæ:
Nec minus antiquo Prudentia floreat ævo;
Nec careat tuto Muſa Patrocinio:
Hoc meritis, Vir Magne, tuis debemus abundè:
Quo rurſum Phœbi clarius exit honos;

Et

Et ſacros repetunt Parnaſſia Numina colles,
Et frugem Pallas dat cumulata ſuam.
Lumine quo Muſis tenebras per mortis adempto
Barbaries nobis priſca redire queat.

D. D.
IOANNI de SANDE.

QVid querimur doctâ raptos cum Pallade Mores,
Plenaque flagitiis ſæcula noſtra ſuis?
Quid mundi tenebras inviſaque Fata dolemus,
Antiquo rurſus jam redeunte Chao?
En priſcâ Virtute Virum: Quo Iudice Verum,
Et ſolito poterit Pallas honore frui.
Cui labor eſt unus Legum reparare ruinam,
Et tot præſidiis damna levare ſuis.
Quo non in terris alter Pietate Fideque;
Clarior aut multâ Palladis arte fuit.

D. D.
FRANCISCO à IONGEMA.

QVantum Scipiadæ, vel debet Roma Catoni,
Tantum præſidiis Curia Friſa tuis.
Qui meritis Iudex caſtigans crimina pœnis
Clementi miſeros protegis ore reos:
Et faſtiditas ſancto cum Iure Camænas
Nunc iterum ſolio ſplendidiore locas.
Vindice quo dignos Saturni tempore mores
Credimus antiquum commeruiſſe decus;
Et veteres Mundo Fabios Gracchoſque renaſci:
Quos inter poſſes Principis eſſe loco.

D. D.
ORICHIO à DOYEMA.

ICariis nimiùm peterem ſublimia pennis,
Nec mea ſufferret grande Thalia jugum:

Si laudes, Vir Magne, tuas, Nomenque Decuſque
Iudicii vellem pro gravitate loqui.
Mœonides pleno poſſet nunc farier ore,
Et modulis dulcem tangere Naſo chelyn.
Materies hîc ampla tui eſt, Divine Senator:
Qui clares Muſis, Nobilitate, Fide.
Et nunc in Friſiis, priſcæ pietatis Imago,
Proſequeris rarâ Relligione Deum.

D. D.

GELLIO IONGSTALL.

ILla ſerenatis quondam Lux prodiit âſtris:
Quæ Talem terris Lux dedit alma Virum:
Quem vel Cecropiæ laudent Pandionis arces,
Vel doleat nunquam Roma fuiſſe ſuum.
Quo non Barbaries, vitæque licentia nobis
Flagitiis auſit fœda nocere ſuis.
Quo Friſiis ſervatur Honos ſub Iudice Roſtris,
Et ſociâ Pallas cum Probitate viget.

D. D.

IOACHIM ab ANDREE.

TE pia Caſtalidum comitatur turba Sororum,
Te Latium antiquũ, Te Sophos omnis amat.
Et nihil eſt, quod non mecum Te poſſit amare,
Eloquii & vires Ingeniumque tuum.
Curia cum Muſis tali ſub Præſide gaudet,
Nec potuit clypeo tectior eſſe Fides.
Sanctaque Relligio: quæ Magni Sponſa Tonantis,
Nomine ſub tanto floruit aucta magis.
Hæc referent ſeri de Te, Vir Magne, Nepotes,
Et poteris Talis poſt tua Fata cani.

D. D.

EVERHARDO BONER.

B*Onere*, Auguſti Lumen Columenque Senatus;
Aurea quo Muſis Soſpite ſæcla fluunt.
Et lucem nobis Titan demittit Olympo,
Nubila quæ radiis diſpulit atra ſuis.
Si mea tot Faſces inter turbaſque clientum
Exiguum poſſit Pallas habere locum;
Et non divinæ mentis turbare quietem;
Conſiliis oneri, nec gravis eſſe tuis:
Ne valeam, ſi non felici ſidere natus,
Attalicas longè ſors mea vincat opes.

D. D.

IOANNI NIIS.

SI qua fides veri, præferri Magne SENATOR
Ingenio poſſet Laurea nulla tuo.
Vix fuit in Friſiis Virtute illuſtrior alter:
Sub quo Pieridum gloria tanta fuit.
Et quoniam vivis ſoleat par Fama negari,
Surget poſt cineres par Tibi Fama tuos.
Clarior à tumulo Virtus ſe fundit in orbem,
Effugit & pennâ vividiore rogos.

D. D.

MATTHIÆ à VIERSSEN.

DIc mihi Muſa Virū noſtri ſub climate Mundi
Cujus ab ore magis Suada lepoſque fluant?
Et ſyncera Fides puræ ſibi conſcia mentis
Tollat ubi in toto clarius orbe comas.
Invenias aliquem ſi forſan Moribus iſtis;
Qui juxta Muſas ſit Pietate gravis:
Quamvis & terras omnes Vrbeſque peragres,
Non alio invenies ſub Iove *Vierſſenium*:

Quo

Quo Patriæ firmâ tanquam trabe fulta ruina eſt,
Et ſolido conſtans nititur orbe Fides.

D. D.

HECTORI BOVRICIO.

ILlius ora Viri fulvo complectier auro;
Aut tabulis pictor deſine vane tuis.
Hanc faciem ſolus niſi pingere poſſet Apelles:
Quæ facies vivo digna Catone foret.
Aſt animum, & Latio ſtillantes ore lepôres
Vnus Mœonides pingeret arte ſuâ.
Nos quæ venturis canimus præconia ſæclis,
Magne Vir, Ingenii ſunt levis umbra tui.

D. D.

CORNELIO KENNEMA.

MAgne Vir, in formas vertar, ceu Proteus, omnes;
Auxilium præſtet Pallas, opemque ferat:
Non tamen in veſtras digno ſatis ore, Senator,
Ingenii laudes judiciumque ferar.
Tanta tuos ornat Probitas cum Pallade Faſces;
Debita ſunt meritis præmia tanta tuis.
Et poſſem nimio dives felixque vocari,
Si placeat tanto noſtra Thalia Viro.

D. D.

HOMERO ab HARINXMA.

ESt Tibi, confiteor, divinæ copia mentis;
Sunt nivei Mores, raraque Nobilitas.
Et Sophiæ puro ſtagnant tua pectora ſucco,
Et ſacræ Themidos fontibus ora madent.
Nec quid Cecropidum tabulis ſignavit Apollo,
Nec quid Factorum priſtinus orbis habet:
Quod non mirando ſcruteris acumine mentis,
Et ſubeat limam judiciumque tuum.

Faſtidire

Faſtidire tamen noli, nec ſpernere Vatem:
Materies Laudum quem nimis ampla premit.

D. D.

IOANNI SCHELTINGA,

CLare Vir, in noſtris Numen venerabile terris,
Dum legis hæc, rigidum pone ſupercilium.
Et quâ fronte ſoles veterum pervolvere chartas,
Illâ Neuhuſii carmina fronte legas.
Conſuevêre tuæ Vatem quoque ferre Camœnæ:
Plurima qui Vatum carmine digna geris.
Principibus placuiſſe Viris mihi ſola voluptas:
Hæ ſunt Divitiæ Deliciæque meæ.

D. D.

SEBASTIANO PRVISSEN.

NVnc ego, ſi quondam Muſas in vota vocavi,
Propitias Muſas in mea vota voco:
Vt Laudes, Vir Docte, tuas graviore cothurno,
Eloquio & titulos uberiore canam.
Quæque nimis tenui ſpatio ſe Muſa coërcet,
Illa tuum referat fuſius ore Decus:
Sedula cui cura eſt Muſas Helicone tueri,
Et Sophiæ pleno pectora fonte madent.
Sed cano vulgari carmen triviale monetâ,
Nec queo per laudes, Magne Vir, ire tuas.

Clariſſimis

Acad. FRISIORUM

PROFSSORIBVS,

Præceptoribus ſuis olim colendis.

HÆc ad Apollineum ſincera mente tribunal
Me vetus & verus ſcribere juſſit amor.
Quales primitias illâ ſub Pallade quondam
Legimus, ut tenero cepimus ore loqui.

Thymbræi

Thymbræi Vates, Tripodum qui Oracula docti,
Sit mihi fas veſtris obſtrepuiſſe ſacris:
Nominaque ad ſeros tranſmittere clara Nepotes,
In Vos ne officii pars vacet ulla mei.

Nobiliſſimo Viro,

D. IOANNI MACCOVIO,

S. Theol. D. & Profeſſ.

COelitus in noſtras venit MACCOVIUS oras,
Et Friſiis iſtum ſors tulit æqua Virum.
Quo Duce Relligio priſcos renovavit honores,
Floret & immenſis luxurioſa bonis.
Quo Duce, Socraticæ dulci cum nectare Muſæ,
Fontibus æthereis ora juventa rigat.
Qui toties victor Chriſti pugnavit in hoſtes,
Et ſpolium domitâ de Babylone tulit:
Et contra audaces linguâ congreſſus Athiſtas,
Aſſeruit docto fortiter ore Fidem.
Qui tot divinâ formavit voce Miniſtros;
Cynthia quot tacitâ ſidera nocte refert.
Cœlitus Huic etiam vultu Fortuna ſereno,
Et placidi adſpiret Numinis aura, precor.

Ad Venerabilem & Celeberrimum Virum,

D. IOHAN. BOGERMANNUM,

Th. D. Eccl. Leov. V. D. M.

Et Synodi Dordracenæ Præſidem:

Cum SS. Theol. Profeſſor deſignaretur.

QVem celebrat Chriſti peregrino Eccleſia cœlo,
Nec Pietas uno terminat orbe Virum;
Et vaga ſemotis non tantùm Fama Britannis,
Nec ſolùm Hercyniis Heſperidumque jugis:
Aſt etiam Gades ultra Tanainque remotum
Sepoſitis alio Gentibus axe canit.

Friſia

Friſia quem toties Myſteria ſacra docentem,
  Ieſſæi ac numeros audiit ore loqui;
Et quondam Auriacus miro complexus amore
  Optavit comitem nocte dieque ſibi.
Quem Tameſis nuper Belgis invidit honorem,
  Et Ligeris ſortem maluit eſſe ſuam:
Hic nunc te ſperat portum ſedemque Senectæ
  Franica, poſt vitæ tædia longa ſuæ.

TUMULO
Reverendi & Clariſſimi Viri,
D. GVILIELMI AMESII,
SS. Theol. D. & Profeſſ.

QVem ſancta Pietas terminavit aſtris,
Et Fides nefando ſegregavit orbe:
Quem corde toto cœtus amat Piorum,
Et morte luget Eccleſia peremptum,
Hoc nunc AMESIUS clauditur ſepulchro.
Ille, Lux noſtri ſæculi Decuſque,
Et, quos habet Belgium, Theologorum
Princeps, hac gelidâ requieſcit urnâ.
Qui tot Schiſmaticos contra triumphis
Elatus ovat, armiſque Babylona
Potens ſubegit, & regnum tenebrarum
Deſtruxit audax; Quem ferox Bellarminus
Timere poſſet nervis ſuis ſolutus;
Quem vivum tetrica peſtis Libertinorum,
Oditque maligna ſeges Atheorum,
Hic oſſa poſuit corporis caduci.

Reverendo, Cl. Piiſſimoque Viro,
D. MEINARDO SCHOTANO,
SS. Th. Doct. & Profeſſori.

SI Pietas poſſet vivos in marmore vultus,
  Et faciem in tabulis priſca referre Fides;

Non

Non aliâ vellent poſſentque in imagine pingi,
Quàm ſolum vultu, Vir Reverende, tuo.
Ac ſi fortè parum pectus penetraſſe ſub imum,
Syncerâ Pietas vult quoque fronte legi.
Nec tibi, Vir præſtans, quicquid ſub pectore clausũ,
Quod non plena ſacro Numine lingua probet.
Omnibus hæc Virtus Virtutibus altior una eſt:
Nullos ſub tacitâ condere mente dolos.
Non ſatis eſt ſacri Myſteria pandere Verbi,
Et coram Populo Numinis ore loqui.
Plus docet exemplo, quàm multâ voce Miniſter,
Et niſi vita bona eſt, pondere verba carent.
Te toties miror, quoties pia vota preceſque,
Et non fucatas tollis in aſtra manus.
Suppliciterque Deum noſtrâ pro parte fatigas,
Ne gravis in miſeros æſtuet ira reos.
Vive diu, *Schotane*, Dei Populique Miniſter,
Commiſſumque tibi duce doceque gregem.

Clariſſimo Conſultiſſimoque Viro,

D. BERNHARDO SCHOTANO, I. V. D.

Nunc in Ill. Batt. Acad. Iuris Profeſſore primario,

MAgne Vir, & noſtri celebris tutela Lycei,
Cujùs præſidio nititur alma Themis:
Et Pietas fulcro tanquam inclinata recumbens
Immenſas Sophiæ fonte recludit opes:
Se legum tibi debet honos, & Friſica floret
Auſpicio Pallas nobilitata tuo.
Eruis in lucem qui quicquid priſca vetuſtas;
Vel tenebris horrens abdidit umbra ſuis.
Et querulas æquo pendens examine lites
Aſſeris Eloquio Civica jura tuo:
Ne ſua deſertus fortunæ damna Pupillus;
Servitii durum neve queratur onus;
Aut nimium Impietas graſſetur libera terris,
Et nunquam pœnas ſuppliciumque luat.
Sic Patrios cineres centum Virtutibus ornas,
Et tanti recreas laudibus oſſa Viri.

Clariſ-

Clariſſimo Conſultiſſimoque Viro,

D. HENRICO RHALA, I. V. D.

& Profeſſori.

CRedite, facundæ Virtus eſt cœlica linguæ,
Et vis Eloquio magna lepôris ineſt:
Olim quâ ſocias Amphion ducere ſylvas
Dicitur, & tigres edomuiſſe feras.
Difficile eſt quicquam populo ſuadere neganti,
Si cultu & docto verba nitore carent.
At cum laxatas Facundia ſentit habenas.
Cuncta, velut cœli fulmine tacta, tremunt.
Illa rudes animos & agreſtia pectora mulcens
Edocuit mores imperiumque pati.
Illa truces blandis verbis emolliit hoſtes,
Et Populis leges impoſuitque jugum.
Illa graves iras forteſque in prælia dextras
Ingenii fregit viribus uſa ſui.
Nec tantùm ſævi potuit Mars fulmine belli,
Quàm dulci linguæ flumine Suada fluens.
Ergò Te meritò celebramus Carmine, RHALA,
RHALA potens Themidos Pieridumque bonis.
Tu tanquam culto quondam Piſiſtratus ore
Friſiacum poſſes voce movere ſolum.
Sic potes in grandes dicendo effervere fluctus;
Sic redolet puros Lingua diſerta favos.

Ad

Clariſſimum Doctiſſimumque Virum,

D. MENELAVM VVINSEMIVM,

Med. D. & Profeſſorem.

SI nunc æthereâ frueretur Luce Melampus,
Cumque Machaonio viveret Empedocles.
Theſſalus ac duris relevaret Corpora morbis;
Vel ferret miſeris Nicone natus opem.

Atque

Atque iterum ſacras Podalirius afferat herbas,
De tumulo doctus ſurgat & Hippocrates.
Et gelidos Pæon manes exoſus & umbras
Atra tenebroſis colligat oſſa rogis.
Si Medicos omnes, coluit quos priſca Vetuſtas,
Rurſus ab Elyſiis redderet umbra locis,
Diſpeream ſi non tantos *VVinſemius* inter
Præcipuas partes poſſet habere Viros.
Quo non res Medicas callet prudentior alter,
Nec Sophiæ fontes plenior ore bibit.

Clariſſimo Viro,

D. ADRIANO METIO,

Med. Doct. & Matheſeos Profeſſori.

CLare Vir, Ingenio totum qui ſuſcipis Orbem,
Et faſtiditâ te quoque tollis humo.
Qui procul à terris caput inter nubila condens
Fixa ſuis coram ſedibus aſtra vides.
Et ſub diverſo dimenſus climate Mundum
Ante tuos oculos cernis utrumque polum.
Quem nihil in terris, nec cœlo præterit alto,
Abdita nec tenebris res latet ulla ſuis.
Cui vaſtos aperit rerum Natura receſſus,
Et fœcunda ſuas Veſta recludit opes.
Poſt tot terrarum tractus cœlique labores
Nunc etiam Muſis Carminibuſque fave.
Et tibi devotum facilis complectere Vatem,
Materiem verſus cui tua Fama dedit.

Clariſſimo Conſultiſſimoque Viro,

D. ARNOLDO VERHEL, I. V. D.

Art. Lib. Mag. & Profeſſori.

QVid ſic divinis Laudibus Stagiritam,
Diſertumque Athenæ tollitis Platonem:
Quàm ſi Apollinis illi nati cerebro,
Atque Iovem ſupercilio notaſſent?

An

An turba tantùm Peripateticorum
Et illa profana claſſis Atheorum
Mundo Cimmerias diſpulit tenebras?
Hi ſolùm Sapientiæ & Literarum
Vnici fontes, & ſœculi medulla:
Quos ſuperſtitioſa colit vetuſtas?
Non noſtris etiam Socrates Lyceis;
Aut quis Cecropidum præſidet Sophorum:
Qui, Docti Zenonis inſtar ſeu Chryſippi
Informet docilem Sophiâ juventam;
Ni *Verbellius* Socraticis Lyceum
Irroret undis, & nobilem Sophiam
Vindex Vandalicis eruat ruinis:
Iam dudum, relegatis procul Camœnis,
Gravi torpuerat Friſia veterno.

Celeberrimo Doctiſſimoque Viro,

D. GEORGIO PASORI, L. A. M.

Græc. Litt. Profeſſori.

CLare Senex, toto ſpiras qui pectore Phœbum,
  Et Muſas omnes ſub ditione tenes;
Quem ſacræ irrorant non uno fonte Camœnæ,
  Cecropidumque ſuo Muſa liquore rigat;
Te Duce lux oritur Latias diffuſa per urbes:
  Nubila quæ radiis Lux fugat atra ſuis.
Et nobis doctas reparas jam rurſus Athenas:
  Horrida quas tenebris merſerat umbra ſuis.
Te nunc Mœonides, PASOR, ſua plectra movere,
  Et coram poſſet Pindarus ore loqui.
Franicaque, æternum Tibi quæ debebit honorem,
  Grajugenum didicit nectere verba modis.
Nec dubito: ſolers mutavit Græcia ſedem,
  Et vult in Friſiis Muſa Pelaſga loqui.

Clariſ-

Clariſſimo Doctiſſimoque Viro,

D. BERNHARDO FVLLENIO,

Sanctæ Linguæ Profeſſori.

F*Vllenius*, Friſii Decus immortale Lycei,
Virtuti & Muſis nocte dieque vacat.
Nec jungi ſociâ meliùs cum Pallade Virtus;
Aut potuit priſcâ cum probitate Fides.
Cum mundi ad fragiles multi graſſantur honores,
Et cumulant vitæ prætereuntis opes:
Fullenius pulchrâ Virtutum dote ſuperbus
Pieridum ſolâ ponit in arte decus.
Nec curat titulos, quos vanum vulgus honorat,
Deliciaſque ſibi degener orbis habet.
Vnius in Chriſti meritis vult dives haberi,
Qui ſemel amiſſas reddidit unus opes.
Hoc ſua ſolatur mortalis tædia vitæ:
Quo ſibi propitio gaudet habere nihil.
O quoties dixi! Gens omni ex parte beata,
Quæ ſub pace viget talibus aucta Viris.

Clariſſimis Doctiſſimiſque Viris,

D. EDONI NEVHVSIO,

D. VIBRANDO REVIO,

D. PETRO MOLL.

Illuſtrium in FRISIA *Scholarum*

RECTORIBVS,

Ex Decreto DD. Ordd. novam Grammaticam edituris.

SIc Vos nitoris Vindices Romani,
Atticæque Tutores venuſtatis,
Et Suadæ Doctores politioris,
Nunc nugas quoque Grammaticales,
Et prima rudimenta Literarum:

Quæ

Quæ niſi Pueris ſolent præmandi,
Vel curat humilis tantùm Palæmon,
Ad Veſtri lancem Ingenii libratis?
Sic Vos Magnifici Gymnaſiarchæ,
Qui florem medullamque Latialem,
Et totam ſapitis Antiquitatem,
Veterem recoquitis Priſcianum?
Qui diſertis Rhetorum diſciplinis,
Et tot vetuſtis Principum Sophorum
Doctam formatis artibus juventam:
Vos Grammaticæ ſtabulum purgatis,
Tot plenum ſordibus ineptiiſque
Viri præſtantes? Vos teneris Puellis
Prima ſignatis Elementa vocum?
Qui Cyrrham, Permeſſumque, & Helicona,
Qui Cecropiæ latices Minervæ
Bibiſtis intùs; qui plenè ſcatetis
Imbre vivo, & Caſtalidum liquore:
Vos nunc Romulei feces Evandri,
Et tot Syntaxeos fœdos errores,
Tot ſphalmata, tot regulas inanes,
Et rudes Barbarorum Solœciſmos
Supercilio rigido notatis?
Ergò ſiletis Muſæ amœniores,
Priſcæque lepos Eruditionis:
Et riges frigeſque Suada Tulliana,
Mellis nectariſque flumen perenne.
Iam ſitum pulveremque cavernoſum,
Et ſordes ſqualloremque fuligínoſum
Muſa Cimmeriis trahis tenebris.
Nec tibi Peligni ruris alumne,
Nec tuis quoque Cicero diſerte
Hîc nunc facundis otium Camœnis.
Hîc cenſor Donatus; hîc Ariſtarchus
Stringunt atrocem Critici ſecurim;
Et blennas, bardas, barbaraſque voces
Stylo flagellant, & Regnum tenellis
Grammaticale Pueris reformant.

Vos, Inclyti Aonidum Coryphæi,
Doctarum celebres Artium Magiſtri,
Sufferte moleſtum læti laborem,
Et jugum ſubite Grammaticale
Mentibus ſanis corporeque ſano:
Vt non per ſalebras, longaſque ambages,
Et mille cautes, ſcopuloſque errorum,
Et tot inutiles præceptiones,
Tot modos, caſus, & Exceptiones:
Quæ, quis, neſcio, ſomnians Donatus
Præſcripſit vigilans Pubi miſellæ.
Planam, facilemque, compendioſam,
Puram putamque, methodicam, nervoſam:
Non elumbem, jejunam, non luxatam,
Vt vulgus aſſolet Grammaticorum,
Nobis Grammaticam facite, Rectores,

Nobiliſſimo Viro,
D. ORICHIO à DOYEMA,
Reip. Friſ. Senatori *ſpectatiſſimo:*

Cum ex Supremæ Curiæ Decreto ac Conſiliis,
Annuæ Magiſtratuum Electioni præeſſet.

INclyte Vir, noſtri quem non capit ambitus orbis,
Nec ſpatio includit Belgica tota ſuo;
Non aliter, quam ſi deſcendat Iuppiter aſtris
Vlturus ſcelerum fulminis igne reos;
Te coram inflexo metuunt ſibi poplite cives,
Curiaque attonito plena timore tremit.
Et tanta exedit curarum flamma medullas,
Vt vix ſit menti conſiliiſque pudor.
Et vetet hoc ſancti ſi non reverentia juris,
Te faceret, vereor, turba profana Deum.
Non ſecus ad fluxos multi graſſantur Honores,
Quàm ſi Chriſtiadum pendeat inde Salus.
Non ſua Relligio; Pietas non fœdera ſervat:
Omnia flagitiis plena, ſcatentque malis.

Ah

Ah miſeri! tantùm quid ſceptri inſana cupido,
  Imperii & cœcus corda fatigat amor?
Quid fallax vitæ requiem Veſania turbas;
  Quid tituli tantùm gloria vana juvat?
Curia quos Faſces, quos dant Suffragia cenſus,
  Damnabit tenebris nox modò longa ſuis.
Deſpicis hæc Hominum ludibria Magne Senator,
  Nec potes hæc æquâ Crimina mente pati.
Ergò agis, & Patriæ Vindex Tutorque ſalutis
  Ad meritos defers publica Sceptra Viros:
Quos Pietas, & rara Fides commendat, & aucta
  Quorum præſidiis Friſica Pallas erit.
Et melius, ſi Fata ſinant, Harlinga per orbem
  Diffuſum latè tollet in aſtra caput.
Gratia ſit Vobis, Proceres, qui Numine veſtro
  Talibus ornatis Templa Forumque Viris:
Qui pacem Muſis & terris otia donant,
  Et quibus eſt cordi Relligionis amor.
Quos non privatæ tam tangit cura ſalutis;
  Publica quàm Patriæ cauſa ſaluſque juvat.
Hinc Tibi perpetuùm, fas eſt, Venerande *Senator*,
  Poſteritas grates officioſa ferat.
Nec laudes Harlinga tuas ſatis oris habebit
  Pro meritis unquam commemorare tuis.
Nos igitur, quamvis rerum ſit copia major,
  Temporibus ſeris iſta legenda damus,
Et Nomen, Vir Magne, tuum, Laudeſque Decuſque
  Neuhuſio ſemper Vate ſuperſtes erit.

Nobiliſſ. Viro,

D. HOMERO ab HARINXMA,

Supremæ Ill. Friſ. Curiæ Senatori.

Cum ob deliberanda cum Hoſtibus de *Pace* Conſilia,
Hagam-Comitis proficiſceretur.

DUm Batavos, Vir Magne, petis pro Pacis amore,
  Et prius Harlingæ Te tenet urbis honos:

Non ſine Vate vagum tendet tua puppis in æquor,
Leniat alloquiis qui freta vaſta ſuis.
Qui rabidos Euros forteſque in prælia ventos,
Et conjuratos mulceat arte notos.
Sæpè procelloſâ Boreas bacchatus ab Arcto
Submiſit votis prælia tanta piis.
Et mare terribiles tacitum compeſcuit undas
Viſaque pacifico ludere cymba ſalo.
Ergò omnes longè Nereus in vincula fluctus
Coge potens, placidi ſibilet aura ſali.
Et freta Nereïdes pictæ per mollia ludant
Vndique Nympharum dulce canente choro,
Squammigeri vitreo recreent ſe in marmore piſces,
Proſiliantque ſuis territa monſtra vadis.
Æolus adſpiret zephyros ad vela faventes,
Et facilem lenis verberet aura ratem
Ite procul rapidi vaſto cum turbine venti,
Et ſidus lateat dira Lacena tuum.
Sæva tenebroſo condat ſe Scylla profundo;
Territet infelix neve Charybdis aquis.
Blanda ſerenati facies ſe pandat Olympi,
Veláque cum voto proſperiore fluant.
Dilectum Friſiæ pignus, clarique Leonis,
Et Patriæ præſtans nunc vehis Argo Decus.
Ipſa Fides Pietaſque tuis nunc innatat undis,
Priſcaque Nobilitas creditur Oceano.
Belgica quo forſan jam Conſultore quietem,
Et capient finem bella nefanda ſuum.
Lætaque pacificas repetet Concordia terras,
Et tutas paſcet Dux gregis inter oves.
Dî maris & terræ ſævos componite fluctus,
Et Superis tanti ſit quoque cura Viri.

Nobiliſ-

Nobiliſſimo Ampliſſimoque Viro,

D. IVLIO ab HARINXMA,

Ill. Friſ. Ord. IX-viro.

PLaudite Friſiades, priſcis Gens inclyta Faſtis,
Cui quondam ſpolium Martia Roma fuit.
Plaudite, nec Veterum ſubeant oblivia laudum,
Quas memor antiquis Friſia debet avis.
Eſt pudor Heroum Fatis occumbere famam;
Eſt benè Majorum geſta ſilere nefas.
Hos inter Titulos, noſtræ miracula Gentis,
Fulget *Harinxmana* ſtemma decuſque Domus,
Quæ tot diffuſis Majeſtas cognita terris
Olim Cæſaribus penè verenda fuit.
Et nunc, ne veterum ſit fas Annalibus uti,
Nobilitas ſummo nititur iſta jugo,
Quæ quondam *Erneſti* Patris moderamine crevit;
Hæc nunc in Natos profluit aucta Salus.
Cœlitus ac iſto prodit de ſtemmate Virtus,
Cui clavum, & ſceptri Patria credat onus,
Nec facilè admittet tali Cuſtode ruinam;
Aut ſe relictam ſentiet alma fides.

Nobiliſſimo Viro,

D. PETRO ab HARINXMA,

Nunc Illuſt. Friſ. Curiæ Senatori.

HVc ades, & noſtras vultu dignare Camænas
Inclyta *Harinxmana* Lauſq; Decuſq; Domus.
Hîc canimus Faſces, & magni Sceptra Tonantis,
Et juvat humanâ voce ligare Deum.
Hîc rerum Dominos in carmina noſtra vocamus:
Fama quibus gaudet tutius ire foras.
Hîc Patriæ æternum læti celebramus honorem,
Et venit in numeros Friſia ſæpe meos.
Torqueor in formas Vates, ceu Proteus, omnes;
Nec vultus idem, forma nec una manet.

Et poterint quamvis non omnia carminis eſſe,
Omnia materies carminis eſſe volunt.
Iam querimur triſtes non noſtro in funere manes,
Et tumulo lacrymas mœſtaque verba damus.
Iam Venerem pulchram fido ſociamus Amanti,
Et facimus coëant Fœmina Virque toro.
Relligio eſt, aliquid teſtes latuiſſe Poëtas,
Et quod Vate caret, triſtius omen habet.
Invenies illic junctos tibi ſanguine Fratres,
Quorum præſidiis Iuſque Piumque viget:
Et benè ſe tutam Reſpublica credere poſſit,
Cum noſtro Pietas exul ab orbe fugit.
Adde tot Aonias teſtantia Carmina curas,
Convenienſque ſuis ver juvenile jocis,
Et color exiguus quanquam puerilibus iſtis;
Attamen in parvis blandior ipſe mihi.
Nec pudor eſt, ſi nunc Iuvenem me carmina dicant,
Ne modò ſim Iuvenis cum decet eſſe ſenem.
Et ſi quid vitii properatum carmen habebit,
Neuhuſio veniam prima Iuventa dabit.
Hoc etiam, ſuaſit Pietas, inſcripſimus Albo
Et Decus & Nomen, Vir Generoſe, tuum:
Vt, ventura meos cum verſus viderit ætas,
Poſthuma Te cœli Fama ſub aſtra ferat.

Ampliſſimo Viro,
D. ALBERTO ab AYSMA,
Quæſtori.
Nunc Ordd. Fr. Delecto.

NEc tantum Fabios, nec jactet Roma Catones;
Aut vetus antiquos Græcia laudet Avos.
Sunt etiam Friſiis mundi glacialis ad oram
Iuſtus Ariſtides Cecropidumque ſenes,
Aurea pacificis qui donant otia terris,
Et Patriæ curam cum Pietate gerunt.
Hos inter, Priſcis non inferiora ſequutus,
Virtute & meritis eminet AYSMA ſuis.

Quem

Quem genuit ſeris Fati clementia ſæclis,
  Præſidium & noſtro vult Deus eſſe ſolo.
Poſteritas venerare Virum, quo Frisia majus
  Lucida ſub cœli ſuſtulit aſtra decus.
Et, fateor, tantis; quantùm Formica Leone,
  Eſt minor Ingenii copia tota mei.

Ampliſſimo Viro,

D. FREDERICO ab HILLAMA, I.V.D.

Illuſtrium Friſ. Ord. Delecto.

HIllama, qui tantis orbem Virtutibus imples,
  Et multâ clarum Pallade nomen habes:
Ne grave ſit noſtras oculis dignarier artes,
  Et cum Pierio paucula Vate loqui:
Qui nunc ſe veſtras cultorem ſiſtit ad aras,
  Nec ſinit à tenebris tanta decora premi.
Viribus humanis quantùm comprêndere fas eſt,
  Doctaque melliflui lingua lepôris habet;
Serviet hoc vobis, Mecænas optime, ſemper,
  Paret & officiis Ars mea tota tuis.
Nulla dies adeò faciet me ſorte beatum;
  Non rapiet felix tam mea vela Notus;
Vt tua non toto Virtus cantabitur orbe,
  Et famæ ſemper ſit ſeges ampla tuæ.
Ipſa mihi linguam Divini Suada Maronis,
  Eloquium præſtet Tullius ipſe ſuum:
Dimidiâ poſſem nondum contingere parte
  Ingenii laudes judiciumque tuum.
Friſia, quam dudum Populi ſententia diſcors
  Multaque Nobilitas Ambitioque regunt;
Et tot difficiles inter ſuffragia partes
  Fortunæ cœcis implicuêre vadis,
Poſt malè commiſſam vulgi ſub Lege ſalutem,
  Exeris Auſpicio nunc meliore caput.

Clariſſimo Conſultiſſimoque Viro,

D. AHASSVERO à VIERSEN, I. V. D.

Inclytæ Reip. Leoverdienſis SYNDICO *prudentiſſimo.*

Et Illuſt. Friſ. Ordd. IX-viro.

TAndem etiam Virtus Patriis à ſedibus exul
In Patriam fauſtâ luce viâque redit,
Debitaque ingenuos comitantur præmia mores,
Et ſolito priſcum Fas in honore viget.
Publica *Vierſenius* jam rerum ſceptra tuetur.
Et regit Auſpiciis civica Iura ſuis.
Hoc Duce Laurigerâ Pietas cum Pallade floret,
Sanctaque Relligio purior orbe nitet.
Et non audacem tollens veſania frontem
Edere terrificas audeat ore minas.
Ambitio cœcis Erebi damnata tenebris
Triſtia Fortunæ Fata vicemque dolet.
Dî Superi ſervate Virum; ſi publica Vobis
Otia, ſi curæ Friſica ſorte ſalus.

Ampliſſimo Conſultiſſimoque Viro,

D. THEODORO SAECMA,

I. V. D. Cum Illuſtris *Leoverdiæ Metropolis.* SECRETARIUS denunciaretur, nunc Curiæ Fr. ſupr. Senatori.

NOn Tibi delatos ſic *Saeckema* grator Honores
Curia quàm meritis gaudeat ipſa tuis.
Hæc Rectore carens dubiis errabat in undis,
Nec poterat Fati certior eſſe ſui.
At Tibi ſors cœlo nutus veniebat ad omnes,
Omine felici qui Iove natus eras.
Sic magis excellens priſcis *Leoverdia* faſtis
Victurum tolles ſemper in aſtra decus.

A te-

A teneris Puerum quem Pallas fovit in ulnis,
 Vberibuſque ſuis nutriit alma Themis.
Huic nunc conſiliis prudens ſecreta Senatus
 Et ſua concredit Publica Sceptra Fides.
Plaudite Magnanimi felicia tecta Leonis,
 Præſidiis tanti tecta beata Viri.
Vna dies Legum nuper quas abſtulit Artes;
 Has iterum vobis reddidit una dies.

Spectatiſſimo Viro,

D. OTTONI SVALVE.

SIc Tibi civiles ſubmiſit Curia Faſces
 Sualüe, Friſiaci gloria magna ſoli:
Inclyta quem Virtus famæ mandare perenni,
 Et poterit cœli tollere ad aſtra labor.
Hinc fluet in noſtras major Prudentia terras,
 Et ſibi poſteritas ſentiet aucta decus.
Pieridesque vigent tali ſub Iudice Muſæ,
 Doctrinæ rediit jam quoque priſcus honos.
Et nova Caſtalidum pertentant gaudia ſenſus,
 Lætanturque ſuis pulpita docta bonis.
Muſarum inconſtans cum plebs moderatur habenas
 Et jus in doctam Pallada vulgus habet;
Aurea ſe nobis ſubducunt ſæcula Vatum,
 Et nullum lepido profluit ore melos.
At nunc quas nuper tenebras affuderat orbi
 Barbaries, hebetans cordaque torpor iners;
Has iterùm puro diſcuſſit ſidere nobis
 Sualüe, Pieridum lauſque decuſque chori:
Quo Duce Mœonides poſſit ſua plectra movere,
 Et ſolitam vivus tangere Naſo chelyn.

Ampliſſimo Viro,

D. HENRICO à MARSVM.

DVm rotat *Auriacus* nudum Mavortius enſem,
 Horrendiſque crepant tympana rauca ſonis.

Dum furor infeſtat violentis cuncta rapinis,
Et quatit obſeſſas machina ſæva domos;
Vt victi agnoſcant Belgarum juſſa tyranni,
Et Batavis poſſit tutior eſſe quies:
Tu pulchrum, Vir Clare, cies pro Pallade Martem,
Aonidumque geris fortia bella choris;
Ne ſubeant priſcas Muſarum caſtra ruinas;
Aut redeat Gothicum Vandalicumque Chaos,
Et ne quid labis capiat probrique Minerva,
Provida Mecœnas cura laborque tibi eſt.
Vtque novem Muſas, ſic publica Iura tueris,
Nec minus ex Phœbo, quàm Pietate gravis.
Mars tuus in puræ fervet Virtutis amore,
Aſperat in ſontes & ſua tela manus.
Nec dubium: tanti quin nobis Nominis omen
Cœlitus, & Fati certa ſit iſta fides.
Atque utinam! multos habeat Reſpublica tales,
Qui Muſas unà cum Pietate colant;
Et Faſces Virtute beent, factiſque decori
Pro Patriâ pugnent ſic quoque Marte ſuo.

Ampliſſimo Viro,

D. IOANNI BEYMA,

Inclytæ Civitatis Leoverdenſis Coſ.

Nunc ill. Fr. Ordd. ix-Viro.

NI favor, & lætis adſpiret Gratia Muſis,
Continuò Vatum languida vena fluit.
Barbarus, & Geticis horrens Ignavia caſtris
Adſtringit multo pectora dura gelu.
Atque utinam! noſtri probet hoc ne injuria ſæcli,
Quo nimiùm Pallas ſub pede trita jacet;
Nec datur Aoniis Libertas debita Muſis,
Et pius in Superos Templaque friget amor.
Viderat hanc nuper Muſarum *Beyma* ruinam,
Et Patriæ doluit triſtia fata ſuæ.
Nec torpêre gravi patiens Helicona veterno
Pieridum ſtatuit præmia digna choris.

Et

Et Vatum ingenuas tam Conſul protegit Artes,
Publica quàm Iudex Sceptra Forumque regit.
Hoc juvat: & tali poſſet ſub Conſule felix
Neuhuſii Pylios vivere Muſa dies.

Clariſſ. Viro, Seni venerando,
D. BERNHARDO FULLENIO,
in Eccleſia Leoverdienſi V. D. M.
Ex
Illuſt. Ordd. decreto,
Cum ob novam S. Bibliorum Editionem & Cenſuram, Lugd. Bat. delegaretur.

BEate Senex, noſtræ Vates ſalutis,
Lumenque columenque Eruditionis,
Qui vitæ plus quater decies in annos
Chriſtum profeſſus, callemque rectum
Virtutis urgens, ritè DEO Miniſtras.
Tu nunc beate Senex, Paſtor verende,
Tot pollens dotibus Animi benigni,
Quot nocte cœlum ſtellas habet ſerenum;
Tot ſacræ potens muneribus Sionis,
Quot frondes Athos; Hermus habet arenas:
Tu tuæ nunc gregem fidei commiſſum,
Cœtuſque deſtituis Solymæ beatos?
Iam noſtris remota finibus Delubra,
Alioque forſan Populus ſub axe
Hoc linguæ plectro & dulci Suadâ fruetur?
Heu! quàm *Leoverdia* ſortem ſiniſtram
Fatumque dolet! Mœror fletu remiſſo
Invadit Vrbem. Fideſque Pietaſque
Suum deſiderant pariter Patronum:
Te nunc, FULLENI, Vir, Fœmina, Puerque;
Te Civis, Te Curia, Te Senator,
Te vota revocant Procerum Patrumque,
Te nunc NASSOVIUS, Friſiæque clarus
Ordo Nobilium; Te Saga Togæque,
Te cuncta reducem Batavis repoſcunt.

SOLATIVM

Super immaturo inopinatoque funere,

Clariſſimi, Conſultiſſimique Viri,

D. IVSTI REIFENBERGII, I. V. D. ejuſdem Facult. Profeſſoris primarii,

Ad Affinem mœſtiſſimum,

D. GEORGIVM PASOREM.

GEntis Pelaſgæ, veteremque Græcorum
Facundos, venerande PASOR, lepores,
Intimeque Suadam docte Tullianam.
Vir omnibus præſtans ſtudiis Minervæ,
Tam ſacris Aoniæ, quàm imbute profanis
Muſæ ſecretis. Tu quid inter tot rerum
Famæque laudes & virtutum trophæa
Pulſas ſingultibus ilia profundis?
Quid mœſtis ora fletibus lacrymiſque
Rigas acerbis? An crudelem minatur
Tyrannus ictum, Cæſarque violentus,
Qui tot Chriſtiadum carnifex malignus,
Conſpirat iterum in Teutonum ruinas?
An hoſtis atrox claſſicum tympanumque
Horrendo fatigat crepitu Mavortis,
Ad Rheni Moſæque littora vicini?
An te Belgarum tangit amor ſalutis,
Præclare Senex, doleſque peremptum
Bellonæ furiis magnanimum Achillem,
Heroumque, alterum Scipionem, *Erneſtum*?
Num majus ludibrio quicquam Fortunæ,
Vir magne, doles; Num gravior tempeſtas
Fatorum; truciſque cœli minæ potentes
Pectus lethalibus feriunt ſagittis?
An Parca ferox, Acheronte refuſo,
Stipata Stygii fratribus Averni
Armat funereas manus in Camœnas?

Non

Non fluxi doleo temporis uſuram;
Non pingues ſtomachi delicias, dapeſque
Proſequor luctu; non ebur, inquit aurumque,
Et Siculæ cumulos voluptatis.
Iſtis fortuna præſidet dominatrix
Inconſtans bonis: vulgi, & plebis miſellæ
Hoc quiſquis indomitam famem metitur.
Me cura nocturna coquit & diurna:
Infauſtã Nemeſis & crudelis Minos
Eheu! dimidum rapuêre noſtri.
Meæ ſolatium & dulce decus vitæ,
Antiſtes Legum, & IUSTUS Veri Sacerdos
Fatis REIFENBERGIUS ceſſit ſupremis.
Nunc vitâ functus funereque peremptus
Acerbo jacet inter charos primus Amicos.
Nunquam vidende, Vir præſtans, nunquam votis
Revocande noſtris tumulo quieſcis.
Te ſopor altus & obſcura manet nox
Geluque durum. Vnde rediiſſe nemo
Fertur ad auras. huc Proſerpina triſtis
Ire coëgit. Heu! Corculum Amicorum,
Et alter Ego. Tu nobis mundo relictis,
Per funera Elyſios tendis ad agros.
Injuſta nimis Parca, nimis ſevera
Mortis poteſtas: quæ perpetuis armis
Strictâque falce & centum pollens cicutis
Opponis trucem mortalibus phalangem.
Quæ ſæva rapis terribili ſepulchro,
Et vulgi fecem & lauro frontes decoras.
Profanæ potius gregem voluptatis,
Fungoſque viles & tetram mundi peſtem,
Quæ ructat inſani crapulam Lyæi
Et Bacchô ſolem, Veneri noctem ſacrat,
Lethali mors atra ferias flagello.
Redde divinum caput ſuperba Minos
Orco reclusum; fac pateat defuncto
In vitam reditus. Non candida Virtus
Moreſque recti, & prudens Suadæ Majeſtas

Anguſtis urnæ finibus terminanda.
Orbis deliciæ & centum voluptates,
Hoc uno clauduntur pectoris ſecreto.
Non Fides alibi Patriæque major
Clareſcit amor. Non Rectum Probitaſque,
Et puræ candor mentis, Pudorque vultus
Apparet uſquam luce tali videndus.
Quid? Muſas addam & promum Doctrinæ condum?
Pectuſque excultum ſacras centum per artes?
Hîc Diva Themis Legum potens oráclis,
Illic Thalia Clioque & tot Sororum
Agmen cœleſte Viri dotes celebrant.
Hic priſco reſplendet Latium nitore,
Et ſacer Numa Tulliuſque diſertus
Inſtillant artes. Hoc unico Vetuſtas
Antiqua patet. Hoc fonte manat vivo
In poſteros derivata ſalus Literarum.
Tu nunc Apellæa dextera Scribentis
Fato ſuccumbes? Tu præclarum ſilebis
Linguæ politæ plectrum? Nunc urna laudes
Immenſas anguſto ſpatio coarctas?
Vltimum hoc erit, *Vale*, Dulcis Affinis,
Quod ſaxo loquar? Quàm fallax orcheſtra
Vitæ humanæ! Ludibrium Parcis omnes
Mortique ſumus. Nihil ſtabile certumque
Horum, quæ Mortalium appetit Libido.
Ah! me miſellum, quid tot curis fatigor?
Cur tot Siſyphios exantlo labores?
Famæque aucupium, nominiſque laudem
Demens affecto? Quid ingenii pennas
Latè per orbem terraſque circumduco?
Mox cinis pulviſque & levis umbra ſumus,
Minuſque nihilo. Sicut Flos in agro
Repentè Meſſoris declinat ad ictum;
Vt fumus ſpargitur vacuas in auras
Bullaque tranſit levis, Scenæque luſus:
Haud ſecus caduci & hoſpites terrarum
Poſt breve nos tempus morimur vocati.

Præclare

æclare Senex mœſtum fræna dolorem:
ıræ Lex eſt: Mori ſemel Naſcique.,
e propoſitum ſpatium vivendi
ıro mortali. Nata occidunt, Matremque
ram reviſunt. In pulverem redibit
ıereſque primos fragile cadaver.
ıd mundi gyro conſtat ſalus humana,
c brevioribus finitur vita perennis
bis cancellis. Aſt Patria eſt Olympus,
ıctorum ſedes, ampla cœli Palæſtra,
ıam nemo prẽndit calculis rationum,
ec numeris metitur Decempedator,
ic procul Paradiſi ſolo remoti
erræ fœtoribus vivimus ſepulti.
u doles ereptum, Vir prudens, Amicum,
ui tot malorum furias Erynneſque
aſſim inſultare vides mundi in theatrum?
'elix, ter & amplius felix! qui viles
Carnis exuvias, corporiſque pondus
Putridum depoſuit Fato felici.
Qui vitam piè ad Legis normam traduxit,
Nec jus ad ceræ levis morem refinxit;
Qui fidus dereliƈti cauſam Pupilli
Patronus agit, & viduæ dolentis
Domum propugnat; qui neque fraudulentis
Artibus uſus, per nefas faſque vendit
Vim latæ Legis; qui totum vitæ tempus
Addixit commerciis doƈtis Muſarum.
Talis, dum trux Atropos vitam ſinebat,
Effulſit numeris omnibus perfeƈtus,
IUSTUS REIFENBERGIUS, Decus Muſarum.
Gratare diem Affini PASOR ſupremum,
Qui tot compedibus curarum ſolutus,
Morbidæque carnis corporiſque infirmi
Vinculis liber, cœlo lætus triumphat.
Nos inter mille vitam Martis furores;
Tot inter lethiferæ mortis timores,
Et peſtis famiſque pallidæ dolores

Funeſto

Funeſto ducimus capulo vicinam.
Indies morimur, & meta propinquat
Lucis extremæ. Breve vivitur ævum
Horis incertis. Forſan ſtamina rumpet
Improba Clotho, & vitæ Lacheſis filum
Incidet antè, quam Phœbi nocturnis
Soror luminibus obſcurarit axem.
Depone gravem, Senex, luctum, verende,
Nec funeſta timeamus Aconita lethes.
In CHRISTO vivimus, & mors vita noſtra eſt,
Æternæque patens Ianua ſalutis.

Ampliſſimo Viro,

D. THEODORO MARSVM, I. V. D.

Ord. Friſ. Secretario & Advoc.

SI quis erit titulos inter memorandus Avorum,
 Qui meruit ſerâ Poſteritate coli;
Et ſua venturis tranſcribens Nomina ſæclis
 Non poterit vitâ deficiente mori.
Si quis Cecropidum ſtudiis caput altius effert,
 Et clarum Themidos pulvere nomen habet,
Si quem cana Fides infando ſegregat orbe,
 Et rarâ Pietas ſimplicitate beat.
Si quis erit Rectum cuſtos qui ſervet & Æquum,
 Et forti trepidos ſublevet ore reos.
Si quis, ad infidam Populi non credulus auram,
 Sirenum ſurdâ præterit aure ſonos.
Si quis erit priſco Saturni tempore dignus,
 Cum pretium Pietas grande Decuſque foret:
Doctiloquos MARSUM Vates celeberrimus inter,
 Diſperiam, ſi non hic *Theodorus* erit.

Clariſſ.

Clariſſ. Doctiſſimoque Viro,

D. ANCHISÆ ANDELA, Med. D.

Ord. Friſ. IX-*Viro.*

EST Tibi Pieridum par fama & cura Sororum
Andela, qui clarum ſanguine Stemma refers,
Multa tibi doctæ redolet Facundia Linguæ,
Ingenio Pallas nec minor ipſa tuo.
Has Animi pulchras commendat Gallia dotes,
Miraturque ſuas ſol peregrinus opes.
Quas Hellas tenuit quondam, nunc abſtulit artes,
Præſidiis Pallas Friſidos aucta tuis.
Et veteres Côos claroſque Machaonas inter
Vnus qui poteris Principis eſſe loco.
Ignorat ſacris dare debita præmia Muſis,
Friſia ni Faſces & Tibi Sceptra ferat.

Gratulatio Nuptialis,

Ad Clariſſimum Doctiſſimumque Virum,

D. BERNHARD. FVLLENIVM,

Profeſſ. Math.

Et Nobiliſſimam Virginem

HEBELAM ab HENCKENA.

NVnc ſatis exhauſtũ eſt gemino ſub Sole cruoris
Prô dolor! & pleno ſanguine ſtagnat humus.
Quà ſeptem numeras Boreali rure Triones,
Sarmaticoque riget Parrhaſis urſa ſolo,
Quà caput occiduis ſubmergit in æquora Veſper;
Quà jacit Eoo Lucifer axe diem:
Hîc mœſtas umbras & triſti in funere manes,
Atque inhumata ſuis ſedibus oſſa vides.
Nulla caret mors morte; levis jactura ſepulchri,
Exiguo & vitæ ceſpite conſtat honos.
Corporis innocui pretium ſuſpendimus haſtæ,
Nec gravis annona eſt Militis atque Ducis,

Succum-

Succumbunt ſine lege Viri; non funeris horror
Amplius; aut ſtructi cura laborque rogi.
Purpurei humano latices ſe corpore fundunt,
Et riguo tellus tota cruore natat.
Non aliter quam ſi præceps de montibus amnis,
Fluminaque aëreis Alpibus orta ruant.
Sanguine Teutonico ſtagnant & Rhenus & Iſter;
Odera tabificas fluctuat inter aquas.
Non ſua Cantabricæ deſunt nunc funera genti,
Nec ſonat Herculeum ſimplice morte ſalum.
Cæſareas Aquilas & magni ſceptra Philippi
Invida funereo ſub pede Fata premunt.
Vltima quà Titan roſeus determinat aſtra,
Et Tamin noſtro dividit orbe dies.
Eructat mors ſæva necem, transfuſaque ripas
Inficit æquoreas ſanguinis unda rates.
Et Batavos cortina tegit, Populoque triumphis
Elato toties triſtior aura nocet.
Hîc animæ pretium pro vili munere proſtat,
Vixque aliquo eſt hominum vita ſaluſque loco.
Hîc furit infeſtus generoſo Marte Britannus,
Et ſua per fortis vulnera Scotus obit.
Illic audaci præceps cadit impete Gallus:
Laus eſt Auriaco ſub Duce poſſe mori.
Pro Patriâ cecidiſſe juvat; furor omnibus idem,
Heſperii nuſquam criminis Vltor abeſt.
Lethifer in fortes Friſios diſtringitur enſis,
Et ſua Magnanimus buſta Sicamber habet.
Non vacat à ſtrepero fatalis bùccina cantu,
Non rapidas ſiſtit trux Libitina neces.
Hîc dubiis agitat Rhenus ſingultibus ora;
Iſtic ferali murmure Moſa ſonat.
Iſala dat queſtus gemituque infrendet amaro,
Et ſua devictus Dommala fata dolet.
Sanguine ſe tellus, paſcit ſe ſanguine Pontus;
Pars mundi ingentis ſanguine nulla vacat.
O utinam! non Regales hoc ſanguine faſces,
Et Gothici exundent ſceptra cruenta Ducis.

Vertite in adverſos hanc hoſtes Numina cladem,
Ne Rex ipſe ſuas concidat inter oves.
Sit ſatis *Erneſti* cæſo cum Milite ſtrages:
Funera quæ Belgis ſunt violenta nimis.
Viderat hanc belli faciem Martiſque furorem
Cœlitus humanæ ſtirpis ab axe ſator.
Iratuſque refert: ferro jam parcite gentes,
Parcite crudeles ſtringere in arma manus.
Pro lituis rabidoque ſonet concordia Marte,
Et ſua cum flammis tela miniſtret Amor.
Sanguine nunc ſatis eſt rigido manaſſe paludes:
Eſt opus Idalio Marte coire viros.
Mavortis ſpeciem facilis det luctus amantûm,
Blandaque proſcribat tela cruenta Venus.
Quam cladem Bellona dedit, Lucina rependat,
Proliferique tori ſit magis aucta ſeges.
Nunc age Conjugiis & multo pignore lecti
Corrige fatalis damna, Iuventa, rogi.
Audiit: & vacuam monitis *Fullenius* aurem,
Accenſo in mediis oſſibus igne, dedit.
Publica ſunt curæ nimium diſpendia gentis,
Et calido affectum flagrat amore jecur.
Si rapuit fortes Mavors per bella phalanges,
Hic reparat thalamis funera tanta ſuis.
Non juvat aſſuetis ſemper palleſcere chartis,
Et nunquam in vitâ deſinere eſſe Sophum.
Eſt aliquid nupſiſſe Iovi, poſt mille laborum
Tœdia, & à curis Conjuge poſſe frui.
Fida, pererratis ſtudiorum ambagibus, Vxor
Amplexus ſubeat Phœbe diſerte tuos.
Conjugis à blandâ facie miteſcimus ultrò,
Idaliuſque ferum non ſinit eſſe Puer.
Comparis in gremio dignos Iove percipit æſtus,
Quem ſemel armigeræ Matris aduſſit amor.
Quàm te fauſta manent *Fulleni* exordia rerum,
Dum tibi Cyprigenus perfodit oſſa calor.
Hactenus inviſâ recubans in parte cubilis
Vixiſti umbroſâ ſemiſepultus humo.

Nunc

Nunc agis in melius,ſtimulante Cupidine flammas;
  Nunc mens in ſolâ Virgine tota ſtudet.
Friſiacæ placuere nurus, placuere Puellæ:
  Vrſinum potuit ſolvere Robur Amor.
Non tituli viles & vani nominis umbra;
  Sed placuit junctâ Nobilitate Fides.
Adde ſerenatos in pulchro corpore mores,
  Et clarum eximiâ cum Pietate decus.
Scilicet Aoniis Pubes devota Camœnis
  Agreſti thalamo diſplicuiſſe cupit.
Mutua vobiſcum ſunt nobis vincula Muſæ,
  Mœonii & Vatis gloria fine caret.
Fortunata nimis Phyllis! cum Thyrſide docto
  Cui dant Neſtoreos vivere fata dies.
O benè Conjugium felix! lætoſque Hymenæos;
  Franica quos numeris concinis alma tuis.
Ne dubita: Superi ſanxêre hoc fœdus Amantûm,
  Quo Venus aſſociat cum probitate Genus,
Purior haud ullis Fratrum concordia tædis,
  Raraque Simplicitas lege coire poteſt.
Ambo animis, ambo pulchrâ Virtute decori:
  Aptius ignorat Friſica terra jugum.
O utinam! quæ Sponſe manent te gaudia lecti,
  Fortunet longâ proſperitate Deus.
Et vobis violas inter ducentibus ævum,
  Belgica Libertas tollat in aſtra caput.
Hæc Sponſo Sponſæque precor, *Deus* optime faxis,
  Aurea Conjugibus ſæcula ſemper eant.

In Obitum,
Doctiſſimi Viri,
D. SIBRANDI MENALDUM;
SS. Theol. Profeſſoris.

SIccine Palladiis dudum celebrata Camœnis
  Franica, Doctorum funera mæſta doles?
Rurſus & in triſtem ſolvuntur Sidera caſum,
  Portenditque graves flebilis imber aquas?
Invidet

Invidet heu! Phœbi ſtudiis contraria Lethe,
  Et Nemeſis claros odit ab arte Viros.
Vix fera fatales ſopiverat Atropos ignes,
  Et ſuperis charos clauſerat urna Viros:
Cum ſua crudelis prêndat ſors ſpicula dextra,
  Et novus accenſo luceat igne rogus.
Quo pius *Hachtingus* Fatis abreptus iniquis,
  Et Sophiæ tantum ceſſit ab arte Decus;
Quò veneranda tuæ Friſiis Facundia Linguæ
  Ammama, Divinis Vir comitate bonis;
Huc fera Mors rapuit celebrem Virtute *Menaldum*,
  Præclarum Ingenii dexteritate Virum.
Qui modò ſuſcepit moderandæ pubis honorem,
  Feſtinata Virum jam ſua buſta premunt.
Occidit in primo vernantis flore juventæ,
  Non ſecus intactis quàm roſa pulchra comis.
Inſtabiles fruſtrà ſtulti venamur honores,
  Et verum in fragili ponimus arte decus.
Non pietas Moreſque boni cum Pallade juncti,
  Declinatque trucem prima Iuventa necem.
Eſt ubi Dis viſum ſuperis, movet Æacus urnam,
  Et vitæ incidit ſtamina Parca ferox.
Te quoque cognato quam tangunt ſanguine Divi,
  Mors fera crudeli funere Muſa manet?
Quin age Tartareas Mors effera vade ſub umbras,
  Stagnat ubi pleno ſulphure viva palus.
Hîc luat ambitio pœnas ſcelerata ſeveras;
  Hîc grave ſupplicium noxia turba ferat.
Impia mulctetur tenebris damnoſa Voluptas,
  Plectaturque rogis otia quiſquis amat.
Muſis parce, precor, ſubitam properare ruinam;
  Vatibus ingenuis Mors fera parce, precor.
Sit ſatis irarum Stygii gravis Hoſpita Ditis,
  Fataque Pieriis proſperiora fluant.

Ad

Ad Conſultiſſ. Virum,

D. IOANNEM de VENO, I. V. D.

Scholarcham Leoverdienſem,

Cum in Curiæ civilis ampliſſ. Ordinem Fauſto omine eligeretur: Kal. Ian.

MAgne Vir, Aonias ſatis eſt ne paſcere Muſas;
Et tua præclaris condere Iura Scholis?
An minor à tantis fama eſt clareſcere rebus,
Otiaque ad tacitos ducere blanda focos?
An Tituli viles, & vani nominis umbra,
Prævia Palladiis Sceptra tuliſſe choris?
An rerum ſublimis apex & purpura tangit,
Civicaque in laudes plena theatra tuas?
Pallade cum doctâ non ſunt commercia vulgo,
Nec benè cum Muſis convenit unda Fori.
Hic magis in tuto, Populi fœtore remotus,
Navigat, Ingenii qui colit arva ſui.
Qui fido expendens ſacras libramine Muſas,
Plebeias ſurdâ præterit aure fores.
Quem ſua delectat proprio cortina receſſu,
Huic tranquilla magis Principe vita fluit.
Fallor?an Imperium fas eſt quoque ſumere Phœbo,
Publicaque invitat Sceptra tenere Salus;
Ne malè conductâ præclara ad munia plebe
Corruat antiquæ Legis & artis honos?
Quàm benè mortali divinum Numen honori
Proſpicit, ad faſces dum quoque Muſa venit:
Et Doctrina ſuas acuens moderata ſecures
Dictitat in medio jura Fidemque foro.
Hoc agis excelſo, Vir præſtans, ordine primas;
Dum regitur curis Curia noſtra tuis.
Omina nunc remanent Patriæ meliora ſalutem,
Exulat & tanto Iudice turpe nefas.
Haud equidem, Vir Magne, tibi præſagiit illa
Remigium; aut geſtus dulce canentis Avis.

Auguris

Auguris hîc partes nullæ, nec Aruſpicis ullæ,
Et volucrum faciunt viſcera nulla fidem.
Conciliat Pietas & falſi neſcia virtus
Iam tibi purpureâ veſte Togâque tegi.
Auguris officium rerum Sapientia præſtat,
Exequiturque Themis judicis alma vices.
Publica te ſocium fecerunt vota Senatus,
Et non fucatæ Relligionis amor.
Scilicet his Fidei florent communia fulcris,
Et Pax privatis affluit alma bonis.
Aurea propitio redeunt nunc ſæcula cœlo,
Dum ſacra Dis quondam præmia laurus habet.
Non rude ſe vulgus Tyrio componit in Oſtro;
Sed locus eſt claris à Pietate Viris.
Has tibi carminibus grator *Leoverdia* laudes,
Et nitidum à ſerâ poſteritate decus.
Pieridum plenis ſpumat Vindemia labris,
Prodit & Aoniâ copia dives humo.
Plaudite Friſiades, gravibuſque ignoſcite damnis,
Neſcia quæ veri plebs nimis aucta dedit.
In *Venone* tuos jam Patria dilue luctus,
Iudice quo referet Muſa renata fidem.
Et vos Pierios habitantia Numina colles
Ducite feſtivis otia blanda choris.
Principibus nunc cura Viris Helicona tenere,
Præcipuo & Muſas conſtituiſſe loco.
Haud magis umbroſâ deget caligine Pallas,
Carcer & obſcurus Numina tanta premet,
Quàm tibi ſe debent Parnaſſia Rura Patrone,
Qui facis auguſtâ vivere ſede Deas.
Qui rude poſtponis ſtudium non utile vulgi
Artibus ingenuis Caſtalidumque choris.
Dî, precor, ut ſervent ſeros Te in Neſtoris annos
Clara Leonini lauſque decuſque Soli:
Vt ſacra Calliope Patriæ devota ſaluti
Præſidiis creſcat nobilitata tuis.

EPI-

EPITHALAMIUM,

In Honorem

Doctiſſimi & Præſtantiſſimi Viri,

D. VVILHELMI KETH,

SPONSI.

Et Ornatiſſimæ Virginis,

ITSKIÆ ANTHONIÆ

Sponſæ.

Beate *Kethſi!* Qui tot poſt ſudores,
Et oneroſos cumulos laborum,
Vitæ moleſtias acerbiores,
Vigilias & lucubrationes,
Nocturnæque fuliginem lucernæ,
Sponſâ Thaliam recreas jugali,
Vitæque blandâ frueris Sodali:
Quæ nunc poſt multas baſiationes,
Et delicatas epulas Amorum,
Suis Te paſcat blandulis Ocellis.
Quæ jucundis Zephyris Labiorum,
Dulciumque nexibus brachiorum
Frangat feroces animi procellas.
Beate *Kethſi!* Qui claros inter Honores,
Oſtrique decus, vitæ genialis
Ordiris annos. Cui Mater Dione
Donat decentem Moribus Maritam,
Centum Virtutibus Tibi probatam,
Centum muneribus vitæ dotatam.
Quæ chari ſemper reverens Mariti,
Quæ puris ardens ignibus Amorum,
Sponſum ceu diligit ſuas medullas,
Sponſum ceu proprios amat ocellos.
Beate *Kethſi!* Qui dum orbem remotum,
Et ſolis ultrà Heſperium cubile
Mente vagaris, Venerem venuſtam

Invenis

Iuvenis domi: Quæ Gratiâ plena,
Virtute potens, ſpecie decora,
Fronte ſerena, Labiis diſertis,
Vultu benigno, roſeis capillis,
Candida collo, niveis mamillis,
Ore rotundo, gremio jucundo,
Tuos amabiles ſubit amplexus,
Tuis inhæret ſuaviter lacertis.
Beate *Kethſi*! Qui nunc poſt parentum
Tepidos rogos, & triſtes cupreſſos
Mortis acerbæ, tetricoſque luctus
Conjuge piâ reparas ruinam
Domus afflictæ. Qui Nomen Avorum,
Et Stemma clarum, priſtinoſque Faſces
Vindicas Letho, Stipiteque vivo
Novam moliris ſeriem nepotum.
Huc Vos Idaliæ Matris alumni,
Flore vernantes vegeto Iuventæ,
Dulciumque Satellites Amorum.
Gaudete jucundi mecum Sodales,
Faculaſque Sponſis connubiales
Præferte læti, & floribus coronas,
Et Serta Lauris nectite Hymenæo.
Huc Vos ſelectæ Virginum choreæ,
Ornatæ blandis Moribus Puellæ,
Mille Virtutibus Nymphæ decoræ,
Gens dulci plena melle, ſine felle,
Spes unica & Delicium Procorum,
Optimumque remedium laborum,
Vocibus ſimul plaudite canoris,
Fidibus ſimul ludite ſonoris.
En, Cypride plenus *Kethſius* Heros
Dulces benevolus tractat Amores,
Solvitque caſti vincula Pudoris.
Et mellifluos animi lepôres
Cum tot ſecrétis Thalami theſauris
Suo jam donat *Iiskia* Marito.
Seu Tu Neæra, ſeu procax Corinna;

Seu Lesbia, ſeu petulans Sabina;
Seu caſta Penelope, ſeu Oenone;
Dulces gratemini Sponſis Amores,
Vitæ precemini Beatitatem.

IN OBITUM
Clariſſimi Viri,
D. PETRI KNYFFII, I. V. D.
Magni Literarum Columinis.

LAurigeri Vates prono quos Iuppiter aſtro
 Vidit, & æterno nomine Muſa beat:
Flete novos caſus, inviſaque funera flete:
 Occidit Aonii lauſque decuſque chori.
Knyffius immenſam debet cui Friſia famam,
 Conſpicuumque dedit Pallas ab arte decus,
Occidit ante diem, totoque Helicone Camœnæ
 Ferales gemitus mœſtaque buſta ſonant.
Knyffius, antiqui præcellens moribus ævi
 Pieridumque ſatur flumine, raptus obit.
Hei mihi! ſic ſacris parca indignata Poëtis,
 In genus innocuum ſtringis acerba manus?
Tune etiam rigidas in vatum plectra ſecures,
 Palladiumque jacis tela cruenta gregem?
Invenies alios, quos demetat improbus enſis,
 Et Stygius rabido devoret igne rogus.
Sunt, quibus inſanâ dominatur mente Lyæus,
 Ingeſtoque placet crapula multa mero.
Sunt, quibus eſt dapibus ventrem ſatiare voluptas,
 Publica quos odit Res magis angue viros.
Obliquant multi privata ad commoda ſenſus,
 Quos malè commiſſo fallit in ære fides.
Hos rape Parca ferox triſtes Acherontis ad umbras,
 Fexque rudis Populi falce reciſa cadat.
KNYFFIUS, ingenuas ſtudiis qui exercuit artes,
 Vivere Tithoni tempora dignus erat.
Dignus Neſtoreæ ſuperet qui ſæcla ſenectæ,
 Præmiaque ingenii perpetuata ferat.

Dicite

Dicite Pieriis inimicæ Vatibus umbræ,
Quis furor in tantas aſperat arma neces?
Quis tali virtute Virum Muſâque decorum
Audeat ad tetricos cogere morte rogos?
Fallor? & Aonios obducunt nubila colles,
Fœdaque Barbaries nunc Helicona manet?
Dî melius! rutilum Titan caput abdit Olympo,
Friſiaque in luctum præcipitata ruit.

Ampliſſimo Viro,

D. HILLEBRANDO THEODORI,

Reipub. Harlingenſis Conſuli.

NOn favor & querulo mendicans Ambitus ore;
Publica ſed meritis annuit Aula tuis.
Virtus conciliat procerum generoſa favorem,
Et veræ Pietas præmia laudis habet.
Non fungos animaſque leves dignatur honore,
Laudibus & tantis afficit æqua Themis.
Quos peregrè quæſitus honos laudumque Cupido,
Et pretio Pallas nobiliore probat,
Adſpicit hos oculis vultuque Aſtræa benigno:
Cætera contempto ſub pede turba jacet.
Sic faſces, HILBRANDE, tenes cultumque per artes
Ingenium noſtro carmine fame leget.
Et Tibi, purpurei decus & tutela Senatus,
Invideat faſces non niſi Livor iners.

Ampliſſimo Viro,

D. GELLIO BENNEMA.

QVod tua victuris ſignem præconia faſtis,
Et cupiam Vates laudibus ire tuis:
Non favor & vitæ tecum concordia juncta;
Sed Tibi Res curæ Publica, *Conſul*, agit.
In Muſas ſincera Fides animuſque probatus
Non patitur tumulo Nomina tanta premi.

Clariſsimo Conſultiſsimoque Viro,

D. ANDRÆÆ HEEMSTRA, I.V.D.

CLare Vir, Aonius quo præſide nititur axis,
 Et capit antiquum profuga Muſa decus;
Cui ſua deſpondet celebris Secreta Senatus,
 Atque Harlinga ſuam credidit ipſa Fidem;
Forſitan ingratum me quis malus arguat eſſe,
 Nec ſatis officii ſolvere juſta putet:
Si tua non inter juveniles Nomina chartas,
 Ingeniique mei ſcripta tenella legat.
Odimus immemorem,nec quod magis eſſe nefandū
 Illo flagitium deteriuſve poteſt.
Ac veluti Phœbi Numen plus æſtimat ille,
 Qui ſibi propitium viderit eſſe Deum:
Sic quoque, Neuhuſii quos tangit Nominis ardor,
 Non volet æternùm noſtra Thalia mori.
Tempus erit, Vir clare, tuas cum dicere laudes
 Materie forſan nobiliore queam.
Carmina pro meritis perſolvit gratia vatum,
 Et nullum majus carmine munus habent.
Cætera ſi taceam memorique in mente recondam,
 Obligat haud unâ me Tibi parte favor.
Eruta Barbaricis fulget te Muſa tenebris,
 A Buſtis iterùm nunc rediviva ſuis.
Dumque alii fluctus præter ſpumaſque marinas
 Nil ſapiunt, doctis artibus HEEMSTRA ſapit.

Ampliſsimo Viro,

D. GVLIELMO STAACKMANS.

MAgne Vir, & Batavi præſtans tutela Senatus,
 Friſica ſplendorem quo Duce Pallas habet;
Ad latus Auriaci non ſit fas ſpernere Vatem,
 Hîc quoque perplaceat carminis umbra mei.
Obligor in multas Tibi, Vir Doctiſſime , partes,
 Muſaque in obſequium noſtra parata tuum.

Nec pars, parva licet, toti ſe ſubtrahat ævo,
Quæ non in laudes præbeat ora tuas.
Et fateor, multùm Mecœnas inclyte debet
Iudicio ſemper noſtra Thalia tuo.
Cui mea purpureos ad Carmina ponere Faſces,
Nec grave lætiſonâ plaudere voce fuit.
Dî facerent, poſſem meritas perſolvere grates,
Atque aliquâ Ingenii dote placere mei.
Sed Tibi, quæ teneri ſpondent præſagia Vatis,
Olim Poſteritas plena favore dabit.
Credite, Pierides uno nunc ore loquuntur,
Suadaque non alibi gaudet habere locum:
Hic ille eſt, tabulis Livor ſecedito noſtris,
Vnus qui Regum poſſet ad ora loqui.
Auguror. Externi Majeſtas inclyta Sceptri
Deferet optatis regia dona tuis.
Noſtraque Te melius peregrino Friſia cœlo
Audiet, & Belgis gloria major erit.

Ampliſſimo Viro,

D. HORATIO DOMAN, I. V. D.

Ordinum Friſiæ Delecto.

NEſcio, qui nuper cœlum contraxerat imber,
Et Phœbum medio merſerat umbra polo.
Pallidaque informi torperet Muſa veterno,
Et mœſto ingemeret Calliopeïa ſono.
Non aliter, quam ſi lacrymoſâ turtur ab ulmo
Luctiſonum rauco funderet ore melos:
Aſt Tibi, Vir præſtans, cum ferret Franica Faſces,
Palladiæ melius floruit artis honos.
Et viſa eſt inter rerum Prudentia Muſas
Tollere conſpicuum celſa ſub aſtra decus.
Totaque difficili ſolvit ſe Curia luctu
Semper ab Auſpiciis ſalva futura tuis.
Pierides tali ſub Conſule creſcite Muſæ,
Creſcite proventu Carmina noſtra bono.

Clariſ-

Clariſſimo Doctiſſimoque Viro,

D. IOANNI CLINGBYL, I. V. D.

NVper ego ad doctas Gallorum miſſus Athenas
Comprêndi numeris gaudia veſtra meis.
Et cecini, Vir Docte, tuas per carmina laudes
Materie titulis conveniente ſuis.
Pallada gratabar facileſque in vota Camœnas,
Creditaque auſpiciis pulpita docta tuis.
Sed malè fama memor ſpem noſtram luſit inanem,
Et mihi credenti ſic data verba queror.
Nunc alius tantis ſuccedit ſedibus Heros,
Et titulos iſtos, quos petis, alter habet.
Gratia Magnatûm cunctas ſe mutat in horas,
Et levis ambiguo fluctuat orbe fides.
Quoſque negat ſors æqua Tibi, ſuſpendit honores,
Et magis ex merito laurea ſerta dabit.
Nec poterit tantâ ditatas dote Camœnas
Perpetuâ ſemper condere nube dies,
Illa ſerenato fulgebit Cynthia cœlo,
Quæ tibi majoris nuncia laudis erit.
Franica ſe veſtræ recreans in munere Suadæ
Deferet imperii publica fræna Tibi.
Credo equidem noſtris inſunt præſagia verbis,
Omniaque Ingenium nobile Vatis habet.
Iam Tibi purpureos ſubmittit Curia faſces,
Et ſtat præſidiis faſque piumque tuis.
Iam Populos regis Imperio, lætataque tantis
Ad nutus trepidat civica turba tuos.
Vnaque ſi forſan Themis indignatur Alumnum,
Altera pollicitis eſt magis æqua Themis.
Et reſtant majora Tibi, Doctiſſime CLINGBYL,
Ingenio & meritis digna trophæa tuis.
His primùm, Vir Clare, precor, defungere felix:
Cætera propitio ſidere Fata dabunt.

Gratulatio Nuptialis
AD *Cl. Virum,*
D. GVLIELM. GHEMMENIGH, I.V.D.
& nunc Ill. Prov. Fr. Adv.
&
Lectiſſ. Ornatiſſ. Virginem.
MARIAM SAGEMANS.

NOn mordax ſic cura animos in vincula cogit,
Non ſic Barbaricis aſpera Muſa malis;
Vt non obſcuro diſpellens nubila cœlo
Inflammet mollis corda jecurque Venus.
Tædia poſt vitæ ſequitur ſperata voluptas,
Et ſua non tribuit præmia ſegnis Amor,
Cui modo ſervitio Muſarum exire negatum
Mox recipit caſtris hunc Cytherea ſuis.
Quoſque Helicon multis erroribus egit in orbem,
Herculeuſque tulit per vaga ſaxa labor:
Illos blanda fovet tacitis convallibus Ida
Deliciis paſcens luxurioſa ſuis.
Tu quoque Palladiâ, vir præſtans, clarus arenâ,
Pro Themidos curis Cypridos arva colis.
Dulciter in Thalami cum Sponſâ parte recumbens
Conjugis officio digna toroque facis.
Et nunc Friſiacas inter clariſſima Nymphas
Tecum connubii jure fideque coit.
Rara ſerenatos cui donat Gratia Mores,
Pulchra verecundus pingit & ora Pudor.
Cui Venus inſtillat ſacrum penetralibus ignem,
Et favet officiis docta Minerva ſuis.
Candidaque exornat quam pleno Numine virtus,
Et centum decorat mens generoſa bonis,
Sic curæ ceſſere truces & pallada ſævum
Excipit Idalii lætior aura Dei.
Nonſemper gelidâ Boreas bacchatur ab Arcto,
Nec miſeram infeſtat ſæva procella ratem.

Gratulor

Gratulor iſta Tibi lætæ commercia vitæ
Dotibus Ingenii Sponſe, opibuſque potens.
Et precor, illuſtri deſcendat origine proles
Chara Patri, Patriæ commoda, grata Deo.

Spectatiſſimo Viro,

THEODORO VOGELSANG, I.V.D.

Secundùm Sponſo.

QVos nuper Thalamos fati circumſtetit horror,
Morſque nimis ſerum ſubruit ante diem:
Hos iterùm, mœſtas poſt raptæ conjugis umbras,
Felici reparat blanda Dione toro.
Nec patitur viduo ſordeſcere ſtramine Muſas;
Aut glaciem tanti pectus habere viri.
Corrigit ingentes dulci ſolamine caſus,
Gaudiaque obducto vulnere reddit Amor.
Turpe, nec invitam fas eſt ſubducere cœlo:
Turpe nimis lacrymis buſta rigare ſuis.
Flete rogos miſeri, quibus eſt ſpes nulla futuri,
Nullaque ſiderio reſtat in orbe ſalus.
At pudor eſt nobis tumulo revocare ſepultos,
Læta triumphales quos Paradiſus habet.
Tu nunc, Sponſe potens, luctus oblite priores
In Venerem caſtam pronus, ut antè, ruas.
Nec ſemel amiſſæ tibi nocte recurrat imago
Conjugis, & flammas ſuſcitet illa tuas.
Marmore felices gelido requieſcite manes,
Sedibus & ſileant oſſa repôſta ſuis.
Altera nunc Conjux iſtos ſibi poſcit amores,
Vir meus es, dicens, injiciamque manus.
Iſtaque quæ quondam Dominæ ſervire priori
Brachia, & ad nutum prompta venire ſolent,
Doctaque Pieriis radiantia tempora lauris
Nunc mea cum tantis dixeris eſſe bonis.
Sic mutat Fortuna vices, dubiique tenemus,
Quas rapiet Nemeſis craſtina forſan opes.

Doctiſſ. Viro,

D. VIBRANDO REVIO, Med. D.

Schol. Franek. Rect.

EN lacrymas fletuſque meos, Doctiſſime *Revi*,
Quos pius ad cineres buſtaque fudit amor.
Exequias chari triſtes celebramus Amici,
Et facimus gelidis debita juſta rogis.
Si vacat, & Muſis forſan ſint otia veſtris
Perlege non ſiccis hæc mea ſcripta genis.
Invenies illic vani ludibria mundi,
Criminaque eloquiis uberiora meis.
Et certè, hæc animo verſans miraberis ipſe
Quàm ſit flagitiis luxurioſa ſeges.
Improba ſollicitat fragiles Perſuaſio mentes,
Et gaudent ſtudiis frauſque doluſque ſuis.
Emollit rigidas Regina pecunia Leges,
Et ſua Relligio funera mœſta dolet.
Pauci, quos Pietas & recti conſcia Virtus,
Candidaque infami mens ſine labe juvat.
Quiſque ſibi longas vitam promittit in horas;
Nec metuit, pulſet quin Libitina fores.
Ipſaque fatali capulo vicina ſenectus
Sollicitè tardos expetit ire dies.
Hæc Tibi, Vir præſtans, queruli ſub nomine Fati
Mittimus, & memori mente legenda damus.
Cætera ſub gelido ſcribentur marmore Buſti,
Famaque virtutis tanta perennis erit.

Doctiſſ. Viro,

D. IACOBO IVCKEMA,

Cos. deſignato.

CVm populus laxas rerum moderatur habenas,
Sceptraque conſiliis neſcia turba gerit;
Infelix miſeris ſerpit contagio terris,
Et ruit in caſum curia prona ſuum.

Sed

Sed cum clara tenet rigidas Doctrina ſecures,
  Eminet & primis Ars veneranda locis,
Aurea pacificis Concordia præſidet arvis,
  Sanctaque Relligio tollit in aſtra caput.
Viderat hoc nuper non lævâ Franica mente,
  Cum ſua deferret, IUCKEMA, Sceptra Tibi.
Scilicet eximiæ virtutis ab indole tantâ
  Non trahet exiguum publica cauſa decus,
Plaudite Pierides tanto molimine rerum:
  Imperium & Faſces jam quoque Muſa tenet.
Muſa tenet Sceptrum; terras Aſtræa reviſit,
  Nec ſacra poſt vulgus fræna capeſſet iners.
Salve animi pars magna mei; ſalve inclyte Conſul;
  Aoniæ ſalve fida columna Domus.
Tu nunc Conſiliis Patriæ, Vir Chare, ſalutem
  Publicaque Ingenii luce Theatra reges.
Dî tibi ſuccurrant Patriæ conſulta ferenti,
  Adſpirentque tuis nutibus Aſtra, precor.

Ampliſſimo Viro,

D. HORATIO à MEINSMA,

Conſuli deſignato.

TAndem etiã pulſæ repetunt Helicona Camœnæ,
  Imperiumque tenet profuga Muſa ſuum;
Dum jubet in melius ferri ſua vota Senatus,
  Et ſterili damnat vulgus inane ſitu,
Curiaque indoctis nequicquam credit habenas,
  Nec patitur Populi ſe ratione regi;
Publica dum veſtras quærit Res, MEINSEMA, curas,
  Auſpiciiſque velit Franica ſtare tuis.
Sic decet ac faſces, quibus eſt cuſtodia legum,
  Tollere præclaros Palladis arte viros.
Præmia ſic meritos; ſequitur ſic pœna nocentes,
  Atque iſto manat publica fonte ſalus.
Quo Tibi poſteritas debebit nomine grates,
  Franica dum rutilum tollet in aſtra caput,
Et mea venturis ſæclis inſcribet honorem,
  Obſequiis ſemper Muſa parata tuis.

Ad Ampliſſ. Virum,

D. GERARDUM KETH,

Illuſt. D. D. Ordd. Deput. & Cos. Harl.

De amiſſâ Conjuge.

PRæclare *Conſul*, præſtans Muſarum *Tutor*;
Cui Faſces ſceleriſque vindex flagellum,
Cui Recti libram, cui Veritatis lancem
Vrgente Fato favor dedit Deorum.
Heu! Tu nunc ſordidus veſte ſepulchrali
Tori participem, vitæque ſodalem;
Foci magiſtram, Fortunæque cuſtodem;
Dolorum levamen, dulceque curarum
Morte peremptum doles ſolamen?
Heu! vitæ ſocialis amæna conjux;
Illa dulcium genitrix liberorum,
Illud thalami delicium jugalis,
Et pudens prudenſque decus matronarum
Fatali deſtituit lege Maritum?
Heu! pia mater, ſpes ſobolis fœcundæ,
Fundandique ſeges nominis paterni
Siccine primâ defloruit in herbâ?
Vir magne, meritò provocas dolorem
Senſu remoto, gemitumque fibris recluſum
Percuſſi fateris pectoris ſingultu.
Occidit rerum pars altera tuarum
Conjux, probati conſilii miniſtra.
Qualem non ſors plebeia format caſuſque,
Nec veſana ſibi ſociat libido;
Sed clemens Superum gratia Deorum
Donat felicibus cœlitus Maritis.
Luge quaſſatum Fatis eheu! cubile;
Luge cladem miſerabilem Penatûm,
Et mœſtas lacrymas Conjugis amatæ
Adſperge rogis; Gemat cortina caſum
Heræ peremptæ, divulſoſque Amantes,
Et caſtæ ſoluta vincula virtutis

HARLINGA

HARLINGA dole. Tuque gravem tenella
Lacteque pulſa luctum teſtare proles.
Sed Tu ne nimiùm conjugis beatam
Queſtibus urnam cineresque laceſſe,
Docte Mecœnas. Sic placet Diis volentibus,
Sic Fatis viſum, ſic Neceſſitas cogit,
Et lex Naturæ. Quis datam ſemel metam
Tranſcendet audax? Quis horulæ fugacis
Leviſque reſtringet ſpatio momenti
Mortis acerbæ minas, Parcâ nolente?
Omnes migramus triſtes ad umbras,
Ad unum tendimus terminum vocati.
Fruſtra litaveris Nemeſi ſuperbæ
Thure Sabæo. Non muneribus largis;
Aut Regum donis tenax paret decretum.
Fac modum, Vir clare, lacrymis profuſis,
Æternis minor conſiliis Deorum.
Vetat immodicos Animus virilis
Fines dolorum, fortiterque ferendum eſt,
Quod vertet in melius dies negata.
Nunc perennis Vxor ſocia ſalutis
Inter Angelicas læta ovat catervas,
Humana ridens. Nunc cum *Chriſto* triumphat,
Morta deviĉtâ, & mundi ſoluta curis
Vitam perpetuò poſſidet beatam.
Nobis terræ relictis diros minatur
Fortuna caſus, & noſtra indies vita
Ad mortem properat gradibus citatis.
Felix qui putridæ carnis corporiſque
Liber catenis, celſo gaudet Olympo:
Quâ tua Conjux tot moribus dotata
Rectis, tot virtutibus probata caſtis,
Inter amœnas Cælicolûm cohortes
Victrix perpetuas agitat choræas.
Depone luctum; graves fræna dolores,
Præclare *Conſul*, præſtans Muſarum *Tutor*.

Rev. Viro,

D. REGNERO BOGERMANNO,

Apud Harlingenſes, V. D. M. Kal. Ian.

AD ſua nunc iterum decurſi climata cœli
 Annuus exacto Cynthius orbe redit
Et nova molitur celeres per ſidera curſus,
 Flammivomoque nitet purior axe dies.
Munera jam feſtam dantur gratantia lucem,
 Et ſua nunc bifrons munera Ianus habet.
Eſt qui Pactoli precioſas donat arenas,
 Et quas piſcatur decolor Indus opes.
Hei mihi! Pieridum quod munera ſola ſuperſint,
 Nec fluat Attalici copia dives agri:
Quâ mihi Te poſſim, Vir præſtans, dote mereri,
 Meque Tibi purâ mente probare velim.
Sacra ſalutiferi ſi ſpectem dogmata Verbi,
 Pluribus obſequiis me reor eſſe tuum.
Sed Te non tantùm juvat æris acervus & auri,
 Muſa poteſt quantùm noſtra placêre Tibi.
Cætera ſi deſint, nunc illâ dote litamus,
 Quâ ſacri Vates dote litare ſolent.
Mittimus à noſtris Domini incunabula Muſis,
 Virgineique damus Nobile Ventris onus.
Carne Deum, Vir Docte, damus, noſtræque ſalutis
 Authorem, duro ceſpite qui recubat:
Qui Patriæ extorris miſerandum ſedibus orbem,
 Et tot Fatorum triſtia damna ſubit.
Hos Tibi Regales ſacrâ de Virgine partus,
 Conveniens nobis munus utrique damus.
Quis neget Aoniis ſua munera Vatibus eſſe?
 Dant pretium dono Nomina tanta meo.

Ad Clariſſimum Doctiſſimumque virum,

D. IOANNEM ANSTA, Med. Doct.

Archiatrum Harlingenſem,

Cum me menſâ ſuâ communicaſſet.

QVicunque priſtinæ cultor ſobrietatis
In leges Fabricii ac jurat Serrani,

Hic

Hic poſſit tecum divine, ANSTA, Machaon,
Morborum febriumque prorſus ſecurus,
Liberè Bacchum & Cererem ſalutare.
Tu cibos epulaſque ſolùm ſalubres,
Mille & ſimplicibus fercula decocta,
Medullamque Spiritumque eduliorum
Et florem tantùm nectaris probati
Paras convivis. Tu das culinæ leges,
Gulæque modum, & certam imponens diëtam,
Severis alligas ſtomachum præceptis,
Non tales inhiat cænas Paraſitus,
Tetricuſque patrimonii obſonator;
Sed quis frugalium Myſta Curiorum,
Æmuluſque Cynicæ frugalitatis.
Talem, Vir præclare, cænulam Milonis,
Conditas pharmaco epulas ſalutari
Ipſique dapes Apollini probatas
Hygeiâ nobis ſub teſte promiſiſti.
  Quid fallis ſobrium, Medice, Poëtam,
Tenuique aſſuetum Genium ſalino
Occidis necaſque ferculis ciborum?
Tu nunc onuſtas ſtruices patinarum,
Totque delicatis dapibus repletos
Concinnas orbes, pateraſque cyathoſque
Flore meracioris vini coronas?
Apage luxuriem Sybaritarum,
Siculûmque lautitiem ſumptuoſam.
Hinc Falerna, Maſſicique humor Lenæi
Cadiſque muſta condita Vaticanis:
Non ſic eſurire docuit Galenus.
Pro ſaturatis ſtagni oſtreis Lucrini,
Pro dulcibus boletis, pro ſaginatis
Turturum clunibus, & Rhombo Mulloquè
Aut Murenæ, pinguique femore palumbi,
Appone Friſiacæ lances culinæ;
Bonam ſalitæ particulam juvencæ,
Porci tergum fumoſi, ſumenque ſuillum,
Pectuſque cervicemque anatis aquoſæ.

Non

Non menſas Baſilicas, non Saliares;
Non ſcitamentorum genus ſuperbum,
Dapeſque & unguenta, nectarque deorum
Præ tali quicquam æſtimem cœnâ ſalubri.
His adde Eruditi ferculum lepôris
Cum Suadâ dulci, & Doctrinæ melioris
Succos cum modico tempera Lyæo.
Nec deſit optimum cibi condimentum,
Quod ſæpè palato ſuſcitet orexin,
Mens benigna & fides animi probati.

Doctiſſimo Viro,

D. IACOBO THEODORI, I. V. D.

Ordd. Friſiæ IX-*Viro.*

INter honorati tot nomina clara Senatus
Sit mihi fas comitem laudibus ire tuis:
Vt quoque poſteritas Harlingæ ad littora Phœbum
Palladiaſque ſciat ſedem habuiſſe Deas.
Candida ſimplicitas & Morum pulchra venuſtas
Immemorem vatem non ſinit eſſe tui.
Plus juvat, & facile eſt laudum decurrere campos
Cum penè ad numerum pes mihi ſponte fluat;
Et tua me virtus, quamvis brevis eſſe laborem,
Pallade cum doctâ vix ſinat eſſe brevem.
Eſt aliquid vulgi ſupra ſapuiſſe tenebras,
Pieridum & ſtudiis exeruiſſe caput.
At cum blanda ſuos virtus conjungit amores,
Ingenium tanto fulget honore magis.
Viderat hoc noſtri mens non averſa Senatus,
Cum Tibi Res tantum publica credit onus:
Quæ licet in primo, Vir præſtans, flore juventæ
Plurima jam dederit, plura dediſſe velit.
Cætera divinus Fatorum provehat ordo,
Quæ meritis tribuet præmia digna tuis.

Præſtantiſſimo Viro,

D. VVILHELMO KETH.

INgenii VVilhelme, tui cum Pallade candor,
Raraque non uno teſte probata Fides;
Et digna antiquo Saturni tempore virtus
In laudes parcum non ſinit eſſe tuas.
Quas volet Eloquiis ſi quis comprēndere, ſtultò
Lucida ſiderei computet aſtra poli.
Dum turgent alii tituli fallacis amore,
Per fas atque nefas ardua ſceptra tenent,
Improbaque in faſtum tollit Veſania frontem,
Militat & caſtris fæda libido ſuis:
Tu, Kethsi, Virtute tuâ vis dives haberi,
Et pugnare pio non niſi marte libet.
Deſpicis inſanum vulgus mordacibus iris,
Et tantùm impurâ mens ſine labe juvat.
Vivaque virtutis Tibi cum commercia deſint,
Eſt Tibi Sacrorum copia larga domi.
Nunc verſas animo ſacri Myſteria verbi,
Nunc fervens Themidos tempora fallit amor.
Nulla dies unquam ſine fructu decipit horas;
Pieridum totus pendet ab arte labor.
O quoties dixi! Felix urbs præſide tanto,
Felix præſidiis Publica cauſa tuis!

Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro,

D. IACOBO BVTTINGA, I. V. D.

Illuſt. DD. Ordd. IX-Virô.

Cum ad amœnitates ſuas Hortenſes me invitaret.

DVm trux hybernâ Boreas bacchatur ab Arcto,
Et ſua crudelis Scorpius aſtra ſubit.
Dum querimur Belgæ glacialia frigora Brumæ,
Sparſaque Hyperboreo nix jacet alta gelu;
Nec fas aut fluviis ventiſque faventibus uti,
Frænaque currenti vel dare çal car equo;

Ad

Ad tua non metuis Rura invitare Poëtam:
  Languida quæ pigro frigore torret Hyems?
An Tibi nunc frondent mediis Aquilonibus Horti,
  Naturâ ſolitas non peragente vices?
Hîc dulces violas deformis parturit annus,
  Et Scythicâ gignit ſub nive poma Pales?
Omnia dum Nobis torpent adſtricta pruinis,
  Sylvaque deciduis ſtat viduata comis:
Iam tibi purpurei facies nitidiſſima Veris?
  Et blandos aperit florida terra ſinus?
Pleïas & tardi terrent me ſigna Bootæ,
  Parrhaſis & Muſis incutit Vrſa metum.
Horrida ventorum rabies hîc ſuſcitat iras,
  Depluit & gelidas trux Capricornus aquas.
Frigore concreſcunt vicinis æquora ripis,
  Et videas toto lintea nulla ſalo.
Quâque ierant plenis ſtipatæ mercibus alni;
  Hîc ſtant perpetuo flumina vincta gelu.
Crediderim, tanti vis eſt Aquilonis & Euri,
  Formidat fluctus Nerëus ipſe ſuos.
Tutius eſt Vati Zephyris ſe credere blandis,
  Cum ſua villoſi Dux petit aſtra gregis.
Lætaque Tyndarides protendunt Sidera Fratres,
  Et florens tenero ceſpite terra viret.
Cum Corydon blando demulcet pectora cantu,
  Et volucrum lætis perſtrepit aura ſonis.
Cum Fauni virides & Pan ſub montibus altis
  Inter Hamadryadum fert nova ſerta choros.
Tunc reparat gelidæ Titan faſtidia Brumæ,
  Et redit in Muſas Vita vigorque novus.
Tunc tua, *Mecœnas*, me, ſpero, Rura videbunt,
  Quò fruſtrà Vatem nunc tua vota trahunt.

In

In Nuptias.

D. CORNELII à BUTTINGA, LV.D.

nunc Friſ. Sup. Curiæ Senatoris.

& RINSKIÆ ab HEYDEMA.

QVos gravis aſſiduè circumerrat turba Clientum;
  Enecat & curis nocte dieque Forum;
Quos juvat immenſos ad Pallada condere ſoles,
  Et niſi Pegaſeo fonte rigare ſitim,
His etiam Cytherea ſuos inſtillat amores,
  Et flagrante Venus perfodit igne jecur?
Nec ſua Pierides ſubducunt colla Dioni,
  Idaliumque negat docta Minerva jugum?
Credo equidem, rigidos ſubmittit purpura faſces,
  Cum Populo leges fert Erycina ſuas.
Curia diſſimulat, poſitâ gravitate, ſecures,
  Baſiolis quoties pugnat Amica ſuis.
Regia Majeſtas: Quis enim benè celet amorem?
  Virginis ingenuæ victa pudore, jacet.
Conjuge miteſcit facies intonſa Catonis,
  Et ferus, admiſſâ Cypride, Brutus amat.
Neſcit tanta Viri ſemet ſapientia; neſcit:
  Cum jacet in molli Porcia nuda toro.
Adſpice Laurigerûm Genus alto à ſanguine Vatum
  Dî! Quibus Ingenii cœlitus ardor ineſt.
Hic tibi devovit ſerviles Lesbia Muſas;
  Hic memorat noctes Lydia mane tuas.
Ille ſuam gratâ complectens mente Corinnam,
  Legem, quâ debet quiſquis amare, docet.
Roſſa, tuos Batavûm nemo qui neſciat ignes,
  Et tibi quis Vatum Barbara ſudet amor,
Pierias etiam tangit ſua Mincia curas,
  Friſicaque inſolito prurit amore Venus.
Dicite Pierides: quem non ſacer occupet ignis,
  Viſaque mox flammis urat Amica ſuis?
Tota Cupidineis fervet Leoverdia caſtris,
  Contiguaſque habitant Pallas Amorque Domos.

Scilicet

Scilicet à teneris artem qui doctus amandi,
  Hoc etiam tanto debet amare magis.
Quæ gravis attenuat vitiatas cura medullas;
  Diluit hanc lepidis bella Puella jocis.
Hic nunc, Sponſe, tibi, poſt tot confecta laborum
  Tœdia, ſiderio Phœbus ab axe nitet:
Quo pia ſollicitas curas diſſolvet amando,
  Et petet amplexus *Rinskia* blanda tuos.
Rinskia, cui niveis Probitas collucet ocellis,
  Caſtaque Virgineo purpurat ore Fides.
Cui Charis ingenuis, mitiſque Modeſtia labris,
  Suadaque ſub pulchro corpore juncta ſedet.
O felix *Buttinga*, nimis! cui ducitur Vxor:
  Vxor Virtutum tot comitata bonis.
Iuppiter humano ſi poſſet corpore jungi,
  Non alio vellet Numen amore frui.
A teneris Illam, ſacris operante Dione,
  Iactavit caſtâ cum Pietate Pudor.
Quæque favens multis poterat Natura negaſſe,
  Nunc uni ſolùm munera tanta locat.
Cætera propitiæ donat clementia ſortis,
  Et gravis excedunt Cenſus Honorque modum.
Hæc tibi, poſt Lauros nitidæque Inſignia frontis,
  Moribus & Formâ Sponſe Marita datur.
Sponſa datur, viſa Pyleus quâ ſuſcitet ignes,
  Et ſua Neſtorius colligat oſſa Senex.
Ergò lætus ovas, Cyprioque ardeſcis ab igne,
  Dum thalamos intrat RINSKIA chara tuos.
RINSKIA, quæ tecum ſociales exigat annos,
  Et mater faciat prole decente Patrem.

Clariſſ.

Clariſſimo Viro,

D. EDONI NEVHVSIO,

Illuſtris Leoverdienſium Sch. Rectori,

Parenti obſervando,

Cum Ætatis ſuæ ann. LIV. ingrederetur, Anno M. DC. XXXIII. XXI. Octob.

CHare *Pater*, dubiæ poſt tot diſcrimina ſortis,
Inque tuum cœlo fulmina miſſa caput:
Tandem etiam meliore comâ ſeſe exerit Aſtrum,
Sollicitæque levat Fata ſiniſtra Domus.
Nec ſemper pluviam Pleias jaculatur & imbres,
Fervidaque exardet vindicis ira Dei.
Quandò etiam, Phœbo lucem ſpondente ſerenam,
Excipit adverſos mitior aura notos.
Effulget nobis multò quàm Scorpius antè
Blandior, & votis nunc favet ille meis.
Libraque quàm nuper lancem plus dirigit æquam,
Et melior geminis Piſcibus aura nitet.
Stellaque jam ſervat, quæ viſa eſt mergere quondam
Nobile Neuhuſiæ ſtemma decuſque Domus.
Nunc iterùm feſtâ redeunt Natalia luce:
Quæ Tibi lux vitæ tempora prima dedit.
Mens ſtupet, ut memini caſus ſortemque ſiniſtram,
Quâ toties noſtri ſuccubuêre Lares.
Cor ſalit, ut video, quod jubila læta ſequantur,
Nubila, & alternent Fata dolorque vices.
O utinam! noſtro quoddam ſit in omine pondus,
Totaque ſollicito vita dolore vacet.
Et Tibi, tranſacto curis gravioribus ævo,
Fauſta ſerenato luceat orbe dies.

Reverendo Piiſſimoque,

D. ALBERTO NIENHVIS,

Neocleſiæ-Geldrorum V. D. M.

Avunculo dilectiſſimo.

VT Muſas, Avuncule, ſecretiores,
Et ſuavem Cecropiæ Suadam Minervæ,

Cyrrhæ-

Cyrrhæque latices, dulcemque liquorem
Fontis Permeſſi, & vivam Caballini
Fluminis undam pectus intra recondam:
Vt mores alio Gentium ſub axe,
Et Belgæ Virtutes finibus remotas,
Rituſque cernam vulgi coram profanos;
Nunc, Patre Moſa & Rheno procul bicorni,
Petam cœrulei Tameſin Britanni,
Tuaſque beate Ligeris Camœnas.
Dilecte Avuncule, doctas ibo Athenas,
Et longum mihi littus reſtat arandum,
Quod plenum ſcopulis & plenum periclis,
Nec unâ tantùm Nemeſi timendum.
Hîc Muſas territat pelagus inermes,
Thetiſque terribili furit tumultu.
Hîc Caurus intonat Æolus Notuſque
Et Boream emittit carcere furentem.
Illic nocte feri vigilant Latrones,
Sylvæque tacitis terrent tenebris.
Iſtic apertum Martis formides enſem,
Et tuis diſtrictum jugulis mucronem.
Hinc lupus acer; illinc urſus feroces
Acuit dentes. Cœlum pelaguſque
In nos terrificis furiunt procellis.
Tu pia faxis, *Paſtor*, vota pro nobis,
Et charum commenda *Deo* Cognatum:
Vt mente corporeque ſanus valenſque
Suos ſuperſtites repetat Penates.
Me quo favoris aura vocet divini,
Quò trahit Fortunæ facies ſiniſtræ,
Tui recurret ante oculos imago.
Sive Phoſphorus mane diem reducat;
Seu ſerò caput Oceano recondat;
Aut mundi recedam ad cardines Eoi,
Tagumque Cantabricis bibam ſub oris;
Aut intra Rhodanum & obices Garumnæ
Avuncule, ſiſtam ſpiritum anhelantem,
Tui me ſemper umbra memor ſequetur.

Traſtan-

Præſtantiſſimo Doctiſſimoque Viro,

D. IOHANNI PICARD, V. D. M.

Cognato Amiciſſimo,

Cum Lugduni-Bat. Med. Doct. renunciaretur.

Sic Tibi Divinæ famulatur Spiritus auræ,
 Et flagrat ſtudio Mens generoſa Dei.
Nec ſatis æthereos ſcrutari cœlitus ignes;
 Sed terras etiam mente tenere libet.
Nomen Apoſtolicæ dederat Facundia Suadæ,
 Et ſparſa Eloquii fama per ora Virûm.
Quiſque tuas, *Piccarte*, ſtupet ſub pectore dotes,
 Tu quoties Populum Myſtica ſacra doces.
Nunc etiam Medicis inſcribis nomina Faſtis,
 Cumque animis ſanas corpora læſa ſuis.
Rara Tibi ſeris debetur gloria ſæclis,
 Qui gregis Iſacidûm tam benè paſcis oves.
Herbarumque potens, & præſtans Arte Medendi,
 Mentibus afflictis utilis addis opem.

PARENTI ſuo Chariſſimo.

CIↃ. IↃCXXXV.

CARMEN NATALITIUM.

Chare Pater, centum circumſtent pectora curæ,
 Nec tibi tempeſtas obruat una caput;
Et ſe conglomerent vitæ ſub fine labores,
 Fluctibus aſſiduis ut videare premi.
Ne quid deſperes: ſed contra audentior ito.
 Excipiet triſtem lætior aura diem.
Et qui nunc gelida Boreas bacchatur ab Arcto,
 Non fera perpetuùm prælia fronte geret.
Iſte ſalutiferus veniet poſt nubila Titan,
 Qui nobis cælo jubila læta dabit.
Mitte graves animo, mordentes ilia, curas,
 Nec tumulum toties per tua vota pete.

Perfer

Perfer & obdura. Poſt longæ tædia vitæ,
Poſt mala tot veniet lætior hora Tibi.
Fallor? an incipiunt gravidæ evaneſcere nubes?
Et facie ridet candidiore polus?
Da Deus augurium, & propius res adſpice noſtras:
Hic opus auxilio præſidioque tuo.
Nunc quoque ſollicitant cæleſtia Numina Belgæ,
Et res in dubiis publica poſcit opem.
Illinc terribiles miſcent aconita Novercæ,
Hinc Bellona ferox quaſſat utrumque caput.
Peſtis, & ira Deûm, mortiſque incendia terrent,
Et furias omnes degener orbis habet.
Tu ni, CHRISTE potens, animos miſerabere fractos,
Ipſa foret nobis orba ſalute Salus.
Dira Licaoniæ cedant ſi fercula menſæ,
Et blandæ nobis fœdera pacis eant:
Sic iterum lætos poſſet dare Belga triumphos,
Et Tibi Natalis candidus ire dies.

Extemporanea Kal. Ian.
Ad Nobiliſſimum Virum,
D. MATTHIAM ab OVDESTEYN, I.C.
Cos. Alcm. & Avunculum.
pro Convictore ſuo
CORNELIO ab EGMOND à NIEVBVRCH.
CIↃ. IↃ CXLI.

MAgne Vir, in Batavis doctæ tutela Minervæ,
Quem mihi non uno fœdere junxit amor:
Ex animo tibi fauſta precor Natalia Iani,
Quæ nunc ſolenni Phæbus ab axe refert.
Vtque diu poſſis Themidem exercere, Togæque
Munia, & Almerii ſceptra tenere fori.
Et nunquam adverſis vitam producere Fatis,
Fortunâ nunquam deteriore frui.
Sed ſemper vegeto ſentire in corpore vires,
Semper in optatâ vivere ſorte queas.

Vt

Vt Pyliam ſuperes, Fato haud tardante ſenectam,
Methuſalæ & vivas Neſtoreoſque dies.
Hoc Batavos audis, quorum nunc ſceptra tueris,
Ingentem precibus ſollicitare Deum,
Aonidumque choros ſubmiſſo poplite divos
Poſcere, & in faſces prona theatra tuos.
Meque tuis totum officiiſque animoque revinctum
Auſpicio Iani rite rogare Deum.

Aliud
ad Nobiliſſimum Virum,
D. IOANNEM ab EGM. à NIEVBVRCH,
Illuſt. Alcm. Scabinum & Patruum.

ANnua venerunt ſacri natalis Iani,
Et facie Phæbus jam meliore nitet.
Nubila jam minuunt paulatim, & clarior exit
Aſtra ſerenatis per nova Titan equis.
Incipiuntque breves iterum ſe condere ſoles
Dum prodit cælo mitior axe dies.
Sed labor & rerum creſcit quoque ſarcina nobis,
Ac ſua Pierides penſa operoſa manent.
Nec fas Auroram in mediam nunc ſtertere lecto:
Poſt hac in Muſas acrius urget amor.
Tædia jam pridem cepere & nauſea Phæbum;
Et ſatis Aonidum torpuit aula gelu.
Frigora Palladias cogunt in vincula divas,
Frigore diſcuſſo, Pallas ad arma redit.
Atque iterum toto gaudent Helicone Sorores,
Cumque novâ in Cyrrham luce revertit honor.
Hæc mihi, Pierides, vobiſcum gaudia Nymphæ:
Quarum nos etiam pars quoque parva ſumus.
Pergite cultorem veſtris intingere ſacris,
Pegaſeoque meum fonte rigate caput.
Vt, cum creſcentem reparârit Cynthius orbem
Gratuler ad Ianum, Patrue, Fauſta Tibi,
Et Te cum charâ tunc Conjuge ſoſpite ſoſpes
In vitâ videam Pace & honore frui.

Aliud

ad Nobiliſſimum Virum,

D. THOM. ab EGM. à NIEVBVRCH,

Coſ. Alcm. VVeſt-Friſ. præſidem, Patrem chariſſ.

CHare Pater, dum quiſque ſuis gratatur amicis
Proſpera, & æternum mandat per vota Valere,
Teſte Deo Iano: Nos priſca exempla ſequuti
Solennem Muſis operam navamus, ut Anni
Natalis tibi dexter eat, Pyliamque ſenectam
Vivendo ſuperes, Qui noſtræ cura ſalutis,
Qui commune bonum patriæ. Tu vota ſecunda
Cælipotens, noſtroque libens ſuccurre labori.
Fac ô ſolliciti poſt tot diſcrimina caſus,
Poſt tot bellorum furias, Eccleſia vultum
Attollat nitidum, & cœlo nova gaudia portet:
Vt tandem juſtas Meretrix Babylonia pœnas
Sentiat, &, placidam pacem qui odere, tyrannos,
Cæſareaſque Aquilas imâ de ſtirpe revellas.
Et par exitium ſævos exſpectat Iberos,
Iuratos Belgarum hoſtes, & noſter in armis
Exultet Mavors, ſpoliiſque elatus opimis
Terrarum per regna volet, victorque peragret
Vtrumque Oceanum, & vario ſub climate mundum.
Sic erit, ut domitis Hiſpanis Belgica victrix
Tollat in aſtra caput, totumque ingentibus orbem
Illuſtret factis, & famam in ſæcula prodat.
Fac quoque Cælipotens, ut noſtræ gloria ſtirpis,
EGMONDÆq; Domus Virtus ſe extendat in annos,
Et longùm florere queat, ſeroſque nepotes
In ſua perpetuæ alliciat præconia Famæ.
Præcipuè Tibi, Chare Pater, genialia vitæ
Tempora, Neſtoreoſque dies, & læta ſenectæ
Fata precor: ſeu tu communem legibus æquis
Expendis cauſam, & præſcribis jura Batavis,
Sive domi Patrio curas moderamine verſas,
Pieridumque tuâ complecteris otia mente.

Vive diu felix, Genitor, cum Conjuge charâ,
Et longùm blandæ ſuperent mihi nomina matris,
Amborum ſpes magna mihi, ſpes una ſalutis
In terris dum vita manet. Sic carpere fructum
Et meſſem à noſtrâ Virtute & Pallade vobis
Fas erit, & duros olim meminiſſe labores.
Audi, ſancte Deus, quæ ſacrâ luce precamur.
Vt cum de cælo nobis lux alma revertat,
Solenni referam Vates tua Numina verſu.

Honori
Doctiſſimi Iuvenis,
HERMANNI FEYKENS,
Cum I. V. D. promoveretur.

NOn ſiccis oculis, non ſine lacrymis,
Ductiſque exanimi pectore queſtibus,
Fas eſt tueri
Promethei miſeros nepotes.
Mox cum cana Fides pulſa receſſerat,
Poſt triſte exilium Leucadii ſenis,
Invaſit orbem
Tetrica colluvies malorum.
Terras continuò Pax bona deſerit,
Mars ad bella vocat, Frauſque nefariæ
Perrupit orcum
Felle madens, gelido & veneno.
Hinc humana malis mens ſcatet omnibus,
Et præcordia fibraſque medullitus
Eheu! Nepotum
Vrit atrox ſcelerum favilla.
Graſſatur Stygiis libera vinculis
Plutonis rabies. Ambitio improba
Prodit ſub auras
Tartareis ſociata monſtris.
Non Te, Magne Deus, prætetit abditum,
Quàm pauci venerentur tua Numina
Quàm nunc profano

Impietas dominetur orbi.
Multos Heſperii plus decor afficit
Argenti, Lapidis vel Parii nitor,
Quàm ter potentis
Cura tui ſtudiumque recti.
Virtus labe carens, nudaque Veritas,
Prudens Simplicitas, Ingenuus Pudor
Debent pudendum
Ludibrium populis malignis.
Tunc ſe vilis Homo prædicat omnibus
Felicem numeris, quando beatulum
Indulſit hauſtum
Gratia non ſtabilis favoris.
Quem non ſollicitat, quæ bona poſſidet.
An ſint legitimis parta laboribus,
An turpi egenum
Fænore Cappadocem trucidet.
Sic inter vitium fædaque crimina
Ad vitæ rapimur flebilis exitum,
Sortis caducæ,
Mortis & immemores futuræ.
Claram ter geminæ laudis adoream
Debet poſteritas grata Franekeræ,
Tot quæ reformat
Artibus indocilem Iuventam.
Et pulſis tenebris monte Heliconio,
Purgatoque ſitu Friſiaco Foro,
Priſco nitore
Reſtituit Themidem fugatam.
Quæ nuper tenuit tecta ſilentium,
Et torpor ſtupidus ſub juga traxerat,
Auditur illic
Ore loqui Themis ipſa vivo.
Spes eſt Sauromatas, ultra & Iapygas
Iturum ſceleris turpiculum gregem:
Rurſus Saturno
Rege ſuas adeunte terras.
Sic fervet ſtudium nobilis otii,

Sic

Sic Doctrina potens, & Themis inclyta
Nectunt virentes
Temporibus Iuvenum coronas.
Quos inter, Patrii Ruris Ocellule,
Non Virtute minùs, quàm Genio potens
HERMANNE, claris
Myſta ſacer Titulis refulges.
Et nunc Fatidico plenus Apolline,
Nec tinctus leviter Palladis artibus,
Coram Senatu
Iura doces Veterum Quiritum.
Legum præſidio fortiter aſſeris
Aſtrææ ſolium: dira Proſerpina
Contra feroces
Bilis atræ moveat procellas.
Sic non immeritò Pilea & Annulum,
Doctarumque refers præmia frontium:
Qui flos Iuventæ,
Et Patrii decus es Lycei.
Hæc eſt Sparta tuis parta laboribus;
Hæc ſunt promeritis munera laudibus;
Hoc tutum aſylum
Poſt Themidem ſtudio ſubactam.
O ſi ſarta tuo tectaque Numine,
Ceu poſtliminio, cælitus afforet,
Rurſum & miſellos
Alma Fides Homines reviſat.

IN TRISTES EXEQUIAS;

Doctiſſimi & Prudentiſſimi Viri,

VVILHELMI KETH,

Trib. pl. & ad Comitia Ordd. Friſ. Delegati.

ERgò abit, & moritur noſtri tutela Senatus
KETHSIUS: Harlingæ nobile præſidium.
uiſque ſuos patimur manes à funere tali.
Publica, privatim cuncta dolore ſtupent.

Vxor amans ſociæ queritur diſpendia vitæ,
Et plenis lacrymis ora torumque rigat.
Heu! quàm difficili premeris nunc IDSKIA luctu:
Obruitur quantis prima Iuventa malis!
Sic iterum tædas rumpit Mors atra jugales,
Dilectoque paras altera buſta Viro.
In cunis, pendens materno & ab ubere proles
Abſentem tremulo perſonat ore Patrem.
Te, VVILHELME, petit, fruſtraque amplectitur ulnis,
Cum Matre ex animâ parvula Filiola.
Te, veniente die, Te decedente, Maritum
Vxor inops animi conſiliique vocat.
Vix Batavûm primas Frater delatus ad oras,
Audiit afflictæ vulnera dira domus.
Qui meritò Parcas ſævis profcindat Iambis,
Oderit ac teſtes in ſua damna rogos.
In lacrymas ſic totus Ego. Mihi perfida Fata
Partem animæ rapitis, dimidiumque mei.
Diique Deæque omnes Plutonia regna ruínis,
Et feriant flammis fulminibuſque ſuis.
Pro ſcelere & tanto Lacheſis, pro talibus auſis
Æacus, & Minos ſuppliciumque luat:
Quod fas inviſis Lethæo à flumine Parcis
Principibus vitæ rumpere fila Viris.
Ah! Pudor & ratio jam dudum Acheronta reliquit:
Virtutum nullus Fata moratur Honos.
Nil valet in Mortem, Pietas, Doctrina, Fideſque,
Et Genus & Virtus, omnia Mortis erunt.
In viles animas deſpectaque nomina vulgi
Diſtringas aciem trux Libitina tuam;
Et tecum ſubito rapias ſub Tartara Fato,
Quos ſervum vitiis pectus habere juvat.
Qui fas perque nefas virtutem illudere docti,
Qui ſpecie blanda diſſimulare ſciunt,
Adde tot errantes & inanes Numine fungos,
Turpes noctivagæ Penelopes ſocios:
Thyrſigerumq; gregẽ Bacchi, ſcelerumq; Miniſtros:
Quos Venus & ventris fœda libido tenet.

Hos,

Hos voret atra dies plenis adaperta tenebris;
Hæc Stygiis umbris victima digna cadat.
Quos vulgi obſcuro virtus ſuper extulit ortu,
Hos merito Pylii ſæcula longa decent.
Talis erat, primos inter virtutis Alumnos
KETHSIUS: Angelici pars modò magna chori.
Qui tantò Harlingâ major, Virtute Fideque:
Quantò Sol terris ſideribuſque Poli.
Qui melior, Cineri & cœno quàm putre cadaver,
Seu gelidis tumulo vermibus eſca fiat.
Quod potuit diræ mortis Lethique venenum,
Vrna tegit. Cœlum mens generoſa tenet.
Hic coram Superis vitæ genialia carpit
Gaudia, mortales odit & exuvias.
Hic crucis exortem ſperat cum Conjuge Pacem,
Oſculaque ambroſiis perpetuata jocis.
Hîc illi occurres etiam tunc IDSKIA Fatis,
Nunc ubi ſentiri ſarcina nulla poteſt.
Felix, ter nimiùm felix! Qui funere tali
Æterna in cœlis luce beatus ovat.
Diſce Harlinga Mori; Vitam benè vivere diſce:
Eſt Ludus, Luctus, Fabula vita tua.

PARENTI *amantiſſimo*,
SOLATIVM
Super funere piiſſima Matris.

QVid fles, Chare Parens, lethalia vulnera Lecti,
Neuhuſiæque doles Fata ſiniſtra domus?
Quid Cinerem gelidaſque urnas, & Conjugis oſſa
In Viduo quereris nocte dieque toro?
Dulcis & alta quies maternos ſopiit artus:
Quæ nunc Elitiis læta triumphat agris.
Et dudum vitæ mortalis ſaucia curis
Abramidæ gaudet Sponſa recepta ſinu.
Cum Christo, Angelicos inter lectiſſima cœtus,
Humanas ſecum ridet & odit opes.
Scilicet inſtabilis quàm ſit fiducia mundi,
Hæc coram Chriſto cœlicoliſque videt.

Illa procul vitæ ſpoliis, nunc nectare Divûm,
Cum Iove & Illiaca paſcitur ambroſiis.
Noſtra procelloſis jactatur cymba periclis;
Neſcia, quò dubiam pontus & aura vocet.
Illius in tutum nuper delata carina
Evaſit ſcopulos & vada cæca maris.
Æternos latices, & vivi fontis honorem
Nunc ubi candidulâ porrigit Anna manu.
Quid fles, Chare Parens, Thalami conſortis amorē?
Quid te tantus habet nocte diequedolor?
Cum Superis etiam nunc ſunt commercia nobis;
In cœlo & vivis nunc quoque parte tui.
Nos breve poſt tempus, Fatò poſcente, ſequemur,
Ignari, nobis quid vehat una dies.
Nil homini tutum, mortali ut veſcimur aura:
Vita perit multis plena ſcatenſque malis.
Æacus ad Divûm cum nos tranſcripſerit arces,
Offeret amplexus chara Marita ſuos.
Et Te noſque ſuis plaudens circumdabit ulnis:
Hìc meliore ſuo fœdere juncta Viro.
Sed ſua dum celeres remorantur ſtamina Parcæ,
Et vitæ ſupereſt ſpes mihi magna tuæ:
Hæc prius eveniant, ut poſt Babylona ſubactam
Temporibus veniat tarda ſenecta tuis.
Et Tibi, qui fauſto nunc omine naſcitur Annus,
Quàm vetus, auſpicio candidiore fluat.

In Nuptias
Doctiſſ. & Conſultiſſ. Viri,
NICOLAI SCHOTANI, I.V.D.
& Adv. falsò ad me delatas.

PRimus Amor, Patriæ dulces dignatus amores,
Et placuit Friſico Littore lecta Venus.
Altera nunc, SCHOTANE, Venus *Plus* provocat *Vltrà*;
Et coram Rheno retia pandis amans.
Et fateor, non blanda ſolo ſe credidit uni
Gratia: nec nobis militat una Venus.

In

In Batavis etiam Lauri, ſua præmia Muſis,
Et Trajectinos Suada Venuſque manet.
Quos cumulat multo Pallas ſplendore: nec uno
Gloria Virtutis conſcia teſte probat.
Hic Tibi felici cecidit, Venus alea, jactu,
Et deſideriis æther amorque favet.
Patritiâ de gente Tibi nunc ducitur uxor,
Inſeris & claris nomen Imaginibus.
Sic ambos Natalis habet pulcherrimus. Ambo
Virtutum & Generis Nobilitate ſati.
Hic proavos; illic Phœbus quos jactat Avûnclos!
Ille Fori magnas Res agit, ille Poli.
Friſia tantorum luxit diſpendia Vatum,
Faſque Fideſque ſuis orba Patrociniis.
Illa Viri laus, ANNA, tui. Laus altera Virtus,
Et vis ingenii prompta, potenſque Deo.
Hac Sponſus Te dote beat. Dos nulla Maritam
Plus decorat, Virtus quàm Pietaſque Viri.
Et neſcis, SCHOTANE, tuum qua dote cubile;
Quàm largis animi fructibus ANNA beet?
Anna tuis dabit amplexus & colla lacertis,
Cum Te Pieridum vel Themis urget opus.
Anna larem parvoſque fovens ante ubera natos,
Provida conſiliis remque domumque reget.
Luce ſacra, ſic ingenuos ſociatis amores,
Auſpiciiſque bonis dextra fideſque coit. (Annos,
Quod ſupereſt: Pylios cumque Annâ comprecor
Et vitæ ſaturis tunc ſine felle Mori.

Reverendo Doctiſſimoque Viro,

D. GVALTHERO PICARDI,

Nunc in Illuſtri Eccl. Groning. V. D. M.

Cognato amiciſſimo,

Literarum miſſiones plus æquo tardanti.

Credo equidem, noſtræ parva eſt Tibi cura ſalutis,
Priſtinaque immemori ceſſit ab orbe Fides.

Et nunc Neuhuſiæ ſubeunt te oblivia Muſæ,
Aut *Piccarte* meus jam tibi ſordet amor.
Seu te debilitant afflicto in corpore morbi,
Languidaque impatiens pectora torpor habet.
Nulla mihi veſtris jam dudum venit ab oris
Littera, nec tenui linea ducta manu.
Abſentem me veſtra ſalus *Piccarte* fatigat,
Plenaque ſolliciti cura timoris habet.
Nec dubito: aut triſtes inceſſunt pectora febres;
Aut non te noſtri ſanguinis urit amor;
Et morum Pietas cognataque fœdera vitæ
Nunc tibi pro nihilo ſub pedibuſque jacent.
Otia ſi moneant ignavam pigra quietem,
Et ratio tanti non ſit habenda mei;
Neſcio quàm fidos ſic ſors divellat amantes;
Ipſaque tam lubrico ſiſtat in orbe Fides;
Aſtra prius cœlo tollentur, & æquore piſces,
Quam te poſſe mei non meminiſſe putem.
Gratius eſt aliquo prætendere nomine culpam,
Et ſe peccati ſiſtere ſponte reum:
Quàm tibi Dî juſtâ dederint ratione ſilêre,
Et morbus longæ ſit tibi cauſa moræ.
Rumpe omnes Cognate moras, & tædia rumpe,
Noſtraque ſollicitis exime corda malis.

D. I O H A N N I H A S E L B E K I O,

In Inſula Schellingana V. D. M.

Cum ad Ill. DD. Ord. Exercitum delegaretur,
ſacrum illic Munus obiturus.

HActenus æquoreum cœleſtiâ dogmata Typhin,
Et Neptunicolas Myſtica ſacra doces.
Nunc ſua Belligerâ cum Pallade munera Nereus
Dividit, & Muſas vult quoque caſtra ſequi.
Inſula, parva licet, toto circumflua Ponto
Vulnera Gradivi non Patris arma timet.
Dum nequit ingentes in campum ducere turmas,
Fortiaque invicta ſtringere tela manu;

Dat

Dat ſupplex cum thure preces, Martemque fatigans
 Doctorem ſacri mittit ad arma gregis.
Scilicet eſt aliquid doctis pugnaſſe Camœnis;
 Et dare, poſt Martis prælia, vota Deo.
Vota Deum puræque preces in vincula cogunt,
 Et ſunt in dubiis anchora firma malis.
Fruſtra equidem Batavi contra pugnamus Iberum,
 Noſtra niſi cælo Numina cœpta probent.
Ergò ades Eloquii ſtringens, Vir docte, ſecurim,
 Et ſacrâ pugnes in Babylona Fide.
Naſſovius duro tentabit prælia Marte,
 Cominus & fortes tendet in arma manus.
Hic rutilas acies inter denſaſque phalanges
 Conferet Iſacidum pro grege Martis opus.
Tu linguâ precibuſque piis pugnabis in hoſtem,
 Inflammans ſtimulis Martia caſtra tuis.
Non criſtas, galeaſque, & acutâ cuſpide tela,
 Nec trepidis timeas tympana rauca ſonis.
In medios ruit ipſe ferox *Auraicus* enſes,
 Et nudum telis objicit Ille latus.
Ne metuas: ſacri ſunt hæc certamina Martis,
 Noſtraque Libertas prælia tanta movet.

Clariſſimo Viro,
D. EDONI NEVHVSIO
Parenti amantiſſimo,
Annum M. D. C. XXXIV. *ingredienti.*
Poſtquam XXVI. Annos Ill. Leoverd. Sch.
Recturæ præfuiſſet.

Tandem etiam ſubeunt animos faſtidia vitæ,
 Et cuperes *Chriſto* jam propiore frui.
Acceptumque foret tumulo captare quietem,
 Et vitæ extremo claudere fine diem:
Ne tot cum lacrymis, inter ſuſpiria Mundi
 Expulſam priſco videris orbe Fidem;
Et penitus, noſtri tanta eſt incuria ſæcli,
 Poſthabitâ ſperni Relligione Deum,

Sic quoque ſolliciti liber cruciatibus ævi
  Corporis afflicti non quererêre jugum.
Nec te difficilis jactaret functio vitæ,
  Frangeret aut duri triſte laboris onus.
Quodque magis, multis quæ Mors inviſa graviſque,
  Hæc tibi Mors Genitor læta leviſque foret.
Et quam formidant alii, vitantque rebelles,
  Hæc tibi curarum dulce levamen erit.
Scilicet in terris, vitæ ſtatione peractâ,
  Eſt tibi nunc ſoli vivere cura Deo;
Et, quas humanæ vetat Indulgentia carnis,
  Officii partes ſolvere, *Chriſte*, tibi.
Sentiat ut meritas Babylon Tarpeïa plagas,
  Et prius inviſâ Cæſar ab arce ruat;
Hæc ſpes una tibi Fatorum extendere metam,
  Et vitæ reliquos tardius ire dies.
Illa in fatalem Meretrix impacta ruinam
  Cùm Superis pœnas ſuppliciumque luat;
Tu lucis vitæque ſatur, Mundumque peroſus
  Funereos votis proſequerêre rogos.
Nos tamen, ut poſſis Cumæos vivere in annos,
  Sollicitè petimus nocte dieque Deum.
Et, quos crudelis tibi Calculus ingerit ictus,
  Hos lenire velit Numinis alma manus.
Curiaque in Muſas ſtudio propenſa quietem
  Poſt vitæ tribuat Luſtra peracta decem.
Vt quod opus mediâ ſupereſt incude relictum
  Sedula perficiat cura Laborque Domi.
Hanc equidem vitæ requiem tibi Friſia debet,
  Tot fracto curis attonitoque malis.
Et te Poſteritas dignum ventura loquetur,
  Palladius meritò quem rude donet Honos.
Dì tamen, ut ſolito peragas pro more labores,
  Et meliore fluat Vita tenore, velint.

Nobiliſſ.

Nobiliſs. Præſtantiſs. Iuveni,

DVCONI à IELTINGA.

ASpera ſic etiam, poſt prælia blanda Sororum,
Sub Duce Naſſovio ſtringere tela juvat:
Et ſatis Aonidum Muſarum caſtra ſecutus
Altera Militiæ ſtrenuus arma capis.
Nec tua formidat Bellorum Muſa periclum,
Nec rapidos flammis horret adire rogos:
Per varios caſus donec Fortuna Deuſque,
Et medios ignes, pandet Honoris iter.
Scilicet à ſolo non ſemper Laurea Phœbo;
Vnica nec tantùm Pallas honore beat.
Sunt etiam rigidis Mavortia præmia bellis,
Et ſua magnanimus munera Miles habet.
Hic quoque Naſſovios Mavors exercet in armis,
Nec pudet Auriacum caſtra cruenta ſequi.
Hoc Magnus Macedo terrarum exterruit orbem:
Vnus cui Domino non ſatis orbis erat.
Hoc trux Auſonias emollit Hannibal Alpes,
Cum tremeret muris Martia Roma ſuis.
Sic fortes in Bella Viros, *Ieltinga* Duceſque
Gradivi ſequeris Martis & Artis Honos.

Encomium Amoris in Nuptias
Nobiliſs. & Doctiſs. Viri,

D. EPEI ab AYLUA,
Senat. Fr.

AMor res eſt amæna, melle plena,
Omnium fons perennis Gratiarum,
Et mater leporis ac Voluptatum.
Amor ſollicitæ curæ levamen,
Rebus in duris ſpes & ſolamen.
Amor effætam vegetat ſenectam,
Flore vernantem recreat juventam.
Amor jucundæ pacis alumna
Lites exoſa, fraudes doloſque.

Amor blanditiis ſuis jociſque
Barbaras gentes ſociat in unum.
Amor indomitos domat Leones,
Frænat effrænem rabiem Luporum,
Iras emollit Tygrium ferarum.
Huic triplex circa pectus ahenum,
Et ſcopuloſæ ſilicum lacunæ:
Qui non Idaliam colens Dionem
Ardet jucundis facibus Amorum.
Hic ſatus ſtygiis antris Cyclopum,
Et magis Scythicis horret pruinis:
Qui non primævæ Roſulam Iuventæ
Dedicat blandæ gremio puellæ.
Odit inertes animos Cupido
Pigroſque ſomnos, turpem veternum,
Ad inſtar ignis fervent Amantes
Foco perenni. Metuunt ſecundis,
Sperant infeſtis. Sæpius repulſi
Acrius ardent. Spes alit procantes
Meliorque dies: atrox Sabina
Quo magis fronte rideat benigna.
O læti, lepidi, dulces amores!
Vt mille curas & amarores
Veſtro diluitis melle & lepôre.
Vt limen ſalutet teneræ puellæ,
Vnum det blandis baſium labellis,
Non triſtem Boream longaſque noctes,
Non durum gelu glaciemque Brumæ
Horret amator. Omnis hora in lucro,
Et fænus amplum. Pars eſt ſalutis
Et vitæ ſumma, rapuiſſe noctem
Cuſtode falſo. Hæc juvenum voluptas,
Hic ſacer ignis furere in Amore,
Furtivæ Veneris calere flammâ
Cuncta pharetrato cedunt Amori.
Omnia nudo ſerviunt amori;
Tellus quæ tenet ſpatioſa ſinu,
Nereus quæ vitreis paſcit in undis,

Titan

Titan quæ radiis fovet coruſcis
Iovem terribilem, cæli potentem
Subagit blandæ Veneris Voluptas.
Cum Faunis Satyri calent agreſtes,
Dulces Nereïdes ſociant amores,
Suaves Oreades amant lepôres,
Nulla Majeſtas principem tuetur,
Vrente cæcas Cypriâ medullas.
Intonſi Catonis Virgine ſub bellâ
Se neſcit Virtus. Ponit Prætor ſecures
Et tacet judex, Dominâ Dione
Agente cauſas. Quæ deceat Brutum
Gravitas; quæ Gracchi frontem procellâ
Adblandiente Porciâ benignum,
Et Corneliade ridente blandùm?
Silet ſanguineis Bellona caſtris,
Mars ſuper arma ſedet cruentus,
Quando Briſeiden ardet Achilles.
Ars jacet medio Foro ſepulta,
Nullus eſt hederis color vigorque,
Cum Phæbus Daphnen & curat amores.
Quanta vis Veneri, virtus, voluptas!
Quæ ſceptra, Faſces, Regum Tiaras
Potens gubernat; quàm ſupplex adorat
Colitque mundi machina triformis.
Nihil eſt caſto dulcius amore,
Nihil blandiloquam vincit puellam,
Nihil plus fidos recreat amantes.
Nullæ deliciæ, nulli lepôres,
Non dulces Epulæ, non Cœna lauta;
Non mulli, turtures, non palumbes;
Non turdi, Boleti, non Pavones
Sic delicato ſapiunt amanti,
Vnum quàm ſapit corculum puellæ.
  Salvete generoſi Teſtes Amorum,
Nobiles Nymphæ, Sales jucundi,
Dulces inſidiæ, Faces procorum.
Felix caterva. Non ſic Vniones,
Non ſuperbæ ſtruices patinarum,

Et

Et gemmæ dulci mero perfuſæ,
Olim pretioſa gulæ tempeſtas,
Veſtri quàm ſapiunt oris lepores.
Vos dulces Epulæ, cibus procorum,
Menſæ Bellaria, Luſus amorum,
Vitæ delicium, Fontes jocorum.
Vos ſuos ante diligit ocellos
Blandus amator. Vos dies noctesque
Dolet abſentes, colit præſentes.
Sordet lætitiæ dator Lyæus,
Sordent Falerna & unguenta deorum,
Nec gratus odor Libyci liquoris,
Aut Vaticani: ſi tuum Cupido
Intendas arcum & vulneres ſagittis.
Dulces, ſiderei placent ocelli,
Genæ lacteolæ, niveæ mamillæ,
Manus marmoreæ, pectus eburnum,
Suadæ Majeſtas, nectar divinum,
Integra Virtus, Mores venuſti;
Candida fides pectoris probati,
Gratia roſeis habitans labellis,
Pudor ſcintillans oculis modeſtis:
Quales in charâ Thalami conſorte
Cernet ANSKIADE Sponſus lepôres.
Hos Tibi Gratulor lætus Amores,
AYLUANE Nobilis ſtirpis propago:
Qui tot Fortunæ potens theſauris,
Tot Bonis animi polles divinis
Et nunc GROUSTENIIS jaces in ulnis,
Mille Te paſcens Epulis amorum,
Vt ad Invidiam ſias Beatus.

Ornatiſſ. Præſtantiſſimoque
TARQVINIO POPTA,
LL. Cand. diſputaturo.

AVrea Friſiacas Libertas reſpicit urbes,
Et noſtri magna eſt alea jacta Fori.

Res

Res bona, Libertas, Miſerum eſt ſervire: beatâ
  Libertate frui, res, puto, digna Deo.
Augurio Scævaque bona quod Friſia poſſit,
  Virtutem ſolio ſplendidiore locet.
Relligio primas teneat, Doctrina ſecundas,
  Hac veniet nobis dulcis ab arce ſalus.
Quid mihi Libertas, ſi non Deus aſſerit illam?
  Si non hac Dominâ ſartaque tecta Fides.
Credite, Libertas nulla eſt, Res publica nulla:
  Quàm non Pierides Relligioque regunt.
Naſceris ominibus, TARQUINI, & ſidere fauſto:
  Vnde Harlinga novam ſpemque decuſque feret:
A teneris tibi ſola Deo ſervire voluptas,
  Flammaque ſinceræ Relligionis ineſt.
Muſarum ſpoliis ſic POPTA incedis opimis;
  Sic illo Victor Marte Trophæa canis:
Quam ſi belligerum, Schenckæ ſub mœnibus altis,
  AURIACUM nuper trux domuiſſet Iber.
Non Aganippæi fontes, non Cyrrha, nec omnis
  Expleat immenſam Caſtalis unda ſitim.
Totus amas, toto deſcendit pectore Virtus:
  In Muſas tota mente animoque furis.
Quod Libertati noſtræ, quod defuit Vrbi:
  Propitio hoc olim Numine, POPTA dabis.

Ad

Doctiſſ. Præſtantiſſimumque Virum,

NICOLAVM SCHOTANVM

I. V. D. Sponſum.

Nunc agis, & tumidi poſt ſaxa Capharea Ponti
  Laureolas inter ſertaque victor ovas;
Nec ſimplex Tibi ſervit Honos. Themis atq; Dione
  Officiis veniunt in tua vota ſuis.
Altera cum titulis doctæ redimicula frontis,
  Donat blanditias altera Diva tori.
Siſyphios tacitâ penſat cum pace labores,
  Et vitæ blandus nubila pellit Amor.

Curia

Curia diſtentis loculis ſeſtertia confert,
Et vix in cenſus ſufficit illa ſuos.
Nunc *Schotane* tenes, totâ quod mente petiſti,
Blanda magis Pallas nec Venus eſſe poteſt.
Cedite ſollicito mordaces pectore curæ,
Et grave ſuſpenſa Pallade ceſſet opus.
Deliciæ curæque leves, & læta Voluptas
Pertentent animos Sponſe beate tuos.
Non ſemper querulum delaſſat cauſa Patronum,
Nec coram rigido Iudice lis agitur.
Anthoniâ in dulci ſævas jam diſcute curas,
Et recreet Muſas tam pia Flora tuas:
Quæ tibi Conjugii Flores non Flore caduco;
Sed Sobolem, Lecti pignora læta, ferat.

Doctiſſimo Iuveni,

CAROLO à RHOORDA.

Galliæ Academias adeunti.

Nunc Reip. Fr. Prætori.

TV quoque Palladias peregrino Sole Camœnas,
A Patrio profugus littore, *Rhoorda*, petis!
Et quà præcipitis Rhodani furit & fremit æſtus,
Atque Arar Oceani ſe piger abdit aquis.
Carole, Friſiacæ Decus & nova Gloria Gentis,
Ad Druidum fontes jam meditaris iter?
Scilicet in laudes aliquid Virtutis honeſtæ
Regia Majeſtas utilitatis habet.
Non facilè anguſtis ſpatiis ſe Muſa coërcet,
Doctiloquis toties Muſa probata Viris.
Et pudor eſt Patriis ſemper ſordeſcere terris,
Et nunquam externi ſidera nôſſe poli.
Clauditur ut ſemper non uno Cynthius orbe.
Nec patitur cœli ſe modò parte tegi:
Sic tua non parvo Virtus contenta Batavûm
Limite, longinquos gaudet adire Deos.
Et debet meruitque coli non ſimplice regno
Tot Virtus animi Nobilitata bonis.

Quia

Quin age, qui Titulis & Stemmate clarus Avorũ,
E t morum antevenis laude decente Genus;
Lætus adi Gallos, ſuperatiſque Alpibus ora
Arida Romulei prolue fonte chori.
Poſt ubi flagrantes animi ſatiaveris ignes,
Et ſatis Auſonio ſub Iove culta Themis,
Offeret amplexus, ſi quid præſagia poſſint,
Laudibus & meritis FRISIA tota tuis.

Doctiſſimo Viro,

ADRIANO HAGIO, I. V. D.

In Obitum Parentis ſui.

CVria dum totam complet ſingultibus Vrbem,
Et dolet infeſtos Civica turba rogos.
Dum Themis & Pallas latè loca quæſtibus implent,
Relligioque ſuum fletque gemitque Ducem.
Friſia dum largos trepidam ſe ſolvit in imbres,
Et cœlum in triſtes flebile fertur aquas:
Tu meritò cineres & buſta inviſa Parentis,
Eheu! plus juſto Filius ipſe doles:
Quem nimium duro Nemeſis nunc lancinat ictu,
Et gravis infeſtat per ſua fata dolor.
Scilicet occubuit rerum pars ampla tuarum,
Spes Domus, & Patrii Gloria prima ſoli.
Prô dolor! Ipſe Pater, Vir multâ inſignis ab Arte
Occidit, & noſtræ plurimus urbis Honos.
Relligio querulas effundit pectore voces,
Et coram tumulo mœſta ſtat ipſa Fides.
Ponè ſubit Pallas rigidis intonſa capillis,
Protinus in luctus præcipitata novos.
Inſequitur triſtis, Populo lacrymante, Senatus,
Et ſolvit tanto debita juſta Viro.
Quocunque adſpicias, reſonat plangoribus æther,
Difficiles gemitus & locus omnis habet.
Ipſe ſuos Titan condit ſub nubibus ignes,
Flebilis & mœſto perſonat axe fragor.
Nec tua ſunt tantùm, cunctos quæ vulnera tangunt
Dividit hæc tecum publica damna ſalus.

Friſia

Friſia lethali jam dudum ſaucia telo
  Præcipuè partem vendicat inde ſibi.
Quin age ſollicitos, *Hagi*, compeſce dolores,
  Patria cui debet nomine multa Patris.

Natalibus & Virtute præſtanti Iuveni,
ECONIO MELLINGA,
Nunc I. V. D.

QVi gelidum nuper Boreæ delatus ad axem
  Tranaſti Geticos Sarmaticoſque ſinus.
Et procul à Batavum geniali rure remoto
  Ruſſia cui Scythico ſub Iove viſa fuit.
Nunc etiam noſtro diviſos orbe Britannos,
  Et mens eſt magnos viſere Borbonios.
Sic, *Mellingà*, Tibi non unus ſufficit orbis.
  Nec ſatis eſt laudem promeruiſſe domi.
Cum nil barbariem ſapiat niſi Barbara tellus,
  Et tantùm mores gens probet illa ſuos:
Iam Ligerim Tameſimque petis, quà mitius aſtrum,
  Et ſpirat blandi mollior aura poli.
Hìc Tibi cum doctas Iuris prudentia Lauros:
  Et vitæ dederit præmia Diva Themis:
Ad Patrios lætâ contendes puppe penates;
  Æquat ubi cœlo Gloria *Vierſenios*.
Et Tu perpetuâ, ſi non mens læva Poëtæ,
  Inter honoratos laude ferêre Viros.

Nobiliſſimo Iuveni,
STEPHANO à DELEN,
Nunc Equeſt. Ord. apud Geld. Delecto.

GEldria, fœcundis Rheni contermina ripis;
  Geldria, quæ armorum laude, togæque nites:
Feſtivis etiam Muſas dignare triumphis,
  Et tua Phœbæâ tempora fronde tege.
Altera jam Laurus lætas ſibi vendicat horas,
  Nec minor eſt Artis quàm quoq; Martis honos.
Atque iterùm tanti poſt fuſas ſanguinis undas,
  Iſala Laurigerâ Pallade tutus erit.

Pierias

Pierias *Delen* ſic ſedulus imbibit artes,
Et ſua Caſtaliis imbribus ora rigat:
Crediderim ut Muſas alio non farier ore,
Et Charites uni ſe ſociaſſe novem.
Nec ſecus ad pulchros Virtutum tendit honores;
Quàm Proavûm antiquâ Nobilitate nitet.
Sic etiam pronas inter tibi Geldria Divos
Fertilis Aoniâ provenit arte ſeges.
Et fera belligeri poſt tot certamina Martis,
In Patriam fauſto ſidere Muſa redit.

Ad

Doctiſſ. Præſtantiſſimumque Iuvenem,

ARNOLDVM BOLTEN, I.V.D.

Quare à condendis verſibus abſtineat.

QVid tua divinæ, *Bolten*, facundia Linguæ,
Blandaque permixto Suada lepôre ſilet?
Et non Ingenii quærens vis enthea famam
Doctorum in laudes provocat ora Virûm?
Eſt pudor in tacito tantos latuiſſe Poëtas,
Torpeat ut fœdo mens generoſa ſitu.
Otia fatidici damnant ſub Tartara Vates,
Atque amat excelſus Spiritus ire foràs.
Quin age ſuaviſonos intende in carmina nervos,
Aoniam & docto pollice tange chelyn.
Non Themis & Legū teneant Te Oracula ſemper;
Non Vatem inſtabilis jactitet unda Fori.
Vtque olim pleno quæ flumine vena ſcatebat,
Nunc etiam pleno flumine vena fluat.
Nec te Livor iners mordaci dente moretur,
Qui ſolet ingenuis Vatibus ire comes.
Quid nocet indoctum ſi ſpernat carmina vulgus,
Rideat & numeros neſcia turba tuos.
Invenies aliquem, qui Vatum Nomen adoret,
Nec ſinat ingratâ poſteritate mori.

Doctiſ-

Doctiſſimo Iuveni,

ANDRÆÆ GEYL,

poſtea I. V. D. & Adv.

QVid Rhodano ac Ligeri permutas oſtia Rheni,
Et procul à Batavo ſidere quæris humum?
Auriacæ ſubeunt etiam faſtidia Muſæ,
Nec ſatis eſt, ultrò qui tibi fertur honos?
Hîc etiam vivos Helicon deſtillat in imbres,
Et docta Aonio flumine Cyrrha ſcatet.
Hîc quoque Phœbeas donat facundia Lauros,
Et ſacra redimit fronde Sophia comas.
Hîc Themis, & Legum Prudentia laxat habenas,
Aſtræa & largas cœlica donat opes.
Non alio locus eſt, *Andræa*, illuſtrior orbe,
Quo ſacra Permeſſi plenior unda fluat.
Ergò, dilectos inter memorande ſodales,
Fac fuga ſit Patriæ non oneroſa tuæ.
Et ſi fata velint humanos viſere Gallos,
Et Mores Hominum perdidiciſſe juvat:
Non uno Patriæ Te ſubtrahe longius anno,
Et reditus tardi ſis quoque cauſa, cave.

Nobiliſſimo Doctiſſimoque Iuveni,

ORICHIO à DOYEMA,

D*Oyema*, qui Proavûm Titulos juvenilibus annis,
Et rerum antevenis cognitione ſenes:
Accipe Borboniis Tibi nunc quæ ſcribimus oris
Carmina, Friſiaco nata ſed axe procul.
Vſûs amicitiæ, vitæ & concordia juncta
Neuhuſium immemorem non ſinit eſſe tui.
Iſta Tibi celebres ultra tranſmiſſa Turones
Littera Xantonio littore ſcripta venit.
Nuper ubi Regum contra Rupella furores
Suſtulit invictum celſa ſub aſtra caput.
At nunc convulſam miratur mœnibus Vrbem,
Et faciem Trojæ ſub juga miſſa refert.

Si

Si quid agam, primos inter memorande, Sodales,
Tam procul à Batavo ſidere, fortè roges:
Illa Tibi paucis narrabit Epiſtola verbis,
Vnica fortunæ duxque comeſque meæ.
Iam pleno dulces, nec adhuc ſatiata voluptas,
Magne Liger fontes hauſimus ore tuos.
Et tibi dicemus memori pro munere grates
Sequana, fœcundi nobile flumen agri.
Nec penitus noſtris fueris indicta Camœnis
Neuſtria, doctiloquis hoſpita terra Viris.
Clarus ubi irrorat Cadomœas Olena Muſas,
Axonaque irriguis imbribus arva rigat.
Hic nunc Albionum, Gallorum à littore fines
Cernimus, & montes, magne Britanne, tuos.
Inque Caledonias brevis hinc trajectus in oras,
Nomine jam Populis Scotia dicta ſuis.
Mox ubi Burdigalæ fœcundaque rura Toloſæ,
Et ſuperâro tuos, clare Garumna, lacus;
Ad Ligeris, ſi fata ſinant, loca grata redibo,
Quo non in toto gratior orbe locus.
Et, mihi fas fuerit, poſt viſæ Bleſidos arva,
Illinc Aurelias tendere fert animus.
Denique Naſſovias iterùm delatus ad oras
Pegaſeo repetam Friſidos arva pede.
Dî faciant iſto Patrii ſub ſole Penates,
Neuhuſiique diu fama ſuperſtes ovet.
Et Tibi, cui primos do primas inter Amicos,
Doyema, Pierides gaudia grata ferant.

Gratulatio Nuptialis,

Ad Florentiſſimos Conjuges,

AVSONIVM à SOLKAMA, I. V. D.

Et RINSKIAM FABER.

Cl. D. TIMÆI FABRI, I. C. Filiam.

ITE procul triſtes ad ſaxa Ceraunia curæ,
Sauromatas ultra Bactraque vade labor.

Pallada

Pallada Caucaſiâ conſtringat rupe Prometheus,
  Aoniaſque ligent vincula dura fores.
Nunc Legum & Themidos proſcribit ſacra Dione;
  Nunc novus Idaliâ poſcitur arte labor.
Dulcia jam tacitam pertentant gaudia mentem,
  Et, tenuit Pallas quem modò, Cypris habet.
Solckama Pieridum ſævo de carcere liber
  Totus Virgineo percitus igne calet.
Pylea cum Titulis Veneris præ Numine ſordent,
  Et tota aligero mens in Amore ſtupet.
Quas olim Muſæ, tenet illas Virgo medullas,
  Inter Fœmineos Virgo beata choros.
Et ſolum ingenuos nunc *Rinskia* provocat ignes,
  Inflammans tanti corda jecurque Viri.
Nullaque cum docto jam ſunt commercia Phœbo,
  Pieridum & priſcis gloria nulla ſacris.
Solus Amor tacitis oppugnat pectora flammis,
  Et mœſto Aonides nunc Helicone ſilent.
O benè! poſt lauros & dedita tempora Muſis,
  Cui Venus ad votum ſic Ericyna venit.
Blandaque Siſyphios diſſolvit Nympha labores,
  Sollicitique levat triſte laboris onus.
Tu nunc, poſt multâ exactas fuligine noctes,
  Et tot Brumali frigora paſſa gelu:
Poſt Canis æſtivi rabiem Cancrique furores,
  Et mala, ſuccenſis nubibus, aſtra poli:
Dulciter in Thalamo cum Sponſâ Sponſe jacebis,
  Et capies læti gaudia mille tori.
Quoſque olim in ſcopulos te ſors impegit iniqua;
  Quas labor in Scyllas & vada cœca tulit,
Rinskia Lethæis poterit damnare tenebris,
  Vna ſalus rebus *Rinskia* blanda tuis.
Quin age, Tu niveis nunc Illam ſtringe lacertis,
  Quæ Tibi curarum *Solckma* levamen erit.
Et, precor, in tacito regnet Concordia lecto,
  Floreat ut multâ prole beata Domus,

Doctiſſ.

Doctiſſ. & Præſtantiſſimo,

EPEO GLINSTRA, I. V. D.

Nunc ſup. Friſ. Curiæ Graphiario.

QVem toties Virtute ſuâ multiſque probatum
In Patriam meritis Muſa ſub aſtra tulit:
Nunc Liger Aoniâ redimitum fronde coronat,
Sequanaque in laudes obſtupet ipſe ſuas.
Regia Majeſtas nunc iſtâ dote ſuperbit,
Franica nec tanto laurus honore viret.
In Batavis omnes plorant ſua fata Camœnæ,
Ereptumque dolet nobile Leida decus.
Friſia nunc damnat ſterilis jejunia terræ,
Et lugent omnes toto Helicone Deæ.
A primis tenerum vitæ quæ nutriit annis,
Imbuit & doctâ Palladis arte rudem,
Arguit ingratum, lucemque exoſa priorem
Poſtulat officii jura fidemque ſui.
Tu tamen Ingenio Virtutumque indole major
Glinſtera, Borbonios tendis adúſque Deos.
Nec benè tantillo cœli ſe ſpiritus aſtro
Claudit, & anguſto ſtat tuus orbe labor.
Nec ſatis eſt ſapuiſſe domi, gentemque per unam
Ingenii & laudum ferre trophæa ſui.
Libera mens alibi poſitum miratur honeſtum,
Occiduoſque polos exiliumque petit.
Quid juvet ad proprias ſemper putreſcere terras,
Et nunquam externo ſub Iove ſole frui?
Non Ithacum patrii durum tenuere Penates:
Et geminum Atridam protulit aura foràs.
Deſpiciens natale ſolum Terynthius heros,
Sic quondam extremis Gadibus hoſpes erat.
Et Romana procul Latiis de finibus olim
Cecropidum doctas miſſa juventa Scholas.
Ignotas Batavûm quærit ſolertia terras,
Et Rheni Heſperiis accola potat aquis.
Felices! quos tangit amor Virtutis honeſtæ,
Et procul à Patriis ſedibus aura vocat.

Hoc Tibi perpetuas, ſi deſint munera vivis,
Poſteritas grates nomine, *Glinſtra*, feret.

Nobiliſſimo Iuveni,

GALONI ab HANNIA,

Artem cum Marte commutanti.

NVper Apollinei miles tentoria Martis,
Aoniæ & placuit Principis arma ſequi.
Dulcia Palladiæ redolent ubi fercula menſæ,
Et tacita ſomnos Muſa quiete dabat.
Tantane terribilis nunc tempora caſſis inumbrat,
Laurigeris toties tempora vincta comis.
Carmine pro dulci, pro blando murmure linguæ
Attonitus rauco nunc ſonat ære fragor?
Qui calamos inflare leves, & arundine doctus
Threïcium poteras fingere voce melos:
Nunc ſtreperos inter lituos galeaſque tubaſque
Timpanaque intrepidus prælia miles agis?
Scilicet Auriaco ſub Principe ſtringere ferrum,
Naſſovioque juvat ſub Duce caſtra ſequi.
Non omnes fors una probat; ſua quemque voluptas
Ad decus & laudum præmia ſumma rapit.
Hic lites verſare foro, Pacique gerendæ
Doctior; hic Bellis aptior atque ſago.
Ne dubita: remanent etiam Mavortia Lauri
Pectora, nec Virtus Bellica Vate caret.
Belgica ni durum ſociaſſet Pallade Martem,
Principibus tantis Belgica nulla foret.
Macte animo Iuvenis! Friſiæ ſpes inclyta noſtræ:
Quem ſolida Virtus Nobilitate beat.
Cum ſubeunt animos funeſti incendia Belli,
Hannia, Te adſciſcet Curia noſtra ſibi.

Nobiliſſimo Iuveni

AGGÆO à LYCKLAMA.

PRiſcâ Nobilium qui Genus inclytum
Per Faſtos memores, ducis origine:

Qui

Qui clarum antevenis *Lycklama* moribus
Majorum ſeriem, Stemmaque laudibus
Virtutemque novis tollis honoribus,
Ne Vatis teneri deſpice munera;
Quem tecum à Puero juncta ſodalitas,
Et tota mixta jocis feria ludicris
Audacem faciunt, ad ſua carmina
Compellare tuæ Numina gratiæ.
Tu nunc Pieridum plenus amoribus
Ad Faunos virides & Dryadum choros
Vitam Palladio ducis in otio.
Te non ſollicitat degener ambitus,
Nec vulgi indocilis tetrica factio,
Nec venalis honos & precibus favor
Emptus, nec tituli te furor occupat,
Immenſæque trahit ſpes opulentiæ.
Ingentes alii dum cumulant opes,
Per fas atque nefas publica devorant;
Tu, cenſu Patrio qui ſatis emines.
Sortem conſpicuam non magis appetis.
Dum diſcincta trahit turpiter otia,
Et Bacchi celebrat Feſta Nepotulus;
Tu Phœbi invigilas acriter Artibus.
Quid tot ſacra Themis legibus imperet,
Quid Romana negent jura clientibus:
Quot pugnas Macedo, quot ferus Hannibal,
Et fortis Scipio prælia geſſerint:
Tu tranquilla locans otia Palladi
Veſtigas ſolidæ mentis acumine.
  Felix ! ſorte tuâ, dulcis Amicule,
Inſtar lethiferæ qui fugis Aſpidis,
Et fecem populi, vulgus & inſcium.
His tecum liceat ſi mihi ſoſpiti
Fatis, ſollicito murmure civium
Exemptoque Fori vivere turbine,
Sât me ſorte meâ prædico divitem.

Doctiſſimo Iuveni,

TIBERIO THOMÆ,

I. V. D. *renunciato.*

SAt tua ſedulitas Patriis celebrata Lyceis,
Ingenii & virtus clara probata domi.
Franica Palladiis ſedes auguſta Camœnis,
In decus obſtupuit ſæpe retenta tuum.
Ipſaque torpentem Themis indignata Iuventam
Signavit Faſtis nomina tanta ſuis.
A teneris vitam Probitas commendat Amorque,
Iunctaque compoſitis Moribus æqua Fides.
Pugnabas ſceleri & vitio contrarius armis,
In mala tot Mundi crimina bella gerens.
Quæque aliis liquido placuit præ melle voluptas,
Hæc tibi diſplicuit tetrica felle magis.
Multa mihi tecum ſociæ Concordia vitæ;
Multa tibi mecum fœdera pacis erant.
Non aliter Pylades charum dilexit Oreſtem,
Theſea Perithous non ſecus arſit amans.
Tu nunc Borboniis, toto diviſe Batavûm
Orbe, peregrinus ſedibus hoſpes ades?
Tu Patriam, & dulces alio ſub ſole penates,
Vnius Aſtrææ captus amore, fugis?
Sic Tibi nunc ſordet, *Tiberi*, Patria Laurus,
Et minor eſt ſtudiis Belgica tota tuis?
Nec ſatis Aoniam decorant redimicula frontem,
Quæ dat Hyperboreo Friſica Muſa ſolo?
Scilicet Ingenii Virtus petit altius orbem,
Nec ſinit anguſtâ ſe regione premi.
Eſt aliquid Druidum veteres adiiſſe Penates,
Et tanto externæ gentis honore frui.
Non uno ſe ſole Deus terraque recludit;
Non capit immenſum terra puſilla Iovem.
Si Genus armigera jactet cum Pallade Rhenus,
Attalicaſque potens Amſtela fundat opes:
Gallia tot Regum Virtute opibuſque ſuperba,
Et Decus & Laudem non moritura refert.

Felix:

Felix ! cui tecum non emptas ære nec auro
Indulſit Lauros terra beata ſuas.

Clariſſ. Doctiſſimoque Iuveni,

THEODORO SAECKMA,

Avarici-Biturigum,

Summum in V. I. gradum conſequenti,

Nunc ſup. Friſ. Curiæ Senatori.

MAgne Liger, Batavæ præclarum gentis Aſylum,
Muſarumque potens Nobilitate locus.
Quâ ſe cœlicolûm jactat Themis inclyta Sceptris,
Aſtræa & Leges edocet alma ſuas.
Tu nunc Pieriâ fulges magis arte decorus,
Et titulo multùm nobiliore nites:
Hîc ſibi dum titulos & doctæ Pilia frontis
Friſiacæ ſumit *Saeckema* Gentis honos.
Quam petiit celebris vel centum Franica votis,
Hæc tibi nunc Ligeris gloria ſola datur.
Cui Groninga ſuos toties devovit honores,
Claraque in officium Leida parata fuit;
Huic potior Druidum fama eſt; Maneſque Donelli,
Cujaciumque alibi viſere cura fuit.
Scilicet eſt aliquid proprios ſpreviſſe Penates,
Et decus ingenii grande tuliſſe foràs.
Gallia, Cecropiæ Mater fœcunda Minervæ,
Poſt Muſas rectè vivere poſſe docet,
Quàm tua perpetuis hederis præconia ſerpunt,
Majeſtas Druidum cui benè viſa fuit!
Qui tot diſperſis cœlo Virtutibus uſus
In Patriam multâ Palladis arte redis.
Tu nunc alme Liger ſpoliis inſignis opimis,
Innectes tantis Laurea ſerta comis?
Et tibi ſubſternent noſtri ſe fulcra Lycei,
Borbonii externo Muſa ſub axe ſoli?
Nunc iterum illuſtri gaudebis nomine ſtirpis,
Alter & ad Themidos pulpita Frater adeſt?

Cui toties meritas tribuit ſua Patria laudes,
Doctorumque tulit Suada ſub aſtra Virûm.
Nomina manſuris exſtant deſcripta tabellis,
Ingeniique decus poſthuma fama canet.
Credite Borboniæ clariſſima lumina pubis,
Omnis in hoc Genii pectore Muſa latet.
Iam pleno Latii manant de fonte lepôres,
Nunc reſonat modulos Graja Thalia ſuos.
Sive Palæſtinas labor eſt evolvere chartas,
Nativæ Interpres jam tibi vocis adeſt.
Quicquid Arabs Siruſque docent, Solymæq; vetuſtæ,
Hoc tibi perſpicuis exprimet ille notis.
Cætera quis neſcit laudum monumenta decuſque,
Plenaque Caſtalio pectus & ora lacu?
Adde, quod à teneris Aſtræa huic tradita vitæ
Vnguibus, & Puero cognita penè Themis.
Informare rudem Patri fuit unica cura,
Et Natum Aonio fonte rigare ſuum.
Tu nunc Diva Themis tanto ſuperaddis honori
Pylia, & Aoniâ tempora fronde tegis.
Tu, quòd ſæpè fuit Batavis Friſiſque negatum,
Inclyta terrarum Gallia ſponte facis.
Plaudite Laurigeri rerum molimine Vates,
Lætaque Pieriis intonet Aula modis.
Hos inter plauſus, ſi fas eſt nubila ſtellis
Spargere, Neuhuſii vota Thalia facit.
Ominor: Æternæ remanent te gaudia famæ,
Saeckems, pars animæ dimidiata meæ.
Purpura Majorum, nitidæque inſignia vitæ
Auſpiciis creſcent nobilitata tuis.
Quâ Virtute ſuos Genitor metitur Honores,
Hac Virtute tuus ſe quoque tollet Honos.
Dî facite, ut longùm *Saeckmana* gloria ſtirpis
Floreat in Patrii commoda multa ſoli.
Et Tibi ſacrarum, à teneris dilecte Sodalis,
Se benè Pieridum nobile credat onus.

Ad

Ad florentiſſimos Conjuges,

D. IOANNEM PICARD,
V. D. M. ac Med. Doct. &
ROKHUSAM BREDERODIAM,
Cognatos amiciſſimos.

SPonſus nomine diſſono
  PICCARTUS piceam denotat indolem,
Et nigredine fuſcidâ
  Ætnæi Steropis ter ſaturam comam:
Quo pol! pectore candido,
  Sinceraque Fide nemo nitet magis.
Et fuligine fumeâ
  Falsò Sponſa notat Noctivagam Domum,
Quâ pol! pectore, moribus
  Cultu, munditie nemo nitet magis.
Morum candida puritas,
  Virtus labe carens, integritas, Fides,
Dextro Numine ſub jugo
  Uno Conjugii conſociant opes.
Dulces plaudite Gratiæ:
  Hoc Cognate tuus gaudet Amiculus.

D. NATHANAELI FULLENIO,
Cum Medicinæ Doctor renunciaretur.

PRæſtans *Fulleni*, blando Te Iuppiter aſtro,
  Et Divûm adſpexit pronus ab axe favor.
Dum Myrtus Phœbea comas hederæque ſequaces
  Æternæ redimunt frondis honore caput.
Dum tibi ſe veteris credit Sapientia Coï,
  Et famam Hyppocrates, datque Galenus opes.
Quodque magis vulgo Medicas diſcriminet artes,
  Natura arbitriis nunc vacat ipſa tuis.
Cedite peſtiferi, lethalia vulnera, morbi;
  Cedite; Apollineæ nunc redit artis honos.
Pilia fatidicus Vates jam donat Alumno,
  Qui fera Tartariis inferat arma rogis.

Væ tibi, fatalis corrodens viſcera Febris,
Totque homini miſero noxia Lepra malis,
Væ tibi, cum dirâ Rabie nodoſa Podagra,
Et crucians animos Calcule mille modis.
Væ tibi; cum triſti capitis Vertigine, Cancro,
Et gravis exedens corda jecurque Dolor.
Mortis adeſt Domitor: rigidæ ſecedite Parcæ;
Quilibet hoc Medico ſentiet æger opem.

ERNESTO RASSIO,
Sponſo.

QVàm tua præteritis diſtat Fortuna periclis,
Et Styge fatali naufraga puppis abeſt!
Quàm pede cũ gelidas nos ambo iremus ad Alpes;
Aut quateret dubiam ſæva procella ratem.
Nunc aliud tibi pandit iter, ſine felle, Cupido,
Et Venus in tuto dat magis ire loco.
Maſcula quam quondam monſtravit Porcia Bruto,
Hanc tibi jam monſtrat *Saeckia* blanda viam.
Quà Notus adverſam non jactat in æquore puppim,
Nec tibi Nereïdes cauſa timoris erunt.
Quà maris irati furiis impactus & undis,
Ad Scyllam allides ſaxaque nulla pedem.
Iam tacitos pulchrâ duces cum Conjuge ſomnos,
Quò via difficilis nec grave ducit iter.
Navigat in tuto *Raſſi* tuus æquore Typhis,
Nec fragilem fallax verberat unda ratem.
Iam procul à Gallis, Patriam delatus in urbem,
Sub lare tranquillo gaudia lætus agis.
Illic ſtridebant immani murmure Venti;
Hîc crepitant blandis baſia mixta jocis.
Illic horrendi ſinuabant æquora fluctus;
Hîc geminant lætos ora genæque ſonos.
Illic Scylla vorax ſcopulis terrebat acutis;
Hîc patet in molles area longa roſas.
Quot formidatis infeſtat Nereüs undis;
Monſtra proceſloſus quot fera Pontus habet:

Tot quoque deliciæ puros comitantur Amores,
Gaudia nec finem tanta modumque tenent.
Credite, non lautæ ſapiunt ſic fercula menſæ,
Nec Siculæ quondam ſic placuêre Dapes:
Quàm vitæ, & dulcis recreant commercia Lecti;
Quàm benè conveniant Fœmina Virque toro.
Hæc etiam Nobis multi ſuadêre laborant;
Sed dubito, an Fas ſit Vatibus illa ſequi.
Hoc juvat, ut, *Raſſi*, tua nunc connubia verſu
Proſequar, & Sponſæ, Fauſta Tibique precer.

Doctiſſimo Præſtantiſſimoque Viro,

IOHANNI NICOLAI,

NE Tibi vernantis melior pars occidat ævi,
Torpeat & multo ver juvenile ſitu;
Nec ſit Fama levis poſt funera ſera ſuperſtes,
Et tantum Ingenii clauſerit urna Decus:
Arripis Heroum divina in carmina plectrum,
Quo ſe poſteritas obligat ipſa Tibi.
Et claram ingrederis laudum non ſegnis arenam,
Factaque cum priſcis Vatibus æqua facis.
Nec ſatis eſt totum mutandis mercibus ævum
Ducere, Mercurio votaque ferre ſuo.
Hic modò de vacuis partem ſibi vendicat horis;
Cætera ſed vitæ tempora Pallas habet.
Credite Friſiades, remanent nova gaudia Muſas,
Auſpiciiſque bonis docta Poëſis ovat.

IACOBO à IELTEMA,

Gallias adeunti.

Nunc I. V. D. & Advoc.

NOn Patriæ Muſæ, Phœbique domeſticus ardor
Sufficit ad laudes *Ieltema* docte tuas
Terrarum Mundique polos pelaguſque pererrans
Exeris Ingenuâ latiùs arte caput.
Non venit in mentem Friſiis quæ præſidet arvis,
Franagriæque beat pulpita Diva Scholæ.

Aureliæ dulces, cæleſtia Numina, Nymphæ,
Burdigalæque magis Palladis arva juvant,
Aut tibi promittunt hederas & præmia Muſæ,
Sequana quas riguis doctus inundat aquis.
Patria poſtponis Druidum præconia Lauro,
Auriacoque magis Rex Ludovice places.
Nunc Rheno Vahalique ferox Mars abſtulit Artes,
Et celebris vili ſub pede Leida jacet?
An mentis divina tuæ *Iacobe* poteſtas
Incluſa anguſtis finibus eſſe nequit?
Gratulor Ingenium dignamq; Cupidine flammam,
Quâ ſacer in calido pectore flagrat amor.
Serviles animas, & inertia pondera terræ,
Extera non uſquam provocat aura foràs.
Sola rudes paſcit parvis contenta Voluptas,
Et pretium cenſus grande paternus habet.
Tu, Iuvenis, meliore poli prognate metallo,
Non uno deſes ſiſtis in orbe gradum.
Quà patet ad rigidas ſpatioſus terminus Alpes,
Objicit & montes Itala terra ſuos:
His tua ſe Virtus campis exercet, & ardor
Ingenii ad ſummas fervidus urget opes.
Scilicet à pulchro primævæ flore Iuventæ
Depluet in Patrios copia larga ſinus.

REGNERO RAVENS,
Gallias adeunti,
poſtea I. V. D. & Adv.

Borbonias ſedes, Batavis loca commoda Muſis,
Miratus Druidum nobile nomen, adis.
Tantus amor ſtudiis, Doctrinæ tanta cupido,
Nec tuus anguſtâ ſtat regione labor.
Præbuit à teneris, primâque ab origine vitæ
Aonios latices Patria Muſa tibi.
Et, memini, quantâ nuper te laude decorum
Publica Palladii Martis arena tulit.
Nunc verò ingentes alacri ſub pectore curas,
Ardentemque facit Gallica Muſa ſitim:

Quam

Quam Liger & rapidi fontes ſedare Garumnæ,
Et celer immenſo Sequana fonte poteſt.
Spargite rorantes Parnaſſia Numina lymphas.
Et ſacro ambroſium flumine nectar eat.
Sic *Regnere* tuos peregrè ſatiabit amores,
Quos ſatis haud potuit paſcere Muſa domi.

Solatium Funebre,

Ad Ampliſſimum, Conſultiſſimumque Virum,

D. IOANNEM de VENO. I. V. D.

Scholarcham Leoverdienſem.

Cum de trium Liberorum Morte doleret.

SIc tuæ, Vir prudens, Fulcrum Senectæ,
Et dulce Solatium vitæ jugalis,
Tori Delicias, Florem Liberorum,
Eheu! Mors dura occupat. Sic Spes Penatum
Et laris nominiſque decus paterni
Letho peremptum. Sic ſanguinis propago,
Nitorque Familiæ ſplendens vetuſtæ
Occidit. Solus, heu! Conjuge cum ſolâ,
Vnicâ tantùm Natâ Fatis relictâ,
Ceu Turtur inanes murmurans ad umbras;
Dividis luctus inter diem nocteſque.
Quò flectis oculos, ſolitudo terret;
Quò vertis aures, frequens ſonat ſingultus;
Quò pedem ponis, mœſtas offendis urnas.
Cuncta luctus perſonat, nec locus ullus
Dolore vacat. Mors crudelis Fatumque
Regnat inviſum. Totâ ſilet cum Muſis
Thalia Domo. Pro dulcium Sororum
Murmure blando, pro carmine venuſto
Plectroque *Laurentii* politiore,
Et planctus gemituſque ſonant ferales.
Eheu! plus juſto exedit dolor medullas,
Meritòque irroras lacrymis cubile,
Et Buſta minacibus ſcindis Iambis.

Nunc vitæ dulcia Pignora ſepulchrum
Vermeſque rodunt, putidumque cadaver
Nunc olet hircum. Sic Hominis imago
Corporiſque repentè nitor ſordeſcit.
Hæc Vitæ noſtræ facies; hæc tabella
Sortis humanæ. Lex illa manet omnes,
Idemque cunctis terminus moriendi:
Quem nemo arbitriis latius protendet,
Nec vertet retrò. Sicut brevi momento
Præterit umbra, Ceu Flos cadit ad ictus
Turbineque levis rapitur procellæ:
Sic nos caducam miſelli Homunciones
Ducimus vitam. In lucro eſt dies ſupremus
Quicunque datur. Nihil certum ratumque
Sub ſole nobis. Cuncta rapit vetuſtas,
Omneſque ludibrium ſumus Fatorum.
Ergò ferendum Conſtantiâ virili
Et mente piâ, quicquid Fatum crudele
Aut trux imperet Neceſſitas viventi.
Quò nos anhelamus precibus votiſque
Tendere curſum, carne noſtrâ ſoluti:
Huc tua proles ter & quater beata
Ivit ovans, Duce præeunte *Chriſto.*
Felix! æternæ qui gaudia ſalutis
Poſſidet Victor, & corporis caduci
Piſtrino liber, choros inter cœleſtes
Lætus triumphat, nec amplius ſuperſtes
Mundi profano ſedet in Theatro.

Ad Doctiſſimum Iuvenem

TARQVINIVM POPTA,
GRATULATIO DOCTORALIS.

ALtera nunc Batavas remanet Victoria Muſas,
Et coram Magno Principe Pallas ovat.
Nec ſatis, AURIACUM niveis vectare quadrigis,
Et circum ſacras nectere ſerta comas.
A Faſtis plus creſcit Honos, quàm Gorgone ſævâ;
Et laus, ingenii quam fovet aura, manet.

Breda

Breda docet, quantis ſuperentur Pergama telis,
Quàm forti veniant parta trophæa manu:
Quot Fatis ſuccumbat Iber, nutentque Philippi
Imperia, & vaſto vulnere Papa ruat.
Leida docet, quibus auxiliis, quo jure vel arte,
Contra Barbariem providus arma geras:
Et, mala limitibus Legum Tabuliſque coërcens,
Cui tribuas æqua lance fideque Suum.
Sic geminos peperit Laurus victura Triumphos:
Marte foras hoſtem vicimus; Arte domi.
Omnia ab AURIACO fluxêre hæc Numine Belgis,
Qui Patriæ & Phœbo fulcra Laremque dedit.
Felix POPTA nimis! Quem nunc NASSOÏA tantis
Condecorat Titulis Muſa, Togæque bonis.
Qui, medios inter plauſus Belgique triumphos,
Libera CUNÆO Pilea Teſte capis.
Et mox Harlingæ Lumen Columenque futurus,
Si ſua Virtuti præmia ſervet honos.

Ad Doctiſſimum Virum,

IOANNEM FABRUM,

Sch. Harl. Con-Rect.

Quàm fragilis, Collega, rotet mortalia caſus,
Quàm penitus vili pulvere res ſit Homo:
Hæc nos Buſta docent.. viridi ſic occidit ævo
Vivere cui longùm fata dediſſe velim.
Prô dolor! ille animi præſtans *Croneburgius* Heros
Funere ſupremum concidit ante diem.
Ante diem mors atra truces exaſperat iras
Cuſpide lethali robora verna ſecans.
Quid ſumus ah! miſeri, mendax niſi fabula mundo,
Bullaque cum fumo quem rapit aura levis.
Quo ruitis? quæ vana tenet veſania cives,
Inque animis rabies tam maleſana furit?
En lateri ſtat dira comes, metuenda flagello,
Et ſequitur prono trux Libitina gradu.

Dum quis ad inſanos demens graſſatur honores,
Ac nimiùm cenſus flagrat amore ſui,
Parca ſepulchrales falcem protendit in ictus,
Et ſubito lapſu quæ valuere, ruunt.
Nos melior, Collega, animus, fortiſque futuræ
Conſcia divinâ mens ratione regit.
Cætera ſecretis Fatis committimus ambo:
Quæ longùm Muſas utilitate probent.
Et ne qua nobis ſubeant oblivia Lethes,
Sincerâ lacrymas dedico mente Tibi.

In Obitum

VIBRANDI VALRICHEMI, Collegæ.

Sic mihi dilectum mors effera calcat amicum?
Et lux ſe noſtræ ſuſtulit alma Scholæ?
Heu! nimis immites & atroci funere Parcas;
Parcitis haud tantâ quæ probitate viro.
Cujus ab eloquio tot pubes traxit in annos
Et morum & fidei robora prima ſuæ.
Qui florem ingenii, vegetæ & primordia vitæ
Aonioque dedit ver juvenile gregi.
Qui non, ut ſcopulos, teneras offenſus ad aures
Exoſus ferulæ triſte miniſterium.
Sedulus officium tantâ cum laude peregit,
Illum ut poſteritas grata memorque canat.
Certè aliquid tacitâ ſecretum mente latebat,
Quod meruit Spartâ nobiliore coli.
Nos tibi ſinceri, Vir præſtans, pignus amoris
Scribimus, Aoniâ ſed gravitate carens.
Pro levibus numeris ſolitoque in carmina plectro
Fatali canimus triſtius ore melos.

Ad DISCIPULOS Kal. Ian.

Salvete florentis corcula Iuventæ,
Dulceſque Deliciæ fidi Magiſtri!
Salve *Virtuti* & *Deo* pubes dicata,
Seges Palladii nobilis agelli,

Sera Parentum Gloria, Flos *Harlingæ*,
Lux ruinoſæ Scholæ fugans tenebras;
Et jucunda Spes meæ Inſtitutionis.
Salvete novi feſtis Iani Kalendis,
Et Deo mecum lætas cantate laudes,
Vnicumque noſtræ vindicem Salutis,
Bonique fontem, linguæ celebrate plectro.
Huic mane carmen; Illi veſperâ ſerâ
Dicite grates. Hunc fidibus canoris,
Barbitoque dulci, & cytharâ decente
Laudate cuncti. Nomen ejus atque Numen,
Et Bonitatem narrate ſempiternam
Seris ſæculorum ſæculis nepotes.
Eja gaudete Fatis, Muſæ, ſecundis;
Et, fœdæ Ignorantiæ nube repulſâ
Sacrum carminibus celebrate Feſtum.
Iam fauſto rediit omine Muſarum
Salus amiſſa. Iam Cyrrha Permeſſuſque
Et ſacri ſcaturiunt fontes Parnaſſi.
Iam non Pierias alio ſub axe,
Prô pudor! neceſſe eſt quærere Camænas.
Diſpulit atras clarum jubar tenebras,
Nec pruinoſis vitam Muſa ſepulchris
Damnata trahit. Nunc cœco caput Orco
Extulit Pallas, & mortuis revixit
In Lucem redux. Nunc florida Iuventa
Pigram damnat quietem otiumque turpe.
Sic Vos Divinæ Plantaria Sionis,
Et meæ ter dulce Decus diſciplinæ,
Beat mille bonis Bonitas Fatorum.
Ergò laudate Deum, rerum Parentem;
Laudate Deum; & Numinis æquitatem
Lætis efferte cantibus. Huc laborem,
Huc ſudorem conferte omnem: Veſtros ille
Conatus omnes & facta proſperabit.

Studia

Studia Iuriſp. inchoaturus.

ALme Deus, Pietas fac noſtras condiat artes,
Sanctificem ut nomen tempus in omne tuum.
Quod Pietate caret, careat ſucceſſibus opto:
Succeſſus Pietas adjuvet alma meos.
Tunc me jura Fori pulchrum didiciſſe fatebor,
Si mihi ſit princeps vivere cura Deo.

aliud.

Chriſte potens rerum, dux & lux unica vitæ,
Dirige jam Vatis per freta vaſta ratem,
Nec tantum, quos vulgus amat, ſapiamus amores;
Cum Venere & nobis rideat alma Themis.
Sic Themidem & Cypriam ſtudio tractemus utrãq;
Gloria ſit laudi maxima, Chriſte, tuæ.

aliud.

Nunc opus ingredior vaſtum timeoque procellas:
Duc me, Chriſte, tuâ per freta vaſta manu.
Ne mens allidat ſcopulis erroribus acta;
Ingenium Themidos nec grave mergat onus.
Eſt tua, quam ſpero, quam ſpecto gloria, Chriſte:
Solùm divini Numinis urget honos.
Te dulci Zephyro noſtros comitante labores,
Alme Deus, medio gurgite tutus ero.
Te duce nil metuo, nil ſaxa Ceraunia curo:
Te duce propitius Iuſtinianus erit.

aliud.

Hac poſſet me luce Deus donare Batavis;
Et facere, ut Muſâ ſplendidiore fruar.
Augurium fac, Chriſte, pium. Levis increpet aura,
Quæ Mecænates per freta læta vehat.
Et nos littoribus pelagi ſcopuliſque ſoluti,
Plus noſtrâ ad magnum Numen agamus ope.
Tunc tibi ſolennes dicemus carmine grates,
Et mens officiis tota parata ſacris.

Precatio

Precatio quotidiana.

ADſis ô, noſtrumque leva, Deus alme, laborem,
Adſpice me vultu placido, facilisque precanti
Auxilio ſis præſto tuo, degatur id ævi
Quodcunque eſt, ſine labe mihi, ſine turpibus actis,
Quantum homini præſtare datum eſt: quibus undique cingar
Hoſtibus, ipſe vides; heu! quàm furialibus auſis
Arma movet phlegeton, quantâ conatur opum vi,
Vt me præcipiti rapiat ſub Tartara fato.
Hinc mundus ſtruit inſidias & honoribus amplis
Divitiiſque ſtudet me à Recti avertere calle.
Iſtinc laſcivo maleſuada Caruncula morſu
Impetit, & miſerum fœdis involvere certat
Deliciis, turpique animum pervertere luxu.
Tu me, Magne Deus, divino robore firma,
Vt poſſim oppoſitis hoſtem ſubvertere caſtris.
Tu ſancto afflatu ſemper mihi pectus obumbra
Impulſum blando motu: ne Dæmon obeſſe
Poſſit, & inſpiret tacitus perverſa malorum.
Semina nequitiaſque ſerat, mentemque ſubintrans
Quos cupiat, vetitos deſcendere cogat in actus.

Poëſeos ſtudia.

QVid mihi vobiſcum eſt infelix turba Sororum,
Numina Cultori pernicioſa ſuo?
Quæ mihi florentes tacito ſubducitis annos,
Et pro dote datis nil niſi Nomen iners.
Quam nihil Invidiam præter famamque famemque
Concilias ſtudiis noxoia Muſa meis.
Ars tua Phœbe jacet, ſi non ſint præmia laudi,
Mæonidem gratis pœnitet eſſe probum.
Ite leves Muſæ; poſthac Romana colemus.
Iura: favens adſis, Iuſtiniane, precor.

Ad Amicos,

Ob quotidiani conventus intermiſſionem offenſos.

QVid toties nobis objectas crimina falsò
Et teneri Vatis carpis, Amice, Fidem?
Nec ceſſas unquam, tanquam ſi ingratus haberer,
Perpetuâ officii de levitate queri?
Crede, nec à noſtris abſit fiducia verbis:
Quælibet alloquiis non vacat hora meis.
Difficili ſemper curarum compede ſtringor,
Nec mihi ſervitii demere vincla licet.
Muſarum doctas moderor jam Rector habenas,
Imperio Pallas ſtatque caditque meo.
Solaque nunc iſtud, quod quondam habuiſtis Amici,
Turba ſuis ſtudiis dedita tempus habet.
Sic ego mancipium ſum factus nobile Muſis,
Pieridum ſtudiis nocte dieque vacans.
Nec ſum, ceù quondam, campis immiſſus apertis:
Amplius arbitrii juris & ipſe mei.
Quin ſinite, exoret veniam ſine crimine Vates,
Cui ſinit Aonidum non labor ire foràs.
Et ne qua nobis veniant oblivia veſtri,
Affectus noſtri publica ſigna probant.
Quæ modò, ſi placeant, Neuhuſius omnibus abſens
Vobiſcum poterit ſic comes eſſe locis.

REINERI NEVHVSII, IC.

POEMATUM

IUVENILIVM

Liber Tertius.

Sive

OTIA ACADEMICA.

Ampliſſimo & Cl. Viro,

D. THEODORO VRYBVRCH,

Med. Doct. & Publ. Aerarii Præf.

Mecænati ſuo.

ACcipe NEUHUSI, *Vir Prudentiſſime, Muſas,*
Nomine ſub veſtro quas vocat aura foràs.
Luſimus hac quondam primo ſub flore Iuventæ
Cum ſuberat flavæ vix nova barba comæ.
Friſiaque ingenium formaret Apolline noſtrum;
Tingeret aut ſacris Gallia docta ſuis.
Non indigna tamen Batavas prodire ſub aures,
Si, Vir Magne, tuus calculus iſta probat.

Clariſſimo Viro,

EDONI NEVHVSIO,

Parenti Chariſſimo.

Kal. Ian. clↄ.Iↄ cxxxrr.

Cadomi Gallorum.

De Providentiâ divinâ, quâ regitur Eccleſia.

Quis neget occultis Fatorum legibus orbem,
Et divûm bonitate regi? Quis cœlica neſcit
Perpetuò humanos moderari Numina caſus?
›n tantas Fortuna vices & pondera rerum
ſtinet. Æterno qui nutu dirigit omne,
llicitant hæc ſola Deum. Non ludicra vulgi,
›n tantum ſors ficta poteſt, quæ neſcia veri
ſcenæ res muta. Iovis ſunt omnia plena.
eſtantur quæcunque ſuum Numenque Deumque.
uo cæli terræque vigent, quo ſemina rebus
dita. qui ſolem fecit ſplendere coruſcum,
t nitidum aurato ſuſpendit fornice cælum.
ui ſtata perpetuo conſervat tempora motu,
)cciduoſque dies, & ſera crepuſcula noctis,
urorâ fugiente, refert. Hic quatuor annum
)ividit in partes. Hyemem Ver proterit, Æſtas
utumno naſcente fugit. Sic circuit orbem
'hæbus, & axactis bis ſenis menſibus, annum
)rditur reparare novum, celereſque reſumit
n curſum vires, rapidoſque perambulat axes.
lle potens ſævo proſternere fulmine turres,
Et tonitru terrere polos; ille aëra totum
Nubibus, & cæcâ involvit caligine phœbum.
lle, ubi ferventes animis conceperit iras,
Fulmineas vomit ore faces, Cauroſque furentes
Advocat,

Advocat, & toto laxatis carcere ventis
Horrendum latè ſpatioſum perſonat orbem.
Non ſecus ac mundi moles ſuſpenſa fatiſcat
Extremum factura chaos, ceù cardine rupto
In caſum inclinent cœli convexa ſupremum.
Adſpice celſa tuis oculis tentoria cœli
Et pictos ſtellarum orbes. Quis Sidera fecit;
Quis Solem Lunamque regit: quis temperat orbem;
Quis Cererem terris & vires evocat herbis?
Hic qui perpetuis mundum moderatur habenis,
Num curam teneat noſtris? Qui cuncta creavit
Auxilio nullius egens; cui machina rerum,
Cui terræ & pelagus parent, fulcroque carentem
Qui vacuo immotam ſuſpendit in æthere terram?
Adſpice ſtagnantes profuſo ſanguine ripas
Et durum Mavortis opus. Quàm fulminat orbis,
Et ferrum lethale crepat; quàm ſæva minantur
Funera ſuſpenſi noſtris cervicibus enſes!
Quàm longos inſana furit Bellona per annos,
Et rabiem vomit ore trucem. Quot corpora letho
Cæſa dedit! Tanto tellus ſtupefacta tumultu
Luget, & humectans fraterno ſanguine vultus,
Et galeam & clypeos cum caſſide devovet orco.
Laxatum Phlegetonta putat, Stygiaſque paludes
Cocytique lacus, & nigrum Tartara fauces
In triſtes aperire neces, totaque phalange
Eumenidum ſociare choros, & ſtrage cruentâ
Ire per humanos nullo diſcrimine cœtus.
Magnanimos rerum Dominos, Tyrioque ſuperbos
Vellere, & Heſperio radiantes murice Reges
Exulis in morem peregrinas quærere terras.
Non opus humanum bellacem exſcindere gentem,
Et flammis vaſtare ſolum, ferroque cruentas
Accumulare neces. Non eſt victoria noſtra,
Arbitriove ſubeſt, alio ſub judice, Mavors;
Spondeat eventum quamvis, lætumque reducat
Succeſſum votis, blandeque applaudat ovanti.
Numinis hæc cura eſt, ſuperûmq; potentia Divûm,

Qui populo immittunt peſtes, lateque peragrant
Clade ſolum: Qui terribiles cum morte ruinas
Accelerant, magnaſque urbes à ſedibus imis
Evertunt, hoſtique aditus ad mœnia præbent.
Ille Deus cœli, tumidos qui in vincula Reges
Conjicit, & populos inviſo carcere frænat
Altius elatos faſtu rebuſque ſecundis.
Ille Deus, qui lethifero cum fulmine nimbis
Vtitur ad pœnas, vitam & cum ſanguine poſcit
Criminibus ſemel accenſas collectus in iras.
Hic quoque devinctæ ſacro ſibi fœdere gentis
Caſtigat culpam, patriis & amoribus ardens
Crimina compenſat pœnis, peccataque punit
Suppliciis, curamque ſuis oſtendit amicam.
Quàm te infauſta manent tali pro crimine Roma
Omina, quæ triplici pulſas diademate nubes,
Et meritis confiſa operum, tibi ſubjicis omne
Imperium terræ: Quæ tanquam debita poſcis
Et propriâ pro dote polum, manibuſque ſuperbis
Limina cœlorum reſeras mortalibus ægris.
Tune potens lapſo peccata remittere mundo,
Et veniam dare flagitiis; tu parcere culpis,
Tu nos irato hæredes tranſcribere Olympo?
Tu ſceptrum Regina geris, rebuſque ſecundis
Turgida, perpetuò regnum ſine fine tenebris
Non luctum viſura unquam? Tu montibus altis
Impoſita, & ſeptem numeras cum faſce Tiaras,
Ac Regum ſubnixa opibus genialia vitæ
Sæcula, & æternâ duces in pace triumphos?
En ſcelerum Vindex juſtâ inflammatus ab irâ
Proſpicit in Latium, neglecto & Numine ſacro
Vlturus peccata venit, faſtumque ſuperbum,
Quo Babylon Tarpeïa tumes, lutumque per orbem
Inſtituis ritus Meretrix laſciva profanos.
Quo jam te jactas Meretrix infamis honore,
Quam curam Pietatis habes? Quo judice certas
Romulidum mitrata cohors? Sic regna tueris,
Et faſces Regina tuos, nullamque ſalutis

laſturam, regnique feres convulſa ruinam?
Quid miſera in ſurdo ſylveſtris ſtipite ligni,
Marmore vel cæſo Chriſtum veneraris & aram
Purpureis inſtratam oſtris, pro Numine vivo
Et rerum Genitore colis? Quid ludicra vulgi
Inventa, & perſonatæ ludibria ſcenæ
Cultibus admiſces Divûm, populumque malignis
Artibus, & falſâ ludis ſub imagine rerum!
O Babylon! tu tot ſcelerum tam turpibus auſis
Irritare Deum, juſtaſque accendere ad iras,
Et tantas audes furias? Hic talia cernens
Impia non æquis compenſet crimina pœnis?
Hic videt arcanis commiſſa piacula tectis
Et tenebris ſecreta ſuis. Hic Tartara nigrum
Scrutatur, latebraſque omnes in lúce tuetur.
Profuga quàm multos Eccleſia langueat annos,
Et ſuperet Bellona ferox, longoque ſuperbus
Teutonicæ Raptor prædæ Mavorte triumphet.
Adſpicit ille oculis, & rerum pondera librans
Adveniet cœlo raptos ulturus honores.
Tandem etiam inviſum fatis Babylonis iniquæ
Exſcindetur opus, totumque à ſedibus imis
Hoſpitium evertet Satanæ, latebraſque Ferarum,
Auſtriacique lupi ſtabulum, Tigreſque feroces
Heſperidum, rapidoſque greges in retia ducet
Angelus, & vetitos damnabit morte furores.
Tunc Solymæ turres & ſacri Templa Sionis
Fulgebunt ſplendore novo. Tunc thura Sabæi,
Tunc Reges Oriente ferent ſua munera Chriſto.
Ipſe David longùm regnis ejectus avitis
Teutonicæ ſceptrum gentis, faſceſque capeſſet
Angelico plaudente choro, vetereſque penates
Antiquoſque lares & lapſæ mœnia Pragæ
Auſpiciis rerum lætiś, atque omine fauſto
Regali repetet Victor ſublimis honore.
Sub pedibus Babylona premet, faſtumque ſuperbi
Cæſaris,& feſtæ naſcentur gaudia Lucis,
Optatique dies. Tiberina per oppida luctus,

Et

Et tetricæ vrdent peſtes, & ſanguine pœnas
Scortorum Regina luet, damnataque fatis
Sentiet æternos ſtygio ſub gurgite morſus.
Te penes eſt ſævi Mavortis, Chriſte, poteſtas
Imperiumque orbis vaſti. Tu proſpera præſens
Bellorum momenta regis, ſecretaque volvis
Fatorum conſulta potens. Tu nubibus ignes
Elicis, & celſas ſternis cum fulmine turres.
Tu Typhin pelago errantem fractumque procellis
Das ſciſſas reparare rates, tabuliſque receptis
Incolumem patrio præſtas conſiſtere portu.
Submergis ventis alibi pugnacibus alnos,
Et claſſem impingis ſcopulis, ſcyllâque profundâ
Nocturniſque vadis oneratas mercibus ornos
Abſorbes ſpumante ſalo. Natat ipſe per undas
Cærulea puppi præceps Palinurus ab altâ.
Ante tuas, Domine Omnipotens, proſternimur a-(ras,
Et ferimus cum thure preces, tua Numina votis
Poſcimus, & facilem, curarum mole ſoluti,
Imploramus opem. Propriis diffidimus omnes
Viribus; in ſolo ſpes inclinata recumbit
Sola Deo, quem pectoribus manibuſque ſupinis
Vnanimes unum ſuſcepta in vota vocamus.
Tu Sponſæ miſerere tuæ, miſerere propinqui
Sanguinis, ac pacti vindex ſemel aſſere leges
Connubii. Tu commiſſum patiêris inultum
Crimen, & injuſtas, violatâ conjuge, pœnas
Tardus eris? Tu non accenſâ fervidus irâ
Penſabis cum morte nefas, ſtringeſque rebelles?
Hæc circum ignotas errabit profuga terras?
Tu Patrio ſemper gremio deprênſus & ulnis,
Fortunatus ages vitam Paradiſidos hortis?
Heu! nimium diſpar ſocio cum Conjuge Conjux;
O ſors æqua minus! Te ne hæc commercia tangũt,
Et vitæ ſocialis amor? Non Sponſa Maritum
Inflectet dilecta ſuum? Quo, Sponſe, recedis,
Sponſa refert; Quo jam noſtræ tibi cura ſalutis,
Quò ceſſit promiſſa fides? Tu reſpicis æquis

Hæc oculis, & vicinâ me in morte relinques ?
Nec Sponſæ te tanget amor? precor, adſpice Sponſã
Sponſe tuam: miſerere, precor, tot damna ferentis;
Fortunæ miſerere meæ, ſuccurre relictæ,
Extremis ſuccurre malis. Te pendet ab uno
Spes mea, præſidium tu ſolus rebus in arctis.
Nunc age me ſacrâ vinctam tibi lege Maritam
Connubio & junctam ſtabili propriamque dicato.
Dulciſonis blandi vinclis complectere amoris.
Et ſi Fata ſinant Tiberinam evertere Porcam,
Vtere judiciis Iudex, & plectito vindex
Auſtriacæ ſcelus omne Domus, ruat omnis ab alto
Troïa Romulidum impuris habitata colonis.
Eveniant hæc Feſta, *Parens*, genialia Sponſæ,
Deſtructâ Babylone, precor, lætumque reducat
Sors auguſta diem, quo priſcam Eccleſia ſedem
Antiquoſque Lares & ſacræ templa Sionis
Poſſideat, charo nunquam caritura Marito.
O utinam ! noſtro Mavors ſic militet orbi,
Et voto ſic Fata fluant, atque omine fauſto
Imperet Auſtriacis victrix Germania terris.
Tunc flueret felix, qui nunc novus incipit annus,
Et ſenium tibi dulce foret ſæcliſque futuris
Edita Mœonius caneres Miracula Vates.

D. VESSELO ACRONIO,

Eccleſ. Harlingenſ. V. D. M.

VIr pie, qui ſacras Solymæo in monte capellas,
Et Domini læto gramine paſcis oves.
Cœlicaque æternæ pandens Decreta ſalutis
Qui Populum Fidei Myſtica ſacra doces.
Si vacat, & molles Vobis dant otia curas,
Nec trahit ad penſum Suada diſerta ſuum.
Accipe non tetrico Parnaſſia munera vultu,
Nec tibi diſpliceant, quæ placuere Deo.
Non malè conveniunt veſtris hæc dona Camœnis
Et poſſunt tali carmina veſte legi.

Non tibi Sulpiciæ, non verba obſcæna Neæræ,
Nec loquimur Muſis nunc aliena tuis.
Sacra ſalutiferi ſunt hæc præſepia *Ieſu*,
Et cunas *Domini*, Vir Reverende, damus.

In Incunabula
CHRISTI Naſcentis.

SAnčti progenies huc ades Iſaci
Ad cunas DOMINI; Nunc age pangito
Naſcenti Puero dulcia carmina,
Cunčti, Chriſtiadum quos genus inclytum
Commendat, Domino dicite gratias.
Nunc optata dies & jubar aureum,
Nunc promiſſa piis ſæcula vatibus
Adſunt. Carne Deus, corpora vinculis
Humanis ſocians, nunc amat indui.
Ergò lætus ades *Chriſte* ſalutifer,
Credentumque venis ſpes Hominum unica:
Quam contra nequeat Dæmon ab inferis
Cocytuſve minax tollere verticem.
Tu nunc nudus, inops, ſub lare paupere
Ad brutas pecudes, & gravis hoſpiti,
Ieſu, virgineo ſemine naſceris.
Quem cœli atque ſoli non capit ambitus.
Quid te tantus amor, tanta benignitas
Humani generis ſollicitat Deus?
Tu triſti recubas tugurio miſer.
Vulgi fabula, deſpečtus ab omnibus
Et terræ, *Immanuel*, pondus inutile.
Nos lautis epulis & dapibus mero
Perfuſis vacuum ducimus otium.
Tu relličtus humi ceſpite ſordido
Æſtum cum gelido frigore ſuſtines.
Nobis vix Tyrio vellere ſufficit
Tinčta aut Sidoniis palla coloribus.
O quàm ſorte *Puer* diſpare vivimus!
Quàm te fata manent, *Chriſte*, nefaria!
Nos per turpe nefas totque piacula

Execranda Deum offendimus impiè.
Tu pœnas meritas immeritus lues
Vindictamque feres Iudicis aſperam?
O Divûm bonitas! prô Superûm fides!
Solùm culpa reum me facit: attamen
Excuſat facilis Numinis æquitas
Auctorem ſceleris. Qui caret unicus
In vitâ vitiis fit vitii reus:
Vt nos, perpetuùm qui Paradyſidos
Extorres vetito crimine amoribus,
Poſſemus ſuperis conciliarier.

In Obitum,
Doctiſſ. Cl. Viri,
D. IVSTI REYFENBERGII, IC. &
Iuris Profeſſoris primarii,
In Illuſtri Friſ. Acad.
Cadomi-Gall. cIↃ. IↃ. CXXXII.

CErnis ut Arctois Laurus Phœbæa pruinis
Torpeat; ut dulci Myrtus viduata ſereno
Palladii circum plantaria langueat horti?
Sidera fatales Thymbræi Numinis umbras
Et cineres plorare putem, cætuſque deorum
Luctiſonis manes lacrymis urgere ſepultos.
Non ſua jam blandus producit lumina Titan,
Non roſeum jacit axe diem; non veſpere ſero,
Vt ſolet, Oceani rutilas ſe mergit in undas.
Non ſecus, ac Stygium ſi Pluto Acheronta relaxet,
Et ſolem nox atrâ tegat; ſive ultimus orbi
Terminus, & rebus finis mortalibus inſtet.
Ipſe Helicon duros curvato vertice queſtus
Ingemit, & miſero planctu cælum omne remugit.
Haud aliter quam ſi vaſto ſtet Scylla profundo,
Quem gelidus circum Nereus ſpumantibus undis
Volvitur, aut Piceis poſitus ſub nubibus Atlas,
Quem Cauri domuere truces, & frigida cæli
Tempeſtas, Brumæque rigor quater impulit ictu.
Scilicet

Scilicet occubuit primævo in robore vitæ
Aſtrææ ſublimis honos, Legumque ſacerdos
Et veri Antiſtes, ſacræ quem jura Camœnæ,
Et Latium voluit docta exercere Togatæ
Munera Militiæ. Rerum & prudentia faſces
Et Phœbi ſecretus amor cui indulſit honores.
Quis cladem iſtius Fati; quis funus acerbum
Commemoret pro jure; Pios quis laudibus æquet
Corporis extincti cineres; quis carmine digno
Triſtia fatalis deſcribet marmora buſti?
Credo equidem humano tandem de Crimine Divos
Poſcere veridico meritas examine pœnas.
Impietas manifeſta Deos in prælia poſcit
Supplicium latura ſuum. Nos arma rebelles
Sumpſimus, & magno contraria ſigna Tonanti
Inferimus, Dominique iras accendimus ultrò,
Occidit ante diem, tenero ceù floſculos ævo,
Palladiæ laus magna Scholæ Themidóſque Sacerdos
Maximus, ingenuas quo nemo rectius artes
Et Latias docuit leges: Qui nobile longis
Evolvit verum tenebris, & pondere cauſas
Libravit, tetricas & juſto examine lites
Pendit, & afflictis fecit confidere rebus:
Qui toties virtute nefas & vindice linguâ
Edomuit, pœnaque ſcelus damnavit iniquum;
Hic nunc Iuſtitiæ celebris Moderator & æqui
Suppoſuit fato collum, neque ſuſtinet axem
Intrepidâ cervice ſacrum, quem fulciit ante
Strenuus, & contra tot tela inviſa Cyclopum
Fortiter aſſeruit. Non leges horrida curat
Parcarum Impietas, nulla eſt reverentia juris,
Nec Themidem excuſat Nemeſis. Succurritur ultrò
Cum Libitina ferox ſpatium determinat ævi.
It mœrens lacrymanſque iterum ſtudioſa Iuventus
Ad tumulum chari manes fletura Magiſtri,
Et ſic extremùm compellat vocibus urnam:
Siccine nos mediâ ſtudiorum in mole relinques
Et veri Rectique rudes veneranda Themiſtæ

Gloria! Sic noſtrorum abrumpes fila laborum
Et tenero exſcindes creſcentem in culmine florem?
Quis Decios Pauloſque mihi; quis priſtina rerum
Et Themidos conſulta dabit; quis facta Virorum
Martia; quis dicet Trabeas & Roſtra Quiritum?
Vndè ſua occiſo cum Fratre exordia ducat
Romulus, & quantùm Latio ſub conſule quondam
Creverit Auſoniæ miranda potentia terræ?
Quis veterum cenſus, ditiſque æraria Romæ
Comprêndet numeris? fuerit quæ copia Craſſo,
Tullius & quantum latis poſſederit arvis?
Quis bellum Italiæ pugnataque fortiter olim
Prælia cum Grajis; quis jam Samnitica nobis
Pectora tam belli furiis exercita crebris
Fataleſque canet Cannas, atque ordine geſta
Scipiadum Fabiûmque decus? Quis marte potentem
Hannibalem, Decium, Marios, centumq; Tribunos,
Et pompas Regumque auguſto marte triumphos
Exprimet eloquiis? Tu veram in imagine vivâ
Romam *Iuſte* dabas, deque iſtâ doctius unquam
Diſſeruit nemo, aut plectro graviore loquutus.
Dixerat: Illa piis humectans lumina guttis,
Et juſto indulgens ad buſta invijſa dolori
Inclyta perpetuis commendat nomina faſtis.
Quàm variat fortuna vices, humanaque verſat
Secretus Fatorum ordo! Quæ funera Clotho
Quas cùmulat mors atra neces, Stygiaque palude
Faucibus eructat lethales Atropos ignes.
Illa pari doctos tegit indoctoſque ſepulchro,
Et Crœſos Iroſque rapit diſcrimine nullo.
Cum fuerit viſum Fatis, jam cogimur omnes
Ire tenebroſi piceas Acherontis ad undas.
Non pietas, non alma fides, non candida virtus
Eripiunt, gelidæque vetant ſuccumbere morti.
Talis *Iuſtus* erat, dum vivere Fata ſinebant,
Et nondum calidos frigus diſſolverat artus.
Hîc velut auguſtâ virtus in ſede reluxit;
Hîc pietas ſine labe locum ſibi legit amicum.

Non

Non alio candor vultu, morumque venuſtas
Clarius effulſit cum majeſtate verendâ.
Non linguæ illicitos plectrum variavit in uſus
Alterius damni ſitiens; cupiduſque cruoris
Innocui. Prudens acuit facundia pennam
In tetricum diſtricta nefas. Non jura refinxit
In facilis ceræ morem, privataque ſpectans
Commoda, per vetitas auxit patrimonia ſortes.
Sola diem Pallas noctemque exculta trahebat,
Verſabatque animum, & magnæ primordia famæ
Major laudis amor ſtimulis urgebat acutis.
Quis te felicem non terras prædicet inter
Franica? quæ tanti cineres atque oſſa reſervas
Clara Viri, & ſuperos titulis majoribus æquans,
Poſthuma defuncti miraris ſcripta Magiſtri.
Huic ſua deſpondit ſapiens ſecreta vetuſtas,
Plenaque Caſtalii fuderunt pocula rivi
Pieriæ, & totam merſerunt flumine mentem.
Quicquid habet Latiũ, & Grajæ docuere Camœnæ
Et Vatum inſtillat Genius, ſeu priſca Sophia;
Hic unus ſolidè ac ſenſu rimatur acuto.
Vos teſtor pia Riphæi ſub vertice cœli
Pulpita, quæ tali nuper Doctore fugatas
Vidiſtis florere Deas & Apollinis hortos
Germine felici virides producere Lauros.
Cumque aliò in fatis eſſet migrare Sorores
Et ſedem mutare Deas, & Belgica Pallas
Teutonicam arderet patriâ divellere Muſam,
Solvitur in longos mœrens Germania fletus,
Atque Artem cum Marte dolens, infauſta veretur
Omnia venturos iterùm prædicere caſus.
Diſſenſere truces ſeſe diſcordibus inter
Germani Belgæque animis. Lis magna coorta eſt
Poſſideat quæ terra virum; Gens utra fruatur
Doctrinæ ſplendore novo. Victoria dudum
Eventu caret, atque anceps ſub judice Mars eſt.
Gaudia diverſis hærent communia votis,
Et nunc illa ſuis, nunc excidit altera tellus

 Divitiis,

Divitiis, Livorque acies utrinque miniſtrat.
Sic Batavæ extremos contra pugnare Moluccas
Aſſuevere rates, ſpoliumque illuſtre Pelaſgæ
Pubis, & auriferâ raptare è Colchide vellus.
Sic prædam occidui referens à Cardine Phœbi
Rapta Notis Belgarum Argo ſe miſcet Eois
Claſſibus, & fulvas Pactoli invadit arenas,
Spem votis ſimulans, donec ſucceſſibus hoſtem
Fregerit, & plenis oneratas mercibus alnos
Duxerit in Patriam remis felicibus urbem.
Siccine *Iuſte* tibi jam *Reiſenberge* ſupremæ
Lux aderit vitæ? & gelidâ tumulaberis urnâ
Mortis in obſequium? vah dirum & triſte feretrum!
Heu Fati crudele jugum! Vos Palladis arces,
Et mala Friſiacæ ploro diſpendia pubis.
Ecce jacet, jacet ecce ſuis expulſa cathedris
Diva Thèmis; gelido clari ſub marmore friget
Mens generoſa Viri. Quem tot petiere penates
Diverſi, & fruſtrà Pallas contraria ſuaſu
Conata eſt noſtris avertere ſedibus olim.
Nunc iterum accendet Latiis quis lampada chartis
Merſaque Barbaricis conſulta antiqua pruinis
Eruet! Heu! cecidit ſacrum qui fulciit Atlas
Parnaſſum; cecidit, ſcrutari arcana Sororum
Qui ſolitus. Toto lugent Helicone Camœnæ
Nube ſub umbroſâ, & mœſtis plangoribus omnes
Exululant Nymphæ, lacrymis & diffluit æther.
Nunc pedibus Suada atteritur, linguæque lepôres
Eloquiumque ſilent. Celebrem virtutibus urnam
Et Myſtæ illuſtres titulos mors impia calcat.
Exuvias Doctrina viri, Pietaſque nefandam
Corporis exſtincti dolet intemerata ruinam.
Longius hortabar fari ſua damna Thaliam,
Et mœſtos cantare rogos, fomentaque luctus
Quærere, & iratis Nemeſin proſcindere Iambis.
In ſcenam ſed Fama ſubit clangore tubarum
Nuncia magnarum rerum. Moxque explicat alas
In medio, teſtemque Fidem jubet ire ſiniſtris
Et

Et Phœbum dextris. Clarus micat ignibus æther
Scintillantque poli, & longos exoſa dolores
Talibus affatur conſanguinitate propinquos:
Vos, quibus eſt durum Manes plorare ſepultos,
Et viduos lugere thoros, tumulumque paternum
Cernere, vel tepido lacrymas adſpergere buſto,
Ponite pectoribus gemitum, mœſtoſque dolores
Mittite, & ingratas animis ſecludite curas.
Non equidem totus fatalibus occubat umbris
Et vitâ cariturus abeſt. Mortalia tantùm
Eripuit lethum. Exuviæ putenſque cadaver
In rapidos ivere rogos, fit vermibus eſca
Viribus exhauſtum corpus, Matremque reviſit
Pulverulenta ſuam carnis per funera moles:
Vos fungi viles & vani nominis umbra
Et bullæ ſimiles, Vos rapti pulveris inſtar
Quem Notus adverſus flabris ſpirantibus urget,
Et facilè anguſti diſturbat Spiritus oris,
Adſpice terrenos humano in corpore vultus
Et nexu leviore manus. Velut occidit ævo
Floſculus ad falcem rapidi meſſoris acutam:
Sic rimis fluidæ carnis compago fatiſcit
Quid teneri vertex capitis niſi fictilis olla,
Ni fragilis teſtæ ſimilis, quam dextera fecit,
Artificis; Quid frons molli velamine cincta?
Lactea quid cervix, gracili pendentia filo
Brachia, molliculæque genæ? Quid crura, genuque
Lingua, latus, lumbi, dentes, abdomen, ocellus,
Labra, pedes, digiti, tali, quid cœtera? ſecum
Interitum finemque trahunt, nec mortis iniquæ
Effugient intacta necem, certamque ruinam.
Omnia ſubmerget paribus lux ultima fatis,
Nec ſenio parcet gravibus vegetæque juventæ.
Quò proavûm longæva ſeges; quò tota vetuſtas
Et mundi primæva cohors: huc ibitis omnes,
Huc cogit Natura potens & ferrea fata.
Parte ſui ſupereſt, quâ cœcas effugit umbras
Ingenii mentiſque decor. Me vate futuro

Et laudum præcone, caput ſuper æthera tollet.
Dædala cum nitidum ſuſpendit machina cœlum
Volvunturque dies; dum Typhis navigat æquor
Et Ceres incurvo terram proſcindit aratro;
Semper honos nomenque Viri laudeſq, manebunt.
Non labem mens docta feret, neque ſentiet alma
Exitium Pietas. Serus mirabitur orbis
Palladias uno coiiſſe in pectore dotes,
Hic nunc Angelicas inter pars magna cohortes,
Et Iovis æterni ſolium, menteſque beatas
Perpetuò lætam ducit ſine fine Iuventam.
Vos mala multa manent. Hic duri funeris expers
Cœlica regna tenet: quò non protendere Livor
Spicula, nec ſtrictas poterit mors atra ſecures.
Ille per Elyſias hilaris ſpatiatur arenas
Aligerumque domos; errant ubi dulciter umbræ
Doctorum, Phœbique cohors maneſque diſerti.
Hic iterum ſua, dilectâ cum Conjuge, lecti
Pignora compellans, ſocios reparabit amores
Et ſemel amiſſis æternâ in pace fruetur.
Dixerat: & rutilum ſubitò caput abdit Olympo
Perpetuùm illuſtres animæ dictura Triumphos,

STRENA

Ad Parentem Amantiſſimum,

Pro felici Auſpicio Anni M. D.CXXXI.

INtimis dilecte parens medullis,
Vir ſacræ præſtans ſtudiis Minervæ.
Noſtra quod mittet Tibi Muſa munus
Sole novato?
Eſt domi Phœbæa tibi ſupellex
Ampla; proventu & locuplete creſcit
Indies Nomen. Tibi ſpondet omnis
Orbis Honores.
Et focum dulcis decorat Marita
Prole fœcundâ: velut alta ſylvis
Pampinus frondet roſeum ſub axem
Brachia pandens.

Pullulat

Pullulat verno velut herba Phœbo,
Et ſeges creſcit zephyris amicis:
Sic ineſt Natis viridi ſub ævo
Florida virtus.
Dira Fortunæ rabies ſiniſtræ
Non lares ſævis Patrios laceſſit
Ictibus. Bis quinque Domus columnis
Clara niteſcit.
Eſt calor membris vegetis colorque,
Et vices viresque novas reſumit
Cynthii blandâ face mens, honoſque
Altius exit.
O diem votis decies petitum;
Fauſta lux Iani! Iove quæ ſereno
Parturit dotes animi, beatque
Laude penates.
Adde Scorti Romulei ruinas,
Proſperos & Chriſtiadum triumphos:
Marte quos nuper retulit ſecundo
Belgica victrix.
Frange turgentem Babylonis iram;
Arce ſepticolle ruatque, *Chriſte*,
Arduo lapſu Meretrix, togamque in
Pulvere verrat.
Exerat totum ſua ſceptra in orbem
Belgici virtus populi, minaces
Induens dextris clypeos, Iberum
Sub juga mittat.
Verticem cœlo Pietas Fideſque
Æquet, ac terras bona Pax, peremptis
Hoſtibus, tandem colat, remoto
Imperet orbi.
Res domi tranquilla fortiſque ſemper
Floreat. Sors læta juvet rogantes,
Et ſinu fæcunda riget beato
Copia cornu.
Axe ſub noſtro reſonet Thalia
Clarius vulgi indocilis ſuſurro.

Cum novem Muſis Helicone in alto
Fama perennet.
O Deus feſtis tribue hæc Calendis:
Impios pœnæ meritæ ſequantur,
Et Sion latè ſuper aſtra tollat
Cœlica frontem.
Corporis ſani officio fruatur
Sana mens; languor neque cura vultus
Dura rugoſos aret ante canæ
Tædia vitæ.

IACOBO TING, Harl. Bat.

IAm dulces epulas & gratæ fercula menſæ,
Ambroſiaſque dedit Gallica Muſa dapes.
Arida divinis irrorans pectora ſuccis
Prompſit inexhauſto pocula fonte tibi.
Sequana Regali luxu pompaque decorus
Præbuit officii munera larga ſui.
Immenſum Ligeris ſpatio inſinuatus in orbem
Affudit latices uberiore ſinu.
Lentus Arar rapido mutavit littore curſus,
Et Rhodanus viſus plus ſolito ire celer.
Velivolus duplici promanans fonte Garumna
Nectareas vivo gurgite ſparſit aquas.
Non hi ſunt imbres, quos dat vindemia Bacchi,
Inque ſuâ demens laude Lyæus habet.
Non cibus hic, quali Veneris paſcuntur amantes,
Sordidaque in pigrâ mente Libido furit.
Hinc ſcatet æternæ Majeſtas ardua famæ;
Et decus in ſerâ poſteritate manet.
Hinc honor & caſti ſuperant monumenta furoris,
Naſcitur & pleno copia larga ſinu.
Quàm benè promovit ſtudium, ſanctèque fefellit
Tempora! Quàm felix finiit ille diem.
Cui placuit plenos fontes libaſſe Minervæ,
Et ſua Caſtaliis ora rigavit aquis.
Tu Batavos inter juvenes, Clariſſime TINGI,
Doctiloquâ Druidum Pallade clarus ovas.

Fertilis

Fertilis ingenii tibi meſſis provenit agro,
  Aoniique patent munera læta ſoli.
Romuleas docuit te leges Arbitra veri,
  Imperii & populos ſubdere jure dedit.
Adde, tot auguſtæ Latialia munera terræ:
  Quæ tribuit parcâ non Themis ipſa manu,
Has animi læto grator tibi carmine dotes,
  Inſignis Batavûm lauſque decuſque Virûm.
Nunc tibi Borbonii ſatis eſt luſtraſſe Theatri
  Numina, Palladias & coluiſſe Deas.
In Patriam, ingenti ſtudiorum mole peractâ,
  Iam meritò, à Ligeris littore raptus, abis.
Scilicet & dulces capiat Reſpublica fructus,
  Et ſua privatis gaudeat ara bonis.
Cœtus Amicorum ventos ad vela faventes,
  Numinaque ad fauſtas invocat æqua vias.
Hîc ægro Genitrix Natum defixa cubili,
  Parte aliâ poſcit ſupplice voce Venus.
Iuppiter æterno cœlum qui Numina complet,
  Et duplici oppoſitos ſuſtinet axe polos;
Qui maris undoſi furias compeſcit & iras,
  Parrhaſiique domat monſtra proterva jugi:
Hic, precor, ad charos auguſtâ luce penates,
  Et ferat ad Batavûm te genitale ſolum.

CYPRIANO d'OOSTERZEE,
In Gallis cum unà viveremus,
poſtea Ill. Reip. Fr. Prætori.

NOn beatus ille qui dives Nummorum
Satiat blande deliciis fortunæ
Immenſum abdominis gurgitem profundi.
Cui Satellitii numerus ſuperbi
Haud procul adſtat obſequium capeſſens,
Cujus Clientes manè limen ſalutant,
Atque adulantium turba marmoratas
Obſidet fores: cujus vota nutumque
Frequens deſiderat ambitus potentûm.
Qui trepidam multos vitam inter faſces

Et degit ſecures, Lictorumque turmas
Videt tumultuoſam vagas per aulam.
Miſelle, ſtrepitus faſcium moleſtos,
Forique pulverem & dubios honores,
Ac fallacem alternantis cenſum fortunæ
Tantâ quid animi rabie venaris?
Ille defoſſi terris ſplendor metalli,
Illa inſanientis honoris cupido
Flagrans, turbabit dulcem noctis ſoporem?
Tu vetuſti luxus, Latiique condis
Monumenta faſtus; Tuque Ægyptiarum
Exſtruis Pyramidum moles ſuperbas,
Ac domos Hymetriis claras columnis?
Ebur Heſperiis advectum profundis,
Marmorque Siculis montibus reciſum
Dabunt perpetuum nomini trophæum?
Ter infelicem nimis, quaterque ſtultum
Quiſquis ludicrâ laudem ſuper fortunâ
Caſuque ponis, & tantillo beatam
Includis vitæ gloriam monumento.
Calpen viſere & glaciales Sarmatas
Scythico ſub axe, verticemque Pindi
Alpiumque nivoſarum cacumina,
Pyreneſque jugum ſcandere nil prodeſt.
Hos brevis orbita temporis honores
Involvet obſcurâ nube oblivionis.
Roſtra Quiritûm & Capitolia Romæ
Altoſque fundatæ muros Carthaginis
Invidi comminuit Fati vetuſtas.
Priſcæ deliciæ, Regumque dapales
Cœnæ, ſtupenda & Siculorum voluptas
Luxuſque majorum ſæculis antiquis
Silentii jacent ſepulti tenebris.
Surge tandem ſalutis memor mortalis,
Et quid ſuperſtitem gloriæ producat
Segetem, ſupraque ſortem altius popelli
Erigat, exemplo diſce ſapientûm.
Ille, qui Virtutis hederâ ſuperbit,

Et mutabilis ludibrio fortunæ
Altius ſapit. Qui ceſpitem plebejum
Elatus ſupra, gloriam humi naſcentem
Potens faſtidit. Qui firmos ſibi honores
Perennemque ſine labe dignitatem,
Afflatus entheo ſpiritu, proponit,
Suos pietati qui dicavit annos,
Et dixit ſemel ſuperis Sacramentum.
Vmbone firmo qui fidei munitus
Pugnat in luxum & mores hoſtis profanos.
Ille Idumæâ redimitus coronâ
Supra purpureas principum Tiaras,
Supra Theſſalici muricis ſplendorem
Sublimis ovat. Ille Arabum theſauros
Et gazas Attali ſuperat potentis.
Adde, qui ſacras Theſpiadum ſorores
Nocturno & diurno verſavit labore.
Qui fonte pectus proluit Caballino,
Atque Aganippidos ſatiavit undis.
Vobis, Heroes Animæ, Bonum ſummum,
Vobis voluptas & gaudium beatum.
Non Sylla felix, non Craſſus opulentus,
Non fortis Macedo, non Paris formoſus
Veſtræ felicitatis merentur umbram.
Procul faſtidioſo ſcenæ tumultu,
Et vanæ remoti plauſibus Orcheſtræ
Ter vitam quaterque ducitis felicem.
Cuncta terribili fluctuent procellâ,
Cœlumque ſolumque minentur ruinas,
Et nigris ſors adverſa fatumque triſte
Involvant terras & ſidera tenebris.
Non vos tempeſtas, non horrida Trionum
Deterret rabies, nec Cauri feroces
Illæſam quatiunt ſtatione mentem.
Hac in generoſæ virtutis paleſtrâ,
Et vitâ, CYPRIANE, beatiore,
Ceù Luna ſtellas inter rubens minores,
Effulges venerando laudum nitore,

Semitis

Semitis vulgi rudis procul remotus,
Auraque longe celſior populari
Deſpicis ſupercilio rigidi Catonis
Indocilis luxum plebis atque faſtum,
O fortunatas Friſiadum ſecures
Faſceſque bonis ominibus ſuſceptos,
Quos virtuoſæ Prætor mentis capeſſes.
Lætare Themidos patriæ Theatrum,
Et, ſi quam forſan Ambitio maligna,
Pravique vulgi peſtilens ſuffragium
Inuſſit maculam publicæ ſaluti;
En flore conſpicuam novo juventam,
Quam format Aſtræa & erudita Pallas
Mox ſcandet Roſtrum latens virtus in herbâ.
Rebuſque fractis & compage ſolutis
Supponet fortem novus Atlas cervicem,
Hoc decus, magne Senex, Prætor verende,
Communi promittit Filius ſaluti.
Tu quot rexiſti prudens Neſtor in annos
Belgicæ, fluctus inter, clavum carinæ:
Quot pacis Bellique tempore probatis
Iuviſti monitis Principum Senatus:
Tot quoque, ſi maneat merces Virtutum
Et præclaros Minervæ Laurus Alumnos;
Titulos feret Natus famæ perennis.
Hanc tibi chare ſortem grator Mecœnas,
Deumque precor, ne ferox Libitina
Abrumpat longævæ ſtamina ſenectæ;
Tergemino antequam ſobolis honore
Potitus, ſponte felix petas Olympum.
Sic decet illuſtri ſtemmate prognatos
Decus Parentum & veſtigia majorum
Novis laudum propagare monumentis.
Stupet noſtra tuis laudibus Thalia
Optatque Heroo in dotes ferri cothurno,
Inuſitato jam barbito revincta.
Centum me, *Cypriane*; Tibi catenis
Alligat Virtus, & candida venuſtæ

Gratia

Gratia mentis. Tecum terris longinquis
Barbaroque extremæ Scythiæ ſub axe
Longùm vivere deſiderem Sodalis.
Non ſic Perithoum Theſeus dilexit,
Aut Fratrem Pietas Pyladen Oreſti
Conjunxit fervidi vinculis amoris:
Quam tuæ probitatis nitor ſerenus,
Vitæque ſplendor puritas probatæ
Me tibi Germano pectore devinxit.
Servet Te longùm Rex Superûm florentem
Precor, Decus parentum, ſpes Friſiorum,
Dulce & vernantis delicium juventæ.
Fœcundus Virtutum floreat agellus
Amplo Pegaſeæ ſegetis proventu,
Nec purpureas lappæque tribulique
Roſas abſynthio vitient amaro.
Longævum ſuperet Pylium ſenectus,
Seroque variet tempora capillis
Cygnæis ætas. Felix vive valenſque
Quos ſoles dederit Iupiter benignus.
Sic claros inter Pindaricum Poëtas
Accinam tuo dignum carmen honore.

PIBONI DOMA,

Nunc I. V. D. & Friſia Deputato.

IAm nova Pierias remanent præconia Muſas,
 Atque artes inter docta Poëſis ovat.
Quam toties vulgi rabies inſana petivit,
 Luſit & ingratis lingua proterva modis.
Exſpectata redis poſt tot jam nubila Phœbe,
 Amiſſum revehens propitiata decus.
Non tenet ingenuos ultrix vindicta poëtas,
 Nec ſua crudeli Iudice damna probant.
Sunt faciles iræ vatum; mora parva nocendi;
 Nec capit affectus ſpiritus ille malos.
Nunc iterum Heſperius nobis famulabitur Orbis,
 Totaque poſteritas Friſidos arva canet.

Dum

Dum revocat nitidas turpi ſquallore Camœnas,
Et vult præcipuum vatibus eſſe locum.
Scilicet ingeniis ſolum ſe credidit iſtis
Majorum & ſeræ poſteritatis honos.
Aurea Romulidas commendat Suada Maronis,
Auguſtum memorat Naſo Poëta ſuum.
Mæonius Grajûm res geſtas laudat Homerus,
Properti canitur Cynthia blanda modis.
Lesbia laſcivo ſuperat deſcripta Catullo,
Et vivit numeris docta Corinna ſuis.
Mincia *Pierio* debet ſua munera Vati;
Quo nomen majus Friſia Vate tenet.
Et *Pater* Auſonio facundus detonat ore,
Miranturque ſuum pulpita docta decus.
Clara Sophocleo *Barlæi* Muſa cothurno,
Fortia Naſſovii Principis arma canit.
Nec Batavis iſto deerit præcone Triumphus,
Clara nec aurifero gloria parta Tago.
Eſt Deus in vobis clariſſima pectora Vatum,
Numinis & partem mens generoſa tenet.
Entheus hic etiam divinæ ſpiritus auræ
In pectus penetrat, DOMA diſerte, tuum,
Aſſeris ingenuâ Muſarum laude triumphos
Eortia pro ſacro bella Helicone gerens.
Vivite præluſtres Animæ; Vos vivite Vates,
Præmia nec meritis inferiora cadant.

LAMBERTO SICMA, p. m.

Credo equidem Zephyris, Doctiſſime *Sicma*, ſecūdis,
Ad nutus veniunt Numina cuncta tuos.
Inclyta Laurigeræ dat Pallas frontis honores.
Implicat & roſeis myrtea ſerta comis.
Gemmula flammivomis digitis Eôa coruſcat,
Aureus & toto corpore lucet honos.
Proſpicit è cœlo, poſt tot data munera laudum,
Artibus ingenuis prona faveuſque Venus:
Et Titulos mirata novos Trabeaſque Decuſque,
Quod Tibi vis donem munus, Amice? refert.

Conjugis

Conjugis expertem non eſt benè ducere vitam,
Nec decet ingenuos ſpernere jura tori.
Ipſe Panomphæus celſo demiſſus Olympo
Virginis amplexus fertur amaſſe Deus.
Vtque truces rigido ſecludat pectore curas
Flagrat Apollineum molliter igne jecur.
Tutius & doctæ florent Helicone Camœnæ,
Cum ſacra contiguo ſub lare Cypris habet.
Quin age, cui lætos Aſtræa impertit honores,
Serviat & ſtudiis nunc Cytherea tuis.
Hanc Venus ipſa tibi, præſtanti corpore Nympham
Spondeo felici pace fideque tori.
Illius adſpectu blandique adſpergine vultus
Diſcute ſollicitos nocte dieque metus.
Publica quas curas Res injicit, auferet illas;
Tœdiaque ingenuis diluet apta jocis.
Illa tuos paſcet; tu paſces illius ignes,
Et peragent blandas Fœmina Virque vices.
Riſerat: & dulci jaculo confoſſus Amorum
Alterius Divæ fert quoque dives opem.
Nec ſatis eſt caſtâ Venerem ſociaſſe Minervâ,
Et geminâ claras cingere fronde comas.
Vltima reſtabant tantarum Inſignia laudum,
Et deërant Faſces Sceptraque Phœbe tibi.
Quæ favor, & Divûm felix Clementia donat,
Quinque peracta prius quàm tibi luſtra forent.
O bene felicem! cui pronus militat æther,
Et venit ad votum triplicis aura Dei.
Pallada Diva Venus, Venerem comitantur honores
Arbitriis ludit ſors reor ipſa ſuis.
Dî, precor, Auſpiciis porrò ſervate Sodalem,
Nec ferat adverſus vela ſecunda Notus.
Cum titulis Virtus, creſcat cum Conjuge Proles,
Et cognata ſuo Fratre Pudore Fides.
Has cape *Neuhuſii* memores, Ampliſſime *Prætor*
Adſcriptâ niveo corde ſalute, preces.

In Nuptias
IACOBI RUNNIA,
Nunc Rei Numm. Pr. &
AMARENTIÆ ab OENEMA.

TAndem etiam Idalii per amæna Cupidinis arva
In Venerem caſſes inſidiaſque ſtruis.
Retiaque incautis tendens, *Iacobe*, Puellis,
Venaris Paphyo de grege mite pecus?
Iamque animos Cytherea ſubit, quos ante Minerva
Cœlitus imperio ſubdidit alma ſuo?
Felicem te ſorte tuâ decieſque beatum!
Cui venit in mentem condere jura thori.
Scilicet, ut rerum variat Natura figuras,
Permutant etiam Pallas Amorque vices.
Te tua nunc Amaryllis habet, vitæque ſodalis
Dulciter in Thalami, *Runnia*, parte jacet.
Pulpita nunc ſileant, rigidæ ſecedite Muſæ:
Odimus hîc faſces Phœbe diſerte tuos.
Iam Venerem & nudos tantùm ſociamus Amores,
Solaque carminibus vult Erycina cani.
Plaudite Pierides: quibus eſt data copia fandi,
Et velut ambroſio nectar ab ore fluit.
Cyrrha tuos aperi nobis dulciſſima fontes,
Irriget ut Vatem Caſtalis unda ſuum.
Vt facili blandos complectens carmine amores
Fauſta ſalutiferis accinat orſa toris.
Non benè ſe ſocio junget nova nupta marito,
Quin Thalamos doctâ voce Poëta canat.
O fortunatum tali te *Runnia* Nymphâ!
Quam cumulant tantis ſidera fauſta bonis,
O fortunatam tali te Nympha Marito!
Quem colit obſequiis Pallas Amorque ſuis.
Dextra beat multo tædas fortuna paratu,
Copiaque immenſo fonte beata fluit.
Dum foris Auriacus victrici Marte trumphat,
Et Pacem tuto rure Colonus agit;

Dum Belgæ extremos exterrent navibus Indos,
Et juris faciunt ultima Bactra ſui:
Tu placidos intus ſentis Amaryllidos ignes,
Gaudiaque optati carpis amica tori.
Alma Venus, *Iacobe*, tuis innectitur ulnis:
Virtutum pulchrâ dote probata Venus.
Quâ non ſe lautæ componat munere formæ;
Moribus aut certet priſca Sabina ſuis.
Nequicquam ſolers illi Natura negavit,
Quod dignum pretio docta Minerva putet.
Adſpice, ut ingenuos vultus faciemque coloret
Nobilis, illæſâ Virginitate, pudor.
Aureoli ut ludant niveâ in cervice capilli,
Et Scythicas vincant ora rotunda nives.
Plurima lacteolos commendat Gratia ocellos,
Et pugnant vernis æmula labra roſis.
Candida demittunt lato ſe brachia collo,
Et manus Aſſyrium lactea vincit ebur.
Crediderim, Iacobe, truci ſuccenſus ab irâ,
Invideat Livor munera larga tibi.
Tantùm Friſiacas inter tua Sponſa Puellas,
Quantùm inter ſtellas candida Luna, nitet.
Ergò tenes totâ felix quod mente petiſti,
Nec Tibi ſperanti ſors dare plura poteſt.
Pallade cum doctâ Charitum ſe Gratia jungit,
Atque uno coëunt Forma fideſque jugo.
Cætera, Sponſe, tibi Divûm clementia cælo,
Propitientque ſuis Fata benigna bonis.

TIMÆO IOHANNIS,
Studia Med. Theolog. permutanti.
Nunc V. D. M.

QVid Medicas artes ſtudiumq; & Apolline dignū
Alterius Muſæ captus amore fugis.
Eſt volupe herbarum cauſas & ſemina noſſe,
Et tam Naturæ grande latentis opus.
Non alibi fas eſt melius cognoſcere Numen,
Quàm ſpeculo omniparæ parturientis humi.

Emine

Eminet in tantis Majeſtas cœlica rebus,
Nec probat immenſum res magis ulla Deum.
Tu tamen in plantis radiantem Numinis umbram
Signaque ſidereæ non bonitatis amas?
Quas Latium toties, Hellas quas extulit artes,
Auſoniæque docent pulpita clara ſcholæ;
Corporis ingreſſo forſan penetralia noſtri
Incutit horrendos putrida maſſa metus.
Aut nimium effætæ carnis compago fatiſcit,
Nec Medico eſt tantis utilis herba malis.
Denique tot numeras ægri tormenta furoris,
Fractaque pertuſo corpore membra vides.
Tot tetricæ peſtes rabidæque incendia mentis
Perterrent gelido turbida corda metu.
Hic oculos viſumque effoſſo lumine plorat,
Et tamen humanam ſaucius orat opem.
Ille pedes tardeque gradus accuſat euntes,
Et fieri inventâ vult quoque ſanus ope.
Nec pudet, exeſis hærens mors atra medullis
Neſtoreos aliquâ poſcit ab arte dies.
Quis tecum Medicas Medicus non improbet artes,
Quem mors non fugiet, nec Medicina juvat?
Nunc petis afflictas, relliсto corpore, mentes,
Major & in curas hinc tibi cura venit.
Peſtiferos animi morbos diſpellis iniqui,
Et datur infirmis corde fideque ſalus.
Non lucem roſeoſque dies, quos optat avarus,
Cælica rimari ſed ratione doces.
Quid faciat lætam Solymæo in monte juventam,
Sæculaque æternùm perpetuata ferat,
Tu nunc Franagriis meditaris doctus Athenis
Clara Leonini Lauſque Decuſque ſoli.
Di faciant, *Timæe*, tuis ut Honoribus annos
Et vitæ meritis præmia digna feras.
Vt ſacra Relligio priſcis emerſa tenebris
Clara ſerenatas tollat in aſtra comas.

FRAN-

FRANCISCO IOHANNIS,

Nunc V. D. M.

DVm gravis Arctoo flagrat ſub ſidere Mavors,
Fervidaque antiquos aſperat ira Gothos.
Augurium mœrens capit hinc Germania lætum,
Atque inſunt tantis omina fauſta bonis.
Dii faciant felix agites, *Guſtave*, Triumphos,
Et latè extendas Regia ſceptra ſolo.
Proſpera ſic reddes Palatinis otia terris,
Cæſar & Auſtriacâ Raptor ab arce ruet.
Auriacus contra fortes congreſſus Iberos
Diſtringet ſocias in fera bella manus.
Quà tumidus nobis objectat cornua Rhenus,
Hoc ſtatuent Batavi fortia caſtra loco.
Accipe mœſta tuis iterum ſolatia rebus,
Et ſpem Teutonici Martia turba ſoli.
Palladiam quoque bella juvant audacia pubem
Nec ſatis eſt ſimplex in Babylona furor.
Si lituos alii, lethalia & arma capeſſant,
Horrendumque inflent claſſica rauca ſonis,
Tu gravis eloquio *Franciſce* & acumine mentis
Bella Sionæo pro grege Miles agis.
Romulidum falſa pictos in imagine Divos,
Ridiculum & ludis Relligionis opus.
Aſſeris æterno divinum numen honori,
Panitiiſque negas nomina ſacra Diis.
Felici te Muſa beet *Franciſce* paratu,
Et ſtudiis prædo ſit Papa præda tuis.

IOHANNI SIXTINO,

Nunc V. D. M.

DVm redolent tetricum mortalia pectora faſtum,
Et noſtro Pietas exul ab orbe fugit.
Dum mala luxuries animis innaſcitur ægris,
Atque homines lucri turpis ineſcat amor,

Dum

Dum redit antiquis facies monſtroſa tenebris,
Turpibus & vitiis eſt opulenta ſeges.
Dum virtus moreſque boni, Rectumque Pudorque
Nomina ſunt meritis inferiora ſuis.
Tu, *Sixtine*, vacas ſacris Doctiſſime Muſis,
Eximiaque colis cum Pietate Deum.
Aggrederis centum Papales enſibus Hydras,
Et forti pugnas in Babylona manu.
Vt ruat in ſubitum ventoſa ſuperbia caſum,
Tu modicum exemplo littus amare doces.
Vt Veneris ceſſent cognata Piacula Baccho,
Exemplar caſtâ ſobrietate nites.
Vt cœlo rediens terras Aſtræa reviſat,
Floreat & ſacro priſtina jure Fides.
Tu Patriam præſtans inter *Sixtine* Iuventam,
Ingenii magnâ ſedulitate ſtudes.
Publica commendant Doctrinæ Encomia dotes,
Inque tuum reſonat Suada diſerta decus.
Felicem te, Iane, reor, quem cenſus honorum,
Quem remanet Muſæ nobilioris amor.
Vtere divinis, tribuunt quæ Numina, donis:
Rideat & ſemper Pallas amica tibi.

LAMBERTO SICMA.

QVis Deus in Batavas te terras ire coëgit
Sicma, decus Patriæ Deliciumque tuæ?
Quæ rabies tantis ſtimulat præcordia flammis
Vt proprias ſpernas non bene ſanus opes?
Vt magis oblectet vicina Batavia curas,
Friſiacique tibi ſordeat ora ſoli?
Hîc ubi Pierides ſua læto in pulvere verſant
Otia; ubi pleno flumine Cyrrha ſcatet.
Ingenuamque rigat Latiali fonte juventam
Romano aſſuetus Tullius ore loqui.
Siſte gradum Patriæ Decus & Tutela Minervæ,
Inclyta Pieridum gloria, ſiſte gradum.
Nec te Friſiacæ ſubeant faſtidia terræ,
Nec tibi diſpliceat, quæ Dea grata fuit.

Hîc

Hîc cole Theſpiadum vigilatâ nocte Sorores,
Floret ubi Aonii copia dives agri.
Hîc tibi non parcâ fundet Themis Hoſpita meſſem,
Nec teneros fructus rura Pelaſga dabunt.
Omnia promittunt noſtro ſub ſidere Divi,
Nec magis in Batavis Caſtalis unda fluit.
Nobis ſunt etiam Muſæ, ſunt Carmina Vatum,
Omina nec Friſios deteriora manent.
Credo equidem Manes & tanti buſta Donelli
Ingenium flammis corripuêre ſuis.
Aut te tanta tenet Barlæum cauſa videndi,
Heinſiadiſque tibi nominis ardor ineſt.
Quin age, ſi Superis viſum, da vela ſecundis
Fluctibus, & Batavi conſule jura fori,
Plenaque Caſtaliis irrorent pectora lymphis
Numina tantorum propitiata virûm.
Poſtquam epulis exempta fames, ſedataque mentis
Dira ſitis, Patrios Sicma reviſe lares.

HANSONIO à LYCKLAMA,

Gallias adeunti.

Nunc Illuſt. Reip. Fr. Prætori.

Non uno ſub ſole Batavoque tantùm
Opes ſub axe parens promit Natura,
Non una tellus muneribus Deorum
Superba ſolùm, nec cœlica majeſtas
Tam ſeſe exilibus ſpatiis coarctat.
Quà ſe mundi aperit cardine ab Eoo
Titan formoſus; quà gurgite remoto
Caput ſubmergit occiduis ſub undis:
Hîc magni veneranda Dei poteſtas
Suæ benignitatis ſinum relaxat.
Thura Sabæi donant, eburque Ganges,
Et dives nectareos Arabs odores.
Panchaia thuriferis pinguis arenis,
Gemmiſque Tagus, auro & nobilis Hermus.
Hîc fertilibus tument uvæ racemis;
Illic ſegetes proveniunt felices;

Iſtic Pomiferus campos fœtus inumbrat.
Sic & Virtutis Doctrinæque propago
Non uni ſubjacet angulo terrarum.
Iactat doctiloquos Roma Cicerones,
Laudat ſapientes Græcia Solones,
Et ſuos commendat Mantua Marones.
Hîc pius Scotigenûm prodit ab oris
Vates; hic veri recti que caſta tutrix
Sceptra Francigenûm decorat Themiſta.
Hic Sionæo ſcatent fonte liquores,
Sudatque Belgis Hermon nectar ſalubre.
Illic Permeſſus undas ſpargit rorantes,
Cirrhaque Phocidos riguo torrente
Suos inebriat ſuaviter alumnos.
Beate *Lycklama*, quem zelus Virtutum
Ardorque recti & flagrans laudum cupido
Per tot Scyllas latentes, per tot Charybdes,
Et periculoſi Oceani receſſus
Trahit de patriâ ad Druidum Camœnas.
Præclare Iuvenis; Dilecte ſodalis,
Charum Friſiacæ corculum Iuventæ,
Et ſpes Muſarum, & novem decus Sororum,
I, quò te virtus tua vocat Fatumque,
I pede fauſto, & Numen præſens Amicos.
Ad tuos te precor, Soſpitem reducat.

THEODORO SAECKMA.

Gallias nuper mecum adeunti,
Nunc Senatori Friſio.

SAlve Friſiacæ Decus immortale Iuventæ;
Pars animi ſalve maxima, SAECKMA, mei.
Quis Deus ignotas nos ambos egit in oras,
Nil ubi quàm vulgo barbara turba ſumus?
Dum procul oppoſito Batavis divellimur orbe,
Et Patriæ longùm diſtat uterque ſolo;
Dum neque difficilis poſui mala tœdia linguæ,
Nec ſatis ad Gallos congrua verba loquor;

Tu

Tu mihi materno reſpondes ore Sodalis,
Alloquiis recreans ora ſoluta tuis?
Sic ſibi dilectum Pylades comitatur Oreſtem,
Et magis externo ſub Iove flagrat amor.
Scilicet à puero vitæ quos junxerit uſus,
Serior hos ætas & quoque vita probat.
Magna mihi tecum ſtudiis pars acta Iuventæ,
Multaque ſunt lepidis tempora tracta jocis.
Nos Schola, nos luſus pariter vidêre Forumque,
Nutrit & cunis prima juventa ſuis.
Fallor? & hæc Superos tangit concordia Divos,
Numinaque amborum cœpta fidemque probant?
Condere ſe tardos cupiam cum Veſpere ſoles,
Et nimiùm lentis paſſibus ire dies:
Dum lateri noſtro fidum te jungis Achatem
SAECKMA, per ignoti Gallica rura ſoli.
Tecum optem extremas Gades Thulemq; remotam,
Et fera Sarmatici viſere Bactra poli.
Seu tibi ſit rectà ſtudium contendere Romam,
Seu Solymæ & tanti Templa videre Dei.
Vnà Pegaſeis huc tecum deferar alis,
Nec mora propoſitam differet ulla viam.
Vivere ſi liceat fatiſque volentibus uti,
Tecum Tithoni vivere ſæcla velim.
Contigit oppetere, & vitam mors abſtulit atrox:
Hîc mihi trux cineres Parca, ſtruatque rogos.
Nos quoq; cum dulces Rhodani libavimus imbres,
Aridaque irriguis proluit ora Liger;
Et tibi Borboniâ Pallas de fronde coronam
Implicuitque comis Laurea ſerta Themis,
Ad Batavos Friſioſque iterum remeabimus agros,
Amſtela quà dives ſidera pulſat aquis.
Quod ſi Fata negent & ſors minus æqua ſecundet;
Nulla tamen ſolvet fœdera noſtra dies.
Tunc animis & mente epulas carpemus amorum,
Cum nequit officiis peſque manuſque frui.

LACRYMÆ,

In Mœſtiſſimum Obitum,

Clariſſimi, Doctiſſimique Viri,

IOHANNIS HACHTINGII,

L. A. M. In almâ Friſiorum Academia Profeſſoris Logici.

EHeu! quam timidus verberat æthera
Nimboſum gemitus, quam ſubitò aſpera
Certant horrificis Fata furoribus:
Ceu Zephyris Aquilo repugnans.
Cœcas impatiens ut latebras dolor
Mentis ſollicitæ perfodit ictibus!
Vt fletus patulo proſiliunt lacu
Inſtar aquæ tumidè fluentis.
Heu! heu, quam tetricas ſæva Neceſſitas
Strages accumulat Pieridum in choris:
Quanto jam furiis triſtibus æſtuans
Trux Libitina ruit tumultu:
Vix mœſtus faciem deſeruit color,
Et cor lethifero vulnere ſaucium
Senſum præteriti depoſuit mali;
Vix animi coiit cicatrix.
Sanctis ante diem manibus *Amama*
Hachtingi exuvias adſtruis Atropos,
Quos & vera Fides nexu adamantino
Iunxerat, hos ſocias ſepultos.
Crudelis nimiùm Parca! nimis ferox
Minos! Quid juvenum robora fortium
Strictâ falce ſecas? Cur Heliconidum
Magnanimos perimis Dynaſtas?
Et Bacchi & Veneris Cyprigenæ gregem
Rugoſoſque ſenes, vulgus & inſcium,
Quod nec Relligio, nec pietas juvat,
Mortiferis ferias ſagittis.
Hachtingum opperiet perpetuus ſopor?
Cui Doctrina, Pudor, Iuſtitiæ & Soror

Incor-

Incorrupta Fides, nudaque Veritas
Vix unquam invenient parem.
Multis ille bonis flebilis occidit:
Pallas, Religio fata dolent ſua,
Et largis Sophiæ, flumineum in modum,
Imbuitur lacrymis ſepulchrum.
Heu quam vita Hominum multijugis ſcatet
Fortunæ inſidiis! Quàm citò ſtamina
Rumpit Clotho minax! & furialibus
Perniciem meditatur armis.
Quid pinguis Phrygiæ Mygdonias opes;
Quid terras alio ſub Iove quærimus?
Aut pennâ ingenii, Dædaleum in modum
Scandimus æthereos ſub axes?
Extremis Lybiam Gadibus unias,
Et quicquid tenuit dives Achemenes
Vnus poſſideas; Imperium Attali
Serviat arbitrio potentis;
Mors eſt æqua Viris ſcilicet omnibus:
Non parcit rigidis ſæva ligonibus
Sceptris Parca minus. Lege ſemel datâ
Intrepidi pereunt Catones.
Non ætas gravior; non Pietas moram
Affert. An Pyleum Neſtora reſpicis,
Tithonumque ſenem? Sæva Proſerpina
Nec tremulo vegetoque parcit.
Fumus per vacuum ceù volat æthera;
Vt ſole occiduo flos citò deperit:
Sic humana perit vita velociter
Arbitrio rapientis Orci.
Felix ter nimiùm! cui pietas ineſt,
Et recti ſibi mens conſcia, quæ neque
Formidat rabiem funereæ Deæ,
Nec gelidi rabiem ſepulchri.
Nullus jam querulis carminibus locus
Eſto: Quid lacrymas ſpargere proderit?
Vnà omnes Patriam, ſerius, ocyus
Luce ſacrâ repetemus Ædem.

Hachtingus ſuperis nunc Iovis intereſt
Optatis epulis: Oſſa tenet ſolum:
At cœlum petiit ſpiritus Entheus;
Angelico celebris triumpho.

Gratulatio Nuptialis,
Ad Cl. Virum,
HENRICVM KOLDE,
Sch. Leov. nuper Con-Rect. nunc Rect.
ET
ADELHEIDAM ANTHONIAM.

IBat per virides *Koldius* Hortulos
Carpturus nitidum pollice floſculum:
Quem tellus gravido protulerat ſinu;
Hic Phœbus Tyrio murice Lucifer
Pingebat violas; Tulipa flammeis
Fulgebat radiis; Lumine candicans
Narciſſus niveo, Roſque maris virens
Ridebant ſpecie frontis amabili;
Illic Schythoniâ candidius nive
Splendebat patulo vertice Lilium;
Et fragrante Crocus ſidere pulchrior,
Armatiſque minax ſtipitibus Roſa,
Cunctarum locuples copia narium,
Spergebat gravido delicias ſolo.
Sed nullo placuit Lumine Floſculus:
Nil mulcere viri, nil valuit gelu.
Et Frigus rigidi ſolvere pectoris.
Brumæ triſtis hyems & glacies iners
Vrgebat ſolidâ durioie jecur.
Ergò dum graditur pectore frigido
Per campos virides, prataque pinguia,
Et ferrugineas ad violas gradum
Intendit placido lumine *Koldius*.
Conſpexit Roſulam ſurgere fuſcidam:
Quâ non Nobilior melliſluis comis,
Non halante animâ ſplendet in hortulis,

Quos

Quos per prata colit Flora Leonia.
Et Mox: Hic roſeis ridet ocellulis,
Hic carpendus, ait, pollice floſculus:
Qui torpens animi diſcutiat gelu.
Vt pulchrum tenero contigit oſculo,
Divinumque bibit nare, oculo Decus,
Flagravit rapidis *Koldius* ignibus,
Diſpulſoque animi frigore languidi
Infudit roſeis ſe calor oſſibus.
Hoc *Henrice* Tibi *Neuhuſii* Patris
Gratatur niveo pectore Filius.
Tu nunc Florigero floride Floſculo
Flore, *Henrice*, diu Floriparo thoro;
Atque illo recrea pectora Frigida:
Donec perpetui, quod *Deus* audiat,
Aurâ te ſatures cœlite Floſculi.

Præceptori ſuo quondam,

AVGVSTINO HARINGIO,

Ex Febre quartanâ laboranti.

SIc tu Palladiæ, Præceptor docte, juventæ,
Febrili miſerè toſtus ab igne jaces?
Et tibi lethiferis minitans Mors atra ſagittis
Carmina fatalis concinit ore rogi?
Tu nunc corde mihi toto dilecte Magiſter
Eheu! vitali lumine caſſus, abis?
Clara Leoninæ pubis quis frœna capeſſet,
Te Duce ſublato funeris ante diem?
Quis novus Aoniâ fulgebit in æde Magiſter,
Atque iterum obſequiis quem vaga turba colet?
Flectere laſcivam res eſt non parva juventam,
Claraque præcipitis ſceptra tenere chori.
Huic, precor, æternũ Medicam fer Numen opellam,
Et tua Majeſtas leniat arte malum.
Adſpice præclarum ſtudiis & Pallade Myſtam,
Extremum vitæ ducere penè diem:
Quem Pietas excelſa virum commendat, & illa
In niveo ſtabulans pectore rara Fides.

Tu cohibe centum lethalia fata catenis,
 Ne mors in Muſas ſtringat avara manus.
Publica ſe credunt tali ſub tegmine fata,
 Gloriaque hoc rerum nititur ipſa jugo.
Ille, ſactum teneris annis inſtillat amorem,
 Et Pubem informat Relligione rudem:
Qui docet Auſonias magnâ gravitate Camœnas,
 Exſuperet ſeros Neſtoris ille dies.
Parce, precor, pœnis gravibus mitiſſime *Ieſu*,
 Languidaque afflictis erige membra toris.
Da nova luxatos iterùm vis roboret artus,
 Pallidaque informis deſerat ora color.
Sic iterùm Aoniæ peragent ſua penſa cohortes,
 Largior & ſacro copia fonte fluet.
Sic me Cœlicolûm faciet clementia vatem,
 Et meritò numeris Numina magna canam.

Carmen valedictorium,

Ad Doctiſsimum Praſtantiſsimumque virum-Iuvenem,

ABRAHAMUM vander BRUGGE,

Hago-Bat. Med. Amicum ſingul.

Cum Cadomo Gallorum Salmurium concederem.

Diffûgit rauco mugiens Aquilone,
Et Scythicis albeſcens Hyems pruinis;
Nec duplicat noctis Capricornus umbras,
Aut triſtis procellas agitat Orion.
Iam ſuos Aurora niveos jugales,
Submerſis noctivagæ Brumæ tenebris,
Explicat corniger per aſtra Tauri,
Iam tellus ceſpite purpurat fœcundo,
Et vellere Aries inſignis ſuperbo
Floriparam reducit anni Iuventam.
Vixiſſe Cimmeriis ſat eſt cavernis,
Vmbriſque parietis fuliginoſi.
Liber diutinos ſpiritus cancellos
Oditque moras, nec unicam Minervam

Vnumque

Vnumque ſolùm ſolem juvat luſtraſſe.
Vrgendus alacri ſtimulo caballus,
Et latè per ſylvas ſonipes agendus.
Quà Liger celebres alluit Turones,
Tumiduſque ſcatet montibus Avernis,
Quà dives profundo gurgite Garumna
Iugo præcipiti labitur Pyrenes,
Vndiſque Burdigalam & lambit Toloſam;
Quà fluit Alpibus Rhodanus nivoſis
Non procul Danubio & Rheno bicorni,
Ararque lentus & tot fontes ſereni
In ſinus commeant Tethyos aquoſæ.
Huc feſtinandum curſu citato, bellax
Sternendus Æthon, qui volucres ſagittas
Et Notos Euroſque antevolet furentes.
Iam fervidam reſtinxit ſitim Somona
Frugum fœcundus, & epulas indulſit
Axona nobis, claris Matrona ripis
Ad murmur dedit ſtrepentis undæ
Dulcem ſub viridi gramine ſoporem.
Nec tuas conveniet ſilere laudes
Algia tumentis Siceræ potatrix,
Mirifico dignata Belgas amore.
Valete fluminum margines amœni,
Tuque florentis qui Neuſtriæ fœcundas
Olena ſegetes nobilis inundas;
Et claram Cadomenſis Muſæ palæſtram
Rigas marmoreis undiquaque lymphis.
Vale propitium ſtudiis Lyceum,
Et Cecropiæ auguſta domus Minervæ,
Tot benigna eruditorum altrix Virorum,
Doctum Normanniæ hoſpitium Iuventæ,
Ac meorum dilecta ſedes laborum.
Fallor? & Oreſten Pylades retardat,
Fugæque compedes injicit Sodalis,
Ardorque ſingularis candidæ virtutis
Et ſacro pectus Apollini devotum?
Tua tot uſibus pietas probata,

Tot Fides exemplis certa manifeſtis,
Heu! nunc adamantinos ſolvet amores?
Te novem ſplendidum Decus ſororum,
Artium centum caput, Olenæ circum
Solus deges receſſus; Nos Pyrenæos
Dum remotiorem & petimus Garumnam
Ligeriſque tractum? Tu dulces penates
Hagæque Numen Naſſovium reviſes,
Dum nos dilectos deſerimus propinquos;
Tu longis defeſſam ſpatiis Minervam
Decoram triumphis in portum reduces,
Me cura Pieridum dura fatigans
Per turbulentas ire coget procellas?
Heu! quantis diſtamus lineis amantes,
Quot ſcopuli, quot ſaxa Cerauniorum,
Quot juga montium, quot fontes aquarum,
Sylvæque truces & cavernæ latronum
Dulces amicorum dirimunt lepôres.
Quid de blanditiis animi benignis,
De tot ſequetur ſalibus eruditis?
Solus in vulgi vitia, criminumque
Fœdas diſtringam labes linguæ ſecurim?
Virtutis agam ſolus Encomiaſtem,
Et quas proſcindere vitiorum turmas
Peſteſque maligni tetricas popelli
Solemus unà, nunc unus voce plectam?
Tu magnarum ſupremus cultor Virtutum,
Acriſque & ſeverus Cenſor vitiorum,
Non contra formidas ſcelerumque cataſtas,
Ut vulgi inſanientis ritus profanos
Armatum Eloquii ſtringere mucronem.
Audax tenebricoſæ noctis graſſator,
Et temulentæ mancipium tabernæ,
Æris paterni redituſque decoctor,
Aleæque improbæ luſor famoſus,
Et boni rectique negligens amator,
Omnes te vapulant rigido Cenſore:
Sperate Belgæ Martis inter triumphos

Clarum

Clarum generoſæ virtutis trophæum,
Vberemque Aoniæ meſſis proventum.
Pulchra Batavici ſanguinis propago
Haganæ nobilis ſurculus Iuventæ
Grande Machaoniæ decus catervæ,
In monſtra nequitiarum, Hydraſque pugnat
Inſtar Domitoris Herculis ferarum.
Vltimum tibi VALE, Comes dilecte,
Clarum Phœbææ delicium Camœnæ,
Charumque Belgicæ corculum Iuventæ,
Gallorum Normannico dicam ſub axe?
Inſignis fidei dexterà tremiſcit,
Diffluit lacrymis animus obortis,
Impeditque dolor nimium crudelis
Dulcem proſcribere verſibus Achatem,
Dum velivolæ favet æther carinæ
Spiratque puppi Favonius remiſque.
Dum tuis lauros honoribus Apollo
Nectitque formoſam Liliis coronam;
Dum Batavi domitis ſuper Iberis
Hoſteque fugato celebrant triumphos,
Me dolor metuſque gelidus fatigant.
Plus juvat fidiſſimus domi ſodalis,
Cultorque virtutis candidus honeſtæ;
Quàm mille loquaces ſonitus tubarum.
Tu verò compeſce, NEUHUSI, dolorem
Atroſque luctus, inquis, & alternantis
Ordinem ſortis perfer mente virili.
Non Abylen Calpenque Africæ vicinos
Vltimæque Europæ Tanain remotum;
Aut Pindi jugum, & Theſſalici cacumen
Olympi, Stymphalique verticem Epiri,
Idamque Rhodopenque ſcandes nivalem.
Tu littus incoles Belgio vicinum,
Celtas Galloſque deges inter facundos,
Ad primos Alpini nemoris receſſus.
Aut Caledonias emenſus charybdes,
Et paucos proximi ſcopulos Britanni.

Natales repetes Friſiæ penates.
Tu juxta Caranthoni & Sequanæ ripas,
Ligeriſque beatum murmur ſtrepentis
Trahes faventibus ſpiritum Camœnis.
Me rurſus domeſticæ nidor culinæ,
Faunúſque forſan afficiet Haganus,
Brevique Moſellæ Vahaliſque potor,
Et Rheni tranſcribar accola Riphæi.
Fac fortiter feras, quod ferre neceſſe eſt,
Fortunæ præparans animos ſiniſtræ.
I, quò Te felix aura vocat Fatumque,
Quò trahit nobilis Genii cupido.
Tu quos Phœbæo ſperas pulvere honores
Laudeſque ſempiternas famæ perennis
Maturet provehatque favor Divinus.
Annuat votis, precor, dulcis Amice,
Arbiter mundi potens, nutuque noſtram
Regat ſancto Camœnam, & mitis fœcundet
Creſcentes Aonidum fluctus Muſarum,
Sic felix remigrans Batavas in oras
Tecum nectareis epulis Amorum,
Quibus carêre grave eſt, veſcar jucundè.

Pio Doctoque Viro,

IOHANNI BACKEMVDE,

Quondam Præceptori amantiſſimo.

CHare Vir, Aoniæ pubis venerande Magiſter,
Perpetuum debet cui mea Muſa decus:
Credita prima tibi noſtræ eſt Infantia vitæ,
Parſque Iuventutis legibus acta tuis.
A teneris animæ morum præcepta dediſti,
Diſcutiens oculis nubila cœca meis.
Quid tibi nunc medii ſpatium provectus ad ævi
Pro tantâ officii ſedulitate feram?
Mittere nil majus quam dona poëtica poſſum,
Ipſe quibus Superûm conciliatur amor:
Et ſua poſteritas Majorum facta decuſque
Sæpius æternâ luce reperta legit.

Laurigeri

Laurigeri Vates hac ſolùm parte litârunt,
Munera cum cenſus non meliore daret.
Mœonidem duris premeret cum rebus egeſtas
Carminibus pretium fecit habere ſuis.
Naſo Tomitanas exul projectus in oras
Munere pro magno carmina ſola dedit.
Cætera conſumit tenebris ingrata vetuſtas,
Effugiunt avidos carmina ſola rogos.
Carmina victuris donant poſt funera laudem,
Ingenuoſque negat poſthuma Suada mori.
Me quoque non pudeat digno pro munere verſus,
Et dare pro magnâ carmina dote tibi.
Fata favorque velint præſtans, *Bakemude*, Magiſter,
Carminibus vivas tempus in omne meis.

PETRO VIGELIO, Sueco.

Cum Franekeræ Friſiorum I.V.D. ſalutaretur.

FAlsò jam Gothicum Tympana Militem
Martiſque horriferas fulminei minas
Et pugnæ lituos effugere autumat
Pantolabus Scelerum miniſter.
Nemo belligeris plus valet Artibus,
Nemo vulnificum fortius exerit
Enſem; nemo magis Romulidum invidet
Caſum aleæ populo faventis.
Totis Heſperidum gens tremit artubus,
Nutantque Imperii nunc Babylonici
Faſces ſanguinei, ter miſerabilem
Porca ſubit Tiberina cladem.
GUSTAVUS Lybiæ littora torridæ,
Et ponti gelidos Sarmatici ſinus
Victor ter geminis implet honoribus,
Quos ſpatioſa canet vetuſtas.
Non fama aëreis clauditur Alpibus;
Aut ſylvæ rigidis Hercyniæ jugis.
Laudes cæruleus concinit Albion,
Danubii Rhodanique potor.

Miles remigium Cæſarii Alitis
Incidit validâ cuſpide Suecicus.
Stagnat Barbarico ſanguine & Odera,
Oſſibus & ſatiatur Albis.
Sat jam terribiles Chriſtiadum in gregem
Vngues expediit Beſtia fulminans:
Sat belli evomuit lethiferi faces
In Davidem Babylon ſuperba.
I fauſtis avibus Dux Bavarûm ſacer
Ad ſperata diu regna Bohemiæ:
I curſu facili Gloria Teutonum,
Ad veteres iterum colonos:
Terris exoritur Sol Borealibus
Nigro diſcutiens æthere nubila:
Et nunc ira Dei judicis æſtuat
Fervida Cæſareis rapinis.
Diffunde auſpiciis Sol novo candidis
Lucem de Gothicis finibus auream;
Cyri & Teutonici militiam bonus
Promoveat Deus Iſraëlis.
Falsò poſteritas inſimulat Gothos
Amentis cerebri: Gens Scythiæ ferox
Olim Barbariâ peſtiferâ ſacris
Auſoniis maculas inuſſit.
Ceu Rex Aoniâ clarus adoreâ,
Martis Laurigerâ conſpicuus comâ,
Et virtute piâ ter venerabilis,
Occupat Heſperium cubile:
Regis ſic populus pendet ab indole,
Multùm Caſtaliis fluminibus madens,
Doctuſque alipedum ſcandere verticem,
Antevolans celeres ſagittas.
Hoc laurum meruit ſanguine Deliam
Pallas, Friſiacis quæ reſidet jugis.
Quid ni Roma Gothis præmia deferat,
Et gelidum veneretur axem?
Clarâ Vigelius nobilis indole,
Centum & Cecropiæ Palladis artibus,

Suadâ.

Suadâque Auſoniæ mellifluâ potens
Sufficit ad Patrios honores:
Hic Doctrina, Pudor, Iuſtitiæ & Soror
Incorrupta Fides conſociant opes:
Hic Mores nitidi, Gratia, Veritas
Dædalio ingenio renident.
Dignata eſt geminis Gallia laudibus
Suavem Neſtoriæ vim ſapientiæ
Vincire Aoniis tempora frondibus
Occiduus voluit Britannus:
Claris Ingenii dotibus annuit
Dudum Leida, ſacer mons Heliconidum.
Quem dulcis recreat Scaligeri lepos,
Suadaque Lipſiadis Camænæ.
Quas grates igitur FRANICA debeas
Amplis VIGELII muneribus rogas?
Aſtrææ titulos, Patritii Togam,
Gemmiferam & capiti Coronam;
Quod Celtæ, Batavi, quod petit Albion;
Quod votis flagitat Gens Aquilonia,
Illo Pindaricæ mentis acumine
Friſiacæ celebrantur urbes.
Gaude Pieriis Patria laudibus,
Et gratare tuis Fata Nepotibus:
Suecâ VIGELIUS natus origine
Franagriam decorat Themiſtam.
Nec nos fama ſacræ Melpomenes fugit,
Olim propitiæ ſub Iove frigido.
Sunt & Cujacii, ſunt veteres Fabri,
Quos Gothicus veneratur axis.
Lœtis ergò animis VIGELIUM Themis
Sacrum Iuſtitiæ legit in ordinem,
Nec vidit Dea, quem condecoret magis
Laureolis hederâ revinctis.
Quantis inſonuit Cynthia gaudiis;
Quantis intonuit Gratia plauſibus!
Auguſtum meritò carminibus diem
Ingenioſa dedit Iuventus.

Fortu-

Fortunata Fori Pulpita! Queîs vigil
Cuſtos *Vigelius* perpetuò excubat,
Quo non trux rapido de grege bellua
Dentem acuet miſerum in Pupillum.
Hic vindex ſcelerum, Iuris & Arbiter
Pœnas flagitiis, præmia laudibus
Æquâ lance feret, nudaque Veritas,
Atque Fides ſibi labra jungent.
O ſi larga foret copia talium!
Qualem diſparibus Muſa canit modis.
Non ſic luxuries & gravis Ambitus
Peſtiferum ſererent venenum.
Hanc vates tenui pectine gratulor
Sortem *Vigelio*: Quem Patriæ Deus
Servans incolumem, mactet Honoribus,
Et Gothicis decoret Triumphis.

HENRICO MOLL.

Summum in Medicinâ gradum capienti.

ERgò Machaonias, *Henrice*, exculte per artes
Ardua conſpicuis laudibus aſtra petis.
Palladii præſtans animis atque inclyte Lauro,
Clara Triumphator præmia Martis habes.
Te nunc Aoniæ vallant circùm agmine Muſæ,
Et ſonat in laudes docta Thalia tuas.
Aurea veſtirent fulgentes dona Capillos,
Laurea Pierio ni magis apta choro,
Victores hæc dona manent, quos Martia Virtus
Nobilitaſque armis parta manuque juvat.
Pierides doctæ, ſacrique Heliconis Alumni
Cingite florentes fronde virente comas.
Laureolâ roſeam Doctoris cingite frontem,
Frontis honoratæ quæ ſolet eſſe comes.
Illum non ſacris ſtudiis inimica Voluptas,
Aut malus à recto tramite flexit Amor.
Sirenum cantus inter caſſeſque latentes
Præteriit ſurdâ providus aure dolos.

Non

Non glacialis hyems, rigidi aut vis flammea cancri
 Inviſas Phœbi fecit habere domos
Non illi oppoſitis fallax Ignavia caſtris
 Diſſuaſit veræ Nobilitatis iter.
Vt rabidos perfert Rupes interrita Cauros,
 Et validum in medio gurgite robur habet:
Haud aliter ſcelerum ſurgentibus undique nimbis
 Inſtabili nunquam ſubſtitit ille gradu.
Caſtalios igitur merito Parnaſſia ſuccos
 Prompſit inexhauſto flumine Muſa tibi.
O præſtans animi Iuvenis! quem nulla ferocis
 Traxit in ignotas indolis aura vias.
Vota fides ſequitur: rerum bona copia quævis
 Depluit in fauſtos æthere miſſa ſinus,
Siderium niveâ pulſas Virtute Bootem
 Multum Pœoniis nobilitate bonis.
Gratulor auguſto tibi miſſam à Numine ſortem,
 Et partum ingenuo nobile Marte decus.
Vive diu felix, claroſque Machaonas inter
 Alis Ingenii ſcande ſub aſtra Poli.

IOHANNI BRUNSFELTIO,
Theologicè Diſputanti.

CAndidam virtutis arcem, aut veritatis
Fidem tueri, ſceleratos tot inter
Sæculi mores, Atheoſque malignos,
Et pravos divinarum rerum Cenſores,
Res eſt, *Brunſvelti*, plena periculorum.
Vides quàm dextrum latus; Illinc ſiniſtrum
Turba calumniantium Furiarum
Armata lethalibus petat ſagittis.
Quotve truces catervæ ſacrilegorum,
Quot Divinarum Oſores Legum ſuperbi
Infeſtent dilectam ſobolem Davidis.
Hic armis bellique machinis cruenti
Defendit aras, & priſcos Idololatra-
Propugnat ritus, nec ſuæ ſalutis
Pudet operibus pretium mereri.

Hic

HENRICO VVESTHAVIO, Geld,

Cum in Illuſtri Friſiorum Academiâ

L. A. M. renunciaretur.

PAr pecori muto, projectâ & vilior algâ;
Socraticas ſpernit qui male ſanus opes.
Indignus, tribuant cui poſtera ſæcula laudem,
Et clarum ingenuâ nomen ab arte ferat.
Ille ſalutiferæ gradiens ad tecta Sionis
Icario vetitum tramite calcat iter.
Divini indoctus reſonare encomia Verbi,
Impuro ſacras polluit ore dapes.
Sive opus eſt legum dubios evolvere nodos,
Et clara Auſonii diſcere jura Fori;
Pœoniam aut artem ſtudio tractare fideli,
Votivâ reparans debile corpus ope;
Seu regere arguto populos ſermone furentes,
Doctave Pindaricis edere verba ſonis;
Perpetuò noctis terrâ caligat in umbrâ,
Et nulla Ingenii fert monumenta ſui.
Conſilio regitur clavi ceù naufraga puppis,
Enatat & ſalſis feſſa carina vadis:
Sic Sophiæ ductu celſum metimur Olympum,
Et mens ætheriis redditur æqua Diis.
Illa rudes Hominum mentes Rationis in uſum
Format, & à vili corpora tollit humo.
Illa bonæ cuſtos vitæ, morumque Magiſtra
Virtutis roſeo ſplendida ſole nitet.
Illa ſuos Lauro viridi dignatur Alumnos,
Et facilem oſtendit celſa ſub aſtra viam.
Illa vagos rapidæ ſortis faſtidit honores,
Ingenii ſolum nobilitata bonis.
Indociles animi! Sophiæ qui lumine ſpreto
Scanditis Aonias per vada cœca vias.
Felix *VVeſthavi*! ſolidâ qui nomen in arte
Ante quater vitæ luſtra peracta refers.
Docta Sophocleo celebrat quem Muſa cothurno,
Et verum agnoſcit ſacra Sophia Sophum.

Hic

Hic faciles ſignans aditus ad Apollinis arcem
 Sublimi vehitur celſa per aſtra jugo.
Ambroſios fundit latices ubi docta Minerva,
 Et vivo irrorat pectus & ora lacu.
Fallor? & auguſto prognatus ſanguine Divûm.
 Pieriâ ducis nobile ſtemma domo?
Omnia ſolertis ſcrutaris acumine mentis,
 Et multâ ſuperas cognitione ſenes.
Abdita Naturæ Ingenio ſecreta revolvens
 Siderei ſcandis lucida regna poli.
Vnde ſuos ortus Titan deſumit Olympo,
 Et rutilas ſpargit Cynthia blanda faces?
Prælia ventorum vires unde horrida ſumunt,
 Et quatit attonitos aura maligna Polos?
Cur toties celſas infeſtant Fulmina turres;
 Et cœlum ſciſſâ nube repente tonat?
Murmure cum trepido Tellus concuſſa tremiſcit;
 Igneaque horriferus perſonat aſtra fragor?
Denſa ſerenati laxant cur frigora ſoles;
 Cogit & in nubes æthera triſtis hyems?
Tu rerum nôſti Iuvenis Doctiſſime cauſas,
 Et vigili cœlum mente ſolumque tenes.
Non Logicæ titulis incedit clarior alter,
 Et Sophiæ doctâ fulget ab arte magis.
Quicquid Ariſtoteles tenebris incluſit opacis,
 Ramus & in clara luce videre dedit.
Omnia divinis oculis ea pectoris hauris,
 Eximiâ ingenii dexteritate valens.
Adde, quod Argolico ſatiâris pectora fonte,
 Et magni teneas Myſtica ſacra Dei.
Fas igitur fuerit mihi Te vocitare *Magiſtrum*,
 Ter reliquis doctâ qui *magis* arte ſapis.
Hoc tua promeruit virtus, ſacriſque Minervæ
 Dædaleæ ſtudiis addita multa dies.
Vive Togâ dignus voveo, capitiſque Coronâ,
 Et felix cœptis annuat aura tuis.

ABRA-

ABRAHAMO OVERNEIO,

Nunc V. D. M.

DVlcia Pieriis conſumens otia Muſis
Aſſeris eximiâ cum Pietate fidem.
Quicquid Apoſtolici comprêndit pagina Verbi,
Fatidico & ſapiens ore Propheta docet.
Nocturnis verſas ſtudiis vigil atque diurnis,
Sedulus & tractas Myſtica ſacra Dei.
Impia Schiſmaticæ damnans contagia turbæ,
Hæreticos contra fortiter arma geris.
Quis furor iſte tuus quo clarum pectus inardet?
An Sacer inſtillat Spiritus iſta Dei?
Credo equidem in Satanam jam fervet Iudicis ira,
Et vindex odit templa profana Deus.
Vtitur humanis in prælia ſæpè lacertis,
Et Suadæ Eloquio vendicat ille ſuos.
Pars tibi Divinæ debetur maxima laudis,
Vulnera pro ſacro qui grege nulla times.
Cœlitùs adſpiret Bonitas ad pectora Divûm,
Angelus & ſacro flamine cœpta juvet.

BERNHARDO AQVILÆ,

Nunc V. D. M.

CErnis ut inflatis Meretrix Babylonia buccis
Spicula Vipereo ſublita felle ferat.
Tartaream ut denſet ſobolem Cocytia Virgo,
Plutoniſque ferox mugiat ira domo,
Hîc Tiberina ruit ferratis Porca maniplis
Sanguineam eructans ore furente facem,
Illic noctivagis ſociis comitata Megæra
Exerit Ætnæo fumea colla vado.
Scilicet Iſacidum genus alto à ſanguine Regum
Infamis ſcelerum poſcit ad arma cohors.
Proſpice ſidereâ tandem de ſede, Creator,
Horriferaſque furens igne perure feras.
Et Scorto devota manus; Gens fœderis expers
Romulidum, ſubito corruat, oro, metu.

Macte

Macte *Aquila*! impavidus Chriſti qui tendis in hoſtem
Dura Sionæo pro grege bella gerens.
Perge illi calamo, ſeu linguâ intendere mortem,
Divinumque piè perge juvare Decus.
Infremat umbroſo Latrator Cerberus Orco,
Terreat & gelido Pluto Acheronta metu:
Tu ne cede malis, nec pacem poſce Tyrannos:
Sæpè ſub addictâ toxica fronte latent.
Durities Vrſina tibi eſt, Aleſque miniſtrat
Regia vulnificis unguibus arma minax.
Illa ubi falcato nequit ungue ictuque ſceleſtam
Vincere Romanæ vim rabiemque Deæ;
Inflammet Martem cœleſtis buccina verbi,
Intonet & ſacris vox tremebunda choris.
Sic ruet æternis Babylon cumulata ruinis,
Tuque triumphali ſidera laude petes.

GILBERTO VERSPEECK,

Nunc Secretario.

IAm redeunt blandi genialia tempora veris,
Frigidaque Arctois occidit Vrſa plagis.
Iam recreat gelidis Aries pro Piſcibus annum,
Atque iterum, pulſâ Pleiade, Taurus adeſt.
Non jam terribiles portendit Aquarius imbres,
Nec ſata damnoſis proluit Hircus aquis.
Iuppiter emenſus bis ſidera ſena quadrigis
Tempora nocturnis æqua diurna facit.
Tityrus umbroſæ recubans ſub tegmine fagi,
Lanigeras viridi gramine paſcit oves.
In venerem laſcivit humus, pulchraque venuſtam
Lautitie ſobolem parturit almus ager.
Florida florentes contexit Flora coronas,
Ad nova jam Faunos gaudia voce vocans.
Tota coloratis ludit Natura figuris
Et vita in ſenſus, pulſo Aquilone, redit.
Aëra quæ pennis feriunt; quæque Æquora pennis,
Dulciloquis aptant tempora verna modis.

Tunc

Tunc etiam, melior quem mens Ratioq; gubernat
  Tollis Homo vivâ voce ſub aſtra Deum?
Credo equidem rigidis genuit te cautibus horrens
  Caucaſus, & mammis nutriit Vrſa ſuis.
Aut pleno ſuccos, inter ſpælæa ferarum
  Quos dederat nutrix ubere, Tigris erat.
Tu, *Gilberte*, pius ſtimulat quem plauſus honorum
  Primitias animi vere calente refers.
Sunt tibi magnorum curæ Donaria Divûm,
  Nec potes ingratâ commoda mente pati.
Poſt vigiles ſoles damnoſaque ſidera noctis
  Fruge Cleanthæâ Laurea ſerta feres.
Quæ tacitis animi Virtus ſeſe abdidit umbris,
  Virtus jam roſeâ luce ſerena nitet.
In ſobolem exundat ſtudiis mens fœta Minervæ,
  Floridaque Ingenii naſcitur arte ſeges.
Non Domino effœtæ fæcem viruſque ſenectæ;
  Sed florem & vitæ robora prima ſacras.
Vos, precor, æthereo Dii Florem adſpergite Rore,
  Nec pulchras violet mors niſi ſera comas.
Expectat tales dudum Reſpublica fructus,
  Heu! nimium multis quæ ſcatet arcta malis.

In Obitum
Florentiſſimi Iuvenis,
IACOBI CRONENBURCH,

SIc Te *Sodalis* Mors fera ſuſtulit
IACOBE? primis quem mihi candida
Virtus Achatem fecit ab unguibus,
Moreſque recti, mentis & integræ
Candor probatis junxit amoribus.
Tu nunc juventæ robora floridæ
Primamque vitæ demetis Atropos
Infanda meſſem? Non gena lacteis
Conſerta labris; non coma purpurans;
Non ſuada linguæ dulcis, & artium
Doctrina præſtans vim rabidam trucis
Declinat Orci? ſæva Neceſſitas

Fatique

Fatique peſtis corripit omnia?
In mente verſat qui ſcelus impium,
Spurciſque gaudet qui vagus otiis:
Quem nulla Divis obligat æquitas;
Aut veritatis ſancta modeſtia,
Hos Parca tecum defer ad Inferos,
Nigrique damnes ad vada Tartari.
Sic non ſepulchri, Dulcis Amicule,
Submerſus umbris, ter venerabilis
Florem Iuventæ mors violaverit.
Sed ſumma Minos Sceptra Ligonibus
Crudelis æquat. Serius, ocyus
Omnes ad unam tendimus orbitam.
Non alma virtus, non Pietas moram
Adfert ſenectæ. Relligio, Fides
Vno vocatæ funere tranſeunt,
Fruſtrà ciemus pectore lacrymas
Fletuque triſtes proſequimur rogos.
Felix! ſalutem qui ſibi poſthumam
Proponit æquus, Fataque computans
Lucis ſupremæ, qui didicit mori.
Tu nunc caduci carcere corporis,
Iacobe, liber, gaudia poſſides,
Quæ nulla Lethes vis ſibi vendicat,
Dignus *Coronâ* cœlite perfrui.

Seni Venerando,

D. GEORGIO PASORI,

Cum ex Germaniâ reduci uxori adventum
fauſtiſſimum gratularetur.

FAuſta ſerenato tibi lux deſcendit Olympo,
Poſt tot ſollicitæ fata ſiniſtra domus.
Hactenus innocuæ dulci ſine compare vitæ
Vixiſti viduo mœſtus inerſque toro.
Solus in ignoto cubuiſti frigidus orbe,
Spes ubi conjugii tota perempta fuit.

Longè

Longè aberat fido fidiſſima Conjuge conjux,
 Forſitan Auſtriacis prædaque facta lupis.
Plurima dilectam repetebant vota maritam,
 Nec precibus finem noxque dieſque dabant.
O quoties ſomnis jucunda recurrit imago
 Conjugis, & fictus pectora luſit amor!
Sæpè ſub obſcuræ tetrâ caligine noctis,
 Talia ſollicito pectore verba dabas:
Chriſte, precor, vitæ dulcis mihi gaudia redde,
 Redde Deus ſocii gaudia læta tori.
Redde animum vireſque tuo pia Iuno marito,
 Ne fallant oculos ſomnia vana meos.
Frigida canities capiti jacet inſita noſtro,
 Rugaque deformes inficit atra genas.
Ergò veni, ſi quæ capiat te cura mariti:
 Per quoque te hos oculos, oro, marita veni.
Sic aberit fato crudeli longius ætas,
 Et fluet à multis libera vita malis.
Aut ſi non liceat parcas inhibere malignas,
 Lentaque vulnificis ponera fræna rogis:
Gratius eſt niveis in amatæ conjugis ulnis
 Extremum vitæ claudere poſſe diem.
Audiit alma pii ſuſpiria Iuno mariti,
 Et dedit adventus conſcia ſigna ſui.
Luna revertentes cum primùm legerat ignes,
 Et ver dædaliâ pingeret arte ſolum.
Vellere cum gravidos Aries conſpergeret hortos,
 Et nondum fureret vis rabioſa canis:
Iuno peregrinâ tranſvecta per æquora puppe
 Franagrios ſubiit delicioſa lares.
Vxor adeſt venerande Senex; tibi reddita canæ
 Altera ſpes vitæ cælitus, uxor adeſt.
Illa graves animi curas moleſque laborum,
 Sollicitique fugat tædia longa mali.
Illa viri fractos ſenio corroborat artus,
 Sopitoſque diu luminat igne focos.
Illa ſalutifero querulæ medicamine vitæ
 Nubila diſpellit, fataque dura levat:

O Ill-

Illa tibi lautæ componet fercula menſæ,
Et Genium dulci paſcet amica mero.
Plurima jucundæ vitæ ſors otia ſpondet,
Gaudiaque ubertim ſera ſenecta dabit.
Plaudite Teutonicæ Nymphæ: nova ducitur Vxor
Tithono: Pylium nunc Venus urit amans.
Felix! exuvias veteres cui contigit atri
In colubri morem ponere Sole novo.
Læta tuas, Vir clare, beant nunc omina tædas,
Largiter & pleno gaudia fonte fluunt.
Publica privatis jungentur commoda rebus,
Et magis Ingenii luxuriabit ager.
Invida Cæſareos odit Bellona triumphos,
Incipit & melius fidere ſponſa Dei.
Excitat afflictos iterùm *Guſtavus* ad arma,
Qui monet amiſſis ſpem reparare bonis.
Hac Tibi, mi *Paſor*, lætâ ſub imagine rerum
Depluit in fauſtos dulcis Amica ſinus.
Gratulor auſpicium ſacroſque Cupidinis ignes
Conjugii pulchro lætus honore novi.
Vive diu vitæ ſociâ cum Conjuge felix,
Et ſuperet Pylios bis data Sponſa Senes.
Nulla dies placidos iterum diſſolvat amores,
Nec ferus in thalamos hoſticus enſis eat.
Vnâ perpetuùm incolumes coaleſcite carne,
Et nova proliferi ſint, precor, orſa tori.

Gratulatio Nuptialis
Ad
D. PETRVM de VEEN, Med. Cand.
Cadomi-Gallorum, 1632.

IAm tibi Pierias, Iuvenis clariſſime, Lauros,
Iam meritum virtute decus, ſpoliumq; Minervæ
Inclyta Borbonii ſpondebat Muſa Lycei.
Thurea Pegaſides adolebant munera ſacris
Fornicibus, jam mille animi ſolennia votis
Feſta propinquarant. Tyriis inſternitur Oſtris
Purpureis

Purpureis atque ara roſis, lætoque Helicone
Dulcia Mæonius promulgat gaudia vates.
Nunc aderat feſtiva dies, quâ tempora circum
Penderent formoſæ hederæ, Myrtuſque fluentes
Ambiret Phœbæa comas, apicemque ſupremum,
Et fulvam Auſonio radiantem murice pallam,
Pro meritis magnorum operum, donaret Apollo
Qui titulos Phœbo nomenque Machaone dignum
Virtutum cum dote refers, cui tota ſupellex
Pœoniæ explorata domus. Penetralia Veſtæ,
Et Cereris rimaris opes, perque omnia doctus
Herbàrum calles Medicas in corpora vires.
Adde, quod ingentes animo Sapientia dotes,
Et Muſis operata dies, ſtudiumque Minervæ
Addiderint. Rerum ætatem Prudentia major,
Atque annos præcurrit honos, quæſitaque longis
Gloria terrarum ſpatiis ſeſe exerit ultra
Siderios porrecta polos. Iam Gallia Belgis
Invidet, & propriæ damnans jejunia terræ,
Pindarico Batavûm modulatur pectine laudes,
Miraturque ſuos peregrinâ in gente lepôres.
Sed jam tempus erat Phryxæum è Colchide vellus
Ad Patrios deferre tholos, Martiſque trophæum
Palladii ſeris tabulis mandare Nepotum.
Tertia nunc cœlo maturis meſſibus æſtas
Imminet: hybernæ bis frigora tacta pruinæ;
Quo procul à patriâ peregrinis vivitur oris.
Dudum chara monet reditum materque ſororque
Impatiens tolerare moram, lentoſque propinqui
Incuſant ſoles, Zephyros ad vota vocantes
Feliceſque Notos & blandi murmura venti.
Dum parat in patriam reditum, ventoſq; precatur
Propitios, ſurgit populis ſententia diſcors.
Hinc Belga externo repetit de ſidere prolem,
Illinc Francigenûm tantæ Gens invida laudi,
Contendit Batavæ florem decerpere pubis.
Sub dubio pendens libratur Iudice cauſa,
Et ratio diverſa probat; Pars utraque pugnam

Pro virtute gerit, magnarumque æmula rerum
Altera vicini, proprias petit altera meſſes.
Accenſis utrimque animis ardentius urit
Livor, & in formas vertit ſe, ut Proteus, omnes.
Blanditiis pugnare libet, ſi cauſa laborat
Et votum ſperata negant; Facundia doctos
Inſtruit arte dolos, Phœbæaque Numina contra:
Siccine tu noſtras, Juvenis Clariſſime, terras
Inconſtans in amore fugis? Sic Celtica ſordet
Muſa tibi, pœnaſque Diis pro munere reddis?
Sic noſtri tibi ſuaſit amor, Fratremque fefellit
Perithoum ſimulata fides, Niſumque propinquus
Deſerit Euryalus, ſocioſque ejurat amores?
Iſtâ lege vetat Pietas perſolvere grates
Et pacti ſincera fides. Age lintea retrò,
Et volucres remorare rates. Non extera tellus,
Sed te noſtra vocat: roſeo quæ flore juventam
Induit, & pulchrâ pinxit lanugine malas.
Hìc liceat placido mecum conſiſtere portu.
Hìc ducenda tibi lætæ ſunt otia vitæ.
Quid poſitum Oceani longè trans æquora cœlum,
Quid Patriam meditaris humum? Non te horrida ter-
Prælia ventorum, rapidique incendia Ponti? (rent
Non maris irati furiæ, non hoſtica claſſis,
Dura procelloſis non ſaxa latrantia ventis
Attonitam gelidâ quatiunt formidine mentem?
Quin age Franigenûm Sceptris hunc defer honorē,
Belgarum laus ampla ſatis, ſat dives honorum,
Palladiis ſat fœta Viris. Communia rerum,
Et Pacis nos vincla ligant. Disjungimur uno
Sidere, conveniunt æquo ſed cœtera cœlo.
Non equidem tam Belga ferox, tam laudis egenus
Invideat quod vota mihi, parvamque recuſet
Addere materiem laudis. Non improba Mater
Non fratrum crudelis amor: Si Regia donum
Exiguum Sophia roget. Sunt hìc quoque laudum
Prœmia, nec virtus alibi ſe pulchrius offert.
Hìc liceat blandis vitam producere fatis,

Nec

Nec Martis crudele jugum, mortemque minaſque
Horribileſque trucis galeas horreſcere belli.
Mars ſuper arma ſedet vinctis poſt terga catenis;
Nec pugnas Bellona ciet. Concordia terras
Pacificas tranquilla regit, lætaſque per herbas
Paſcit oves Corydon, vitreaſque abjectus ad undas
Agreſti lætum cantillat carmen avena.
Nec nobis Pactolus abeſt, blandeque fluentis (mas,
Vnda Tagi. Auriferus volvit quoque Sequan a gem-
Non Rheno Vahalique minor, Tamiſique Garumna
Inferior. Rhodanus nobis ſua munera donat
Et Ganges, diteſque ferunt ſua thura Sabæi.
Si Veneris te ſacra vocant, & Cypridis æſtus
Idaliæ ſtimulant cœcis præcordia flammis:
Hîc Paphiæ ſunt regna Deæ, Materque Dione
Imperium fœcunda tenet, Nymphaſque Deorum
Producit thalamis dignas, Regumque tiaris.
Tu ne cede foràs. Tecum pulcherrima longè
Ætatem peraget blanda inter gaudia Conjux:
Conjux, quam multâ Pallas formavit ab arte,
Quam docuit Venus ipſa ſuos caſtiſſima mores.
Cui pudor & lepido ſubridens Gratia vultu
Ingenuuſque decor, pulchroque in corpore virtus
Nobile conciliant pretium, Probitaſque Fideſque
Sanctaque Virginitas, cui primos ſpondet honores
Idalias inter Veneres Paphiæque ſorores.
Tuque age, Parve Puer, patrio delabere cœlo,
Et rebus ſuccurre favens. Tu ſceptra rebelles
In Iuvenes armata tenes, penetraſque ſagittis
In medium penetrale animi, cerniſque latentes
Corporis arcani latebras, ſaxoſaque mollis
Pectora. Tu cæcas flamma fervente medullas
Corporis, ac ferrum durumque adamante reſolvis.
Tu Sceptrum Puer alme tenes, lateque per orbem
Exeris imperium, Regum Diademata telis
Succumbunt auguſta tuis, rigidæque Secures
Sponte tuos juſſus faciunt. In Cypride cuncti
Deſipiunt, Gravitaſque potens in Virgine bellâ

Diffluit. Intrepidum neſcit Conſtantia Brutum,
Dulcis in amplexum quoties ſe Porcia jungit.
Nixa ſupercilio Pietas, rigidique Catonis
Majeſtas ſub amore jacet. Sapientia ſemet
Ignorat, quoties intrat Virguncula ſenſus,
Fœminaque in thalamos deſcendit pulchra jugales.
Sic Phœbus Daphnen, teneram Briſeïda Achilles
Arſit amans, calidique inflammant Phyllidis ignes
Demophoonta Ducem. Non tunc Mavortia torquet
Cura Viros, quoties pharetrâ depromit Amorum
Tela Deus, Venerisque urit præcordia flammis.
Paret amor Phœbi monitis & *Vœnia* telis
Tempora tranſmittit, figitque ſub oſſibus ignem.
Tum Venus his Iuvenem dictis expugnat, & infit:
Stulte! quid Idaliæ remoraris gaudia matris?
Quid thalami ſecreta fugis? Quid ſpernis amores
Et vitæ ſocialis opem? Non te quoque tangit
Fœmineæ virtutis honos, formoſaque mollem
Virginitas animum inflectit? Nil gratia morum
Nil linguæ te ſuada juvat, virtuſque decora
Turgidulis radians oculis? Nil lactea cervix
Marmoreæque manus; nil frondeſcente capillo
Læta movet facies, cupidoſque inſtillat amores?
O Iuvenis neſcis, neſcis, quàm dulcia vitæ
Præmia; quàm largos in blandâ conjuge fructus
Abſcondat ſecretus amor; quàm grata voluptas
Comparis in gremio lateat; quàm divite cenſu
Conjugium fœcundet Hymen, lætuſque bonorum
Proventus thalamis inſit; quàm proſpera longam
Progeniem fortuna beet, latèque Nepotes
Protendat Lucina favens, tædæque jugales.
Poſteritas hinc ſera manet, laudumque ſuperſtes
Gloria venturæ ſpargit ſe in ſæcula vitæ
Naſcenteſque dies. Hinc vivida fama perennat
In Natis Natorum & longâ ſtirpe minorum.
O nimium felix! in amatæ Conjugis ulnis
Vitam quiſquis agit, crebriſque amplexibus hæret
Virginis ingenuæ, purâque in Conjuge luctus

Dividit,

Dividit, & mœſtis præſtans ſolatia Muſis
Sollicitas animi curas diſſolvit amando,
Quid juvet obſcuro vacuum dormire cubili,
Et viduo recubare thoro, mutiſque ſub umbris,
Vt cuculat ſolâ deſertus in arbore Coccyx?
Plus conjux feſtiva ſapit, quàm menſa Dapali
Plena cibo. Parci non ſunt ingrata Milonis
Prandia, nec tenui pudor eſt cænare ſalino,
Si modò blanda ſuos adjungat Phyllis amores.
Quid toties querulo repetis ſermone propinquos?
Quid Batavam depoſcis humum? Matremq; Lareſq;
Inclamas patrios? Si te pulcherrima vitæ
Hîc maneat Conjux: quæ tecum ſuaviter ævum
Exigat & multâ faciat te prole parentem.
Quæ tibi candidulas ad ſacræ Palladis aram
Injiciat pulchella manus, roſeiſque labellis
Oſcula Phœbeas inter luctantia curas
Porrigat, & feſſas recreet ſolamine Muſas.
Siſte gradum juvenis, nec te jam ſubtrahe votis
Virginis externæ, Batavo quæ Thyrſide viſo
Spondet amica tibi ſocialis fœdera lecti.
Cerne tuæ faciem Nymphæ, clarumque venuſtâ
Virginitate decus, Caſtumque in fronte pudorem
Candoremque genis, & pulchro in corpore mores
Ingenuos, centumque notas Virtutis honeſtæ.
Quos oculos, quas illa manus, quæ colla comaſque
Nympha gerit! Quàm divinus lepor exit ab ore,
Ambroſiiſque ſcatet fandi vis docta labellis!
Illius adſpectu Tithon juveneſcere poſſet,
Et Neſtor revocare dies, Pyliuſque ſenectam
Emeritam vegetare ſenex. Deducere Lunam
Et Cœlo ſtellas, rigidaſque cacumine quercus
Mellea Virgineæ poſſet Facundia Suadæ.
Hanc tibi, ſiſte gradum, Iuvenis, deſpondeo Nymphã,
Hæc complexa tuos Thalamos Regina ſubibit.
  Arſit amans Iuvenis, viſâque in Virgine totus
Obſtupuit: proniſque illam complexibus ardens,
Hæc ait: O fauſto nobis data ſidere Virgo.

Virgo nimis dilecta mihi! Venus ipſa venuſta
Nulla magis. Nemo Batavûm ſe comparet illi;
Nympharum nemo contendat munere formæ.
O utinam! non ficta fores, vel ſubdola verum
Eludat ſpecies, caſſumque inflammet amorem.
Quid perſonatæ Iuvenem ludibria frontis,
Mendaci quæſita juvet quid gloria fuco?
Ne fallas ingrata dolis, nec imagine falſâ
Decipe furtivis faciles in amoribus annos.
Si ſic humanis habitet lepor iſte labellis,
Nec faciem mentita tuam, nativaque pingat
Ora decor, te ne adſpectu jam ſubtrahe noſtro.
Hinc matris nil vota moror: Me Gallica Cypris
Sub leges dedit alma ſuas, animumque rebellem
Edomuit pharetratus Amor, Materque Dione
Sub ſua me pronum vexilla redegit amantem.
Tu ſopire meas virgo potes unica flammas
Dulcibus alloquiis & vitæ comparis uſu.
Tu medicamen habes, mihi quo ſuccurritur ægræ;
Quo furor & rabies ceſſant, Tu docta medendi
Secretum indomito phyltrum componis amori.
Eſt Iuveni magnum ſolamen grata Puellæ
Gratia, Pœoniâ nec tantum robur in arte
Quantum in lacteolis formoſæ Virginis ulnis.
Oſcula ſi dederis & centum baſia nobis,
Mutuaque in dulces jungant nos brachia nexus,
Iam quoque ſalvus ero. Primos quæ ſuſcitat ignes,
Inflammatque animum fervente Cupidinis æſtu,
Sopiat hæc eadem. Venis medicabile Virgo
Vulnus alo. Precor affer opem, ſacrumque labellis
Virgineis adſperge merum, laticemque propina
Ambroſium, & noſtro facilis ſuccurre dolori,
Dulcia Cyprigenis adhibens medicamina flammis.
Sim thalami pars grata tibi chariſſima Thisbe
Pyramus, & mecum coaleſcas corpore in uno
Altera pars animæ noſtræ. Da Iuppiter iſtam
Conjugio Venerem, dulceſque ampleċtar amores.
Inviſet natale ſolum, fæcundaque Rheni

Oſtia;

Oſtia; ubi toties celebravit Belga triumphos
Marte potens, vireſque trucis convulſit Iberi.
Hîc fortunatæ naſcentur ſæcula vitæ,
Ditiaque Attalicis mirabitur horrea gazis.
Sanguinis hîc noſtri ſeries illuſtris & ortus
In reditus gaviſa meos, vitæque Iugalis
Fœdera, ſolennem ſuperis indicet honorem.
Hîc mea te Genitrix animi Matrona benigni
Hoſpitio excipiet tædis lætiſſima noſtris.
Turba puellarum centum mandata capeſſet
Ad nutus non tarda tuos. Me conjuge Conjux
Florentem Batavo duces ſub ſidere vitam.
Ter fortunati Belgæ, nimiumque beati!
Fata quibus tam blanda fluunt, qui ſceptra tenetis
In Gades auguſta feras, Thulenque remotam,
Atque Africæ ad medias ſyrtes cum navibus itis.
Submiſit toties quibus atrox arma Philippus
Heſperii rector populi. Quos torridus Indus
Vltimaque occidui metuit gens Barbara mundi.
Has mecum Æoliis Zephyris delata ſub oras
Præcipuas inter Nymphas genialia vitæ
Tempora, proliferi perages & gaudia lecti.
Da, precor, amplexus, da dulcia brachia nobis,
Communis da jura tori. Si cætera ſpernis
Ambiguæ momenta Deæ, dotemque fugacis
Fortunæ, me Phyllis ama fidiſſima Thyrſin.
Phyllida Thyrſis amo, Phyllis mea ſola voluptas,
Spes una atque ſalus. Vos cœlica Numina teſtor,
Phyllis amor meus eſt. Non hos diſſolvet amores
Vlla dies, non irati vis aſpera ponti,
Non fati crudele jugum, tenebræque profundæ,
Non livor diveller iners; non tædia longi
Temporis. Hæc ſtricto fodiam prius ilia ferro
Quam mihi dilectæ venient oblivia Nymphæ.
Hoc prius innocuo ſumens de ſanguine Pœnam,
Tranſadigam coſtas, & candida pectora rumpam.
Audiit hæc virgo, thalamique ignara jugalis
Vix oculos attollit humo. Pudor ora colorat

Ingenuus, gelidusque pavor præcordia pulſat.
Hæret inops animis, & rerum pondera librans
Spemque metumq; inter dubium ſuſpendit amantẽ.
Interea tacitum Cytherea inſtillat amorem
Idaliosque ignes ſubdit, ſociataque lecti
Fœdera commendat, donec miſereſcit, & ultrò
Sollicitis ſubſcribit amans Virguncula votis.
Victa tuis, inquit, precibus ſuccumbo, torique
Adſum fida tibi conſors: tibi bracchia ſoli,
Et caſtos diſcingo ſinus; Communia tecum
Sunt bona, nec diſpar animi nec corporis uſus.
Vænius his ſolus niveis requieſcat in ulnis
Inque meos intret thalamos. Hic baſia ſolus
Auferat, & noſtro ſaturet ſe plenus amore.
O fortunatam tali me Thyrſide Phyllin!
O fortunatum tali te Phyllide Thyrſin!
Thyrſis amor meus eſt, ſunt Thyrſidis omnia mecũ.
Par ambos fortuna manet, par exitus ambos,
Communiſque ſalus. Sortis mutabilis aura,
Et Divûm quò fata trahunt retrahuntque ſequemur.
Seu fuerim in Batavos, quos Amſtela dives inundat,
Seu Tameſin delata vagum; Tyberiſque remotus
Heſperiique maris furiæ, & crudelis Araxes
Me pelagi dubiis errantem exceperit undis:
Vtque furens Dido, Phrygio inflammata marito,
Irrequieta ferar, quæramque in funere laudem,
Si nequeam charo Phyllis cum Thyrſide jungi.
Felicem me Thyrſis, ait, deciesque beatum!
Cujus in amplexum ſubit hæc generoſa virago,
Quàm Venus è multis elegit millibus unam
Dotibus ingenii præſtantem & munere formæ.
Plaudite jam lætæ Charites in amoribus iſtis,
Atque pio cum thure faces accendite ſponſis
Lege maritali. Mea ſunt Connubia, Amorque
In thalamos dulcem vitæ mihi junxit Amicam.
Laſcivus mihi ludit Hymen, materque Dione
Inſpirat teneris calidum penetralibus ignem.
Tuque fave lætis Titan complexibus, oro,

Et

Et nitidum remorare diem, ſolemque retardans
Ignivomos cohibe rutilans Aurora jugales.
Atra tenebroſas involvat Cynthia nubes,
Abſcondatq; diem : Sunt gratæ in amoribus umbræ,
Et latebris Cytherea favet, tenebriſque Cupido.
Dixit: & obſcuris Nox ingruit atra cavernis,
Horrendæque ſilent umbræ, fuligine opacâ
Lunaque nigreſcens mundo dat amica quietem.
Vos, qui connubii nunc ſacrâ lege coitis
Inquit Amor, ſtabilis ſociet concordia vitæ,
Et thalamis ſervata Fides. Bona copia cœlo
Depluat, & ſacris adſpirent Numina tædis.
Tùque age virgineis caſtum decerpe pudorem
Sponſe genis, nunc amplexus, nunc baſia junge,
Sic tibi, Gallorum illuſtri de ſanguine conjux,
Quæ doctis oriunda viris & ſtemmate clara
Antiquo, feret *Anna* novem poſt cornua Lunæ
Progeniem, pignus lecti; quæ nomen Avorum
Et clarum ſplendore Genus virtutibus ornet.

In Natalem
PARENTIS AMANTISSIMI,
Anno M. D. C. XXXI. *Cadomi Gallorum.*

SI nimis indoctum cantemus carmen amicis,
Torpeat & multo languida vena ſitu:
Longius à patriâ nunc ſum tellure remotus,
Hoſpitioque ſuo profuga Muſa caret.
Cum domino mutant habitata cubilia ſedem,
Permiſcentque ſuas cura laborque vices.
Non hîc in riguis modulamur carmina pratis,
Quæ vaga dulciloquis alluit unda ſonis.
Non formoſa nitent ante ora Leonidos arva;
Aut oculos paſcit Flora paterna meos.
Non jam blanda ferunt dilecti verba Sodales,
Nec mihi Theſæam quis probat ore fidem.
Non mihi fas linguæ facundæ audire lepôrem:
Quo Patris, ad morem fluminis, ora fluunt.

Tum, memini, pleno recinebam pectore verſus,
  Franica cum ſacris ora rigaret aquis.
Franica Pieriis ſtatio quæ tuta Camœnis,
  Doctorum & ſedes relligioſa Virûm.
Hic mihi Barbaries ſola eſt, & inhoſpita tellus:
  Iunctus amicitiis unus & alter adeſt.
Non aliter quondam Romanæ profugus urbis,
  Cum rigidis vixit Naſo Poëta Getis.
Me quoque non dubiæ rapuêre per æquora ſortes:
  Atropos exitio nec gravis una fuit.
Iurarunt pariter noſtris cum Thetide damnis
  Terra, polus, Cauri, præcipiteſque Noti.
Quaque ierat tumidis ſublata è fluctibus alnus,
  Continuò celſi culmina viſa Poli.
Quaque ierat colliſa ratis ſub gurgite vaſto,
  Continuò ſtygii limina viſa lacus.
Non benè fidebam volitantibus æquore velis,
  In partes venti quæ ſecuêre truces.
Heu mihi! quam duro verſat ſors omnia caſu,
  Quàm furit in miſerum perfida diva caput!
Quem modò nimboſis agitaverat Æolus auris,
  Excipiunt dubiæ cæca perîcla viæ.
Vix fuga Quadrupedum campis me immiſerat altis,
  Prima erat & longæ pars ſuperata viæ.
Vndique Fatorum me circum injuria vallat,
  Pallidaque informis contrahit ora color.
Horrificus pavor & terror præcordia pulſant,
  Et gelido torpent languida membra metu.
Hinc fera nubiferi terrent faſtigia montis,
  Et pigrum incutiunt ardua ſaxa gelu.
Illic anfractu curvo & loca commoda fraudi
  Intutas faciunt difficileſque vias.
Invia ſunt alibi montano in vertice luſtra:
  Quæ nunquam diro luſtra Latrone carent:
Immanive Lupos vidi feritate calentes
  In prædam rictus exacuiſſe truces.
Me mare, me venti, me dura cacumina montis,
  Vallis & umbroſæ debilitavit iter.

Sic

Sic ego poſt pelagi furias, terræque procellas
Ambiguæ ſortis fata ſiniſtra queror.
Theſpiadum nuper fueram pars magna Sororum,
Plenaque Caſtalius tinxerat ora liquor.
Nunc alium longis erroribus actus in orbem
Ingenii & Muſæ triſtia damna fero.
Deficiunt vegetæ tentato in carmine vires,
Languidaque affecto corpore vena fluit.
Sed *Pietas* charique vetant Natalia *Patris*
Præſentem tacitis verſibus ire diem.
Aureus exoritur Titan dimiſſus Olympo,
Ad Patrios referens annua Feſta Lares.
Octobris rediere dies felicibus aſtris,
Decimaque à pleno Lux nova menſe nitet:
Quam reducem toties primo celebravimus ævo,
Dixit & innumeris noſtra Thalia modis.
Excidit heu totâ jam nunc facundia mente;
Aonius docto nec ſcatet ore liquor.
Sola procelloſis Pietas mecum enatat undis,
Naufragii tabulis una recepta meis.
Grata tibi mea ſit Pietas cum paupere cultu,
Solaque in amplexus ſe ferat illa tuos.
Non maris Eoi gemmas; non Thura Sabæi;
Aurea nec ditis pondera mitto Tagi.
Vota preceſque feram puro venientia corde,
Et pia non levibus carmina facta modis.
Vos precor Angelicæ, blandiſſima Numina, turbæ
Iam mihi dulciloquæ pangite mentis opus.
Natalis Genitoris adeſt: quo gratia Divûm
Innumeris auget gaudia noſtra bonis.
Vndè animi præclarus honos, & lucida virtus
Effulgent titulis nobilitata ſuis.
Iam canitur toto diviſis orbe Britannis,
Et penè Heſperiis fama Paterna jugis.
Quam non tempus edax truxque Inclementia Fati,
Livor & infami polluet ore minax.
Vos quibus eſt patrios coram data copia vultus
Cernere, Natalem concelebrate diem.

Nunc labor alternas ſuſpenſus ceſſet in horas,
Officiiſque vacet cura ſoluta ſuis.
Iubila ſuccedunt, poſt Ponti nubila, Phœbi,
Et facie ridet candidiore polus.
Gaudia pacato labuntur dulcia cœlo,
Vnanimeſque ligant pectora juncta Deos.
Blanda renaſcentes promulgat Cynthia plauſus,
Gaudiaque in patrios fundit amica toros.
Hei mihi! quod Libycæ non ſtipent horrea meſſes,
Nec fluat à Tyriis aurea concha vadis.
Non mihi Battavicæ fas eſt dare præmia terræ:
A patriis vitam ſedibus exul ago.
Munera dent, lautæ quibus eſt opulentia menſæ:
Me foris emiſſum munera nulla beant.
Dona, quibus pretium Pietas imponit Amorque,
Ad patrium junctâ, mitto ſalute, Larem.
Mole novâ mitto dilecti pignus amoris,
Meque Tibi totâ conſecro mente, Parens.
Grande nefas quondam maculis ſi victima fœdis
Ante aras caderet relligioſa Dei.
Me neque diffamat ſcelerum damnoſa Voluptas,
Nec labes in me prominet ulla mali.
Impia ſacrilegæ damno perjuria turbæ,
Et malè commiſſo crimine, turpe nefas.
Odi laſcivam Venerem velut acre venenum,
Retiaque Idaliæ non amo cœca Deæ.
Me Nymphas adamaſſe novem ſub culmine ſacro,
Theſpiadumque Deas percoluiſſe juvat.
Altera corrumpunt pulchros commercia mores,
Virtutum obſequiis altera cura vacat.
Hac me dote Tibi, quæ munera ſola ſuperſunt,
Natalis ſacrâ dedico luce, Parens.
Accipe me purâ Virtute & pectore Natum,
Nec ſim ſpernendi muneris ipſe loco.
Poſt ubi floruerit maturis meſſibus ætas,
Dona feres pleno fertiliora ſinu.
Dî modò te ſervent in ſeri Neſtoris annos,
Naſcentiſque diu poſteritatis opem.

Vt videas pulchram florere à ſtipite prolem,
Quæ ſit Neuhuſiæ fida columna Domus.
Cætera longævæ fortunent fata ſenectæ,
Et fluat innumeris libera vita malis.
Sic venerande Tibi Genitor bis quinque peractis
Iungentur luſtris altera luſtra decem.

ISAACO SIX, BATAVO,
Ex Gallia in Patriam remigraturo.

SIccine tu patriæ flagrans telluris amore
Antiquos repetis, Dulcis Amice, Lares?
Quà jacet Vrbs Batavæ prælustris gloria terræ,
Amſtelaque irriguis littora pulſat aquis.
Scilicet Aoniæ ſatis eſt ſecreta Camœnæ,
Theſpiadumque novem percoluiſſe Deas.
Adde, quod ignoto varios ſub cardine cœli
Luſtrâris mores factaque clara virûm.
Magnum iter emenſus Pelagi cum laude fuiſti,
Et vigilata dedit præmia multa dies.
Albion elato virtutem prædicat ore,
Et Druidum dotes gens canit alma tuas.
Nec ſemel, auguſto poſitum ſub ſidere regnum,
Gallia, terrarum gloria, viſa fuit.
Hæc tibi nectarei bis præbens pocula fontis
Largè Caſtaliis ora rigavit aquis.
Illic ſi Medicâ quem clarum reddidit arte,
Et ſtudiis doctûm fecit Apollo ſuis:
Tu primas inter Phœbi Genitoris Alumnos,
Multijugâ excellens cognitione, tenes.
Nunc tibi cum toto arridet Sapientia vultu,
Et fluit à pleno Caſtalis unda lacu;
Ad patriæ ſedem noſtrique altaria Phæbi
Promeritæ revehis laudis & artis opes.
Te vocat abſentem toties ſpes fervida Fratrum,
Qui dant aſſiduas in pia vota manus.
Te vocat, in mediis agitans ſuſpiria ſomnis,
Tota propinquorum delicioſa cohors.

Quos

Quos fora, quos luſus, ſtudium quos utile junxit,
Neſcio, quot pro te vota ſalutis agant.
Invênit ſpes veſtra viam; nunc vota tenetis,
Oſculaque optatus mox ſua junget amor.
Expediet nova juſſa Fides: ſua munia virtus:
Ibit in alternas dextera blanda vices.
Nunc notat occiduum cœli in regione Bootem
Navita, nunc partes hic Orientis adit:
Num Pelago ſit habenda fides; num ſpondeat ipſe
Iuppiter, & placidis annuat aura notis.
Nos quod deſtituis peregrinâ ſede morantes,
Heu! nimium lacrymis torqueor ipſe meis.
Omnis ab impuro manat contagio corde,
Nec virtus unquam pectus inane ſubit.
Illa ſibi genitos jungit meliore metallo,
Quorum mens vitiis totaque vita vacat.
Illa mihi fidum te vitæ fecit Achatem,
Et laris ejuſdem conſociatus amor.
Sobria vita mihi eſt; eſt & tibi ſobria vita;
Nulla mihi ſcelerum, nulla cupido tibi.
Nemo colit noſtrûm fictos in imagine Divos:
Vna ſalus nobis in cruce *Chriſtus* erit.
Tu medicæ vigilas claræque Machaonis arti,
Mortis in imperium fortiter arma gerens.
Me tenerum Vatem caſtris adſcripſit Apollo,
Et ſum palladii pars quoque parva chori.
Conveniunt ſic noſtra tuis, tua ſic quoque noſtris,
Et nihilo diſtant utraque fata minus.
O utinam! votis ſubſcribant Numina noſtris,
Cauſaque propoſitam differat æqua viam.
Tunc canerem meritas ſuperis per carmina laudes,
Iret & à noſtris victima multa focis.
Mollior hybernos leniret cura labores,
Ingeniique magis creſceret aucta ſeges.
Dulcibus hoſpitii frueremur legibus ambo,
Nec diſpar nobis menſa cibuſque foret.
Omnia communis faceret communia Phœbus:
Vna ſalus nobis eſſet & unus amor.

Aſt

Aſt aliter viſum Superis! quorum omnia nutus
  Arcanum ingentis dirigit orbis opus.
Talibus obſequimur juſſis: nam ferre neceſſe eſt,
  Quod valet in melius vertere nulla dies.
Eheu! quàm fallax verſat mortalia caſus;
  Gaudia quàm ſubitò noſtra tulere pedem!
Nil juvat exiguas animum oblectare per horas,
  Claudit amicitiæ dum breve tempus iter.
Vix amor internos animis inſeverat ignes,
  Iunxerat & certam vita probata fidem;
Cum citò Theſæâ dilectum mente ſodalem,
  In patriam revocet Battava pinus humum.
Nos patriam fugimus; Tu dulcia reppetis arva,
  Et cæli magno diſtat uterque loco.
Nos rerum ignari peregrino vivimus axe:
  In patriam felix tu meditaris iter.
Nos fortè extremùm libavimus oſcula nuper
  Matribus, & tremulo diximus ore, Vale:
Dulcia tu blandis decerpes baſia labris,
  Lætaque in amplexus ibit amica tuos.
Nos modò Gallorum doctas migramus Athenas,
  Et primùm externo diſcimus ore loqui.
Tu Phœbum & mores pulchris Virtutibus ornans
  Ingenii portas parta trophæa domum.
O Socii, quid ſancta fides nunc debet eunti,
  Dum pelagi undoſis *Sixius* errat aquis?
Nondum animo irati venêre oblivia Ponti,
  Pallida nec gelidus deſerit ora timor:
Quàm pavidi horrendum nuper ſulcavimus æquor!
  Quàm dubias nobis fata dedere vias!
Linea tunc certè viſa eſt mihi proxima morti,
  Cymbaque lethiferis ſidere penè vadis.
Lucida cærulei tangebant ſidera fluctus,
  Et ſpatiis æquis pontus & æther erant.
Quo propius feſſæ ſtationi cymba propinquat,
  Hoc magis iratus prælia Caurus agit.
Emiſſi furiunt omnes è carcere venti,
  Intonat & rabidis flebile murmur aquis.

Ante

Ante oculos jam portus erat, jam portus abibat,
Rurſus & in medias prora recurrit aquas.
Quas modò præcipites è littore vidimus Vrbes,
Eripiunt oculis has freta ſæva meis,
Non benè fidebat percuſſis Navita tranſtris,
Nec ratis undoſum pertulit ægra ſalum.
O quoties dixi: Patrio cur rure receſſi,
Aoniaſque alio ſub Iove viſo Deas?
Aut cur non celebres, quò me tulit aura ſecunda,
Albiones inter ſacrum Helicona colo?
Me miſerum! invalidâ quid muto puppe Britannos?
Regia Borboniæ prolis & arva peto?
Fortè procelloſis Scyllarum raptus ab undis
Extremo claudam triſtia fata die.

REGNERO IEPEMA,

Poſtea I. V. D. & Adv.

GLoria, quod nullo conſtet delebilis ævo,
Tu Iuvenum exemplis gloria mille probas.
Scilicet Aoniâ pretium tu ponis in arte,
Nobilitaſque ſacras eſt coluiſſe Deas.
Illius affectus animi zelumque decoris
Publicitus magnâ ſedulitate refers.
Ingenium Natura dedit quod nobile, curâ
Perficis, & multâ ſedulus arte colis.
Sponte novem Muſis, nec vi nec voce coactus,
Et ſtudiis Phœbi ver juvenile locas.
Quodque magis, non ſine brevi ſe terminat ardor,
Aut modicè in Divas fervet anhelus amor.
Nunc tibi ſe prudens aperit Sapientia Sophûm,
Nunc animum recreat Tullius arte tuum.
Iam gravis Æneïdos totum te poſſidet author;
Nunc tibi dulciloquo carmine Naſo placet.
Grande Decus Iuvenûm! Friſiæ ſpes inclyta terræ,
Æmulaque in Patrium lauſque decuſque ſolum.

HIDDIO

HIDDIO ZVAGEMO,
SS. Miniſt. Cand.

DVm ver eſt tenerum; dum calor æſtuat
Ætatis vegetæ, menſque ferocius
Ardet Palladiis acris ab ignibus:
Dum primùm ferulis eximitur manus
Prætextamque tibi priſtina ludicram
Lex detraxerit in Palladis ardua,
Scandis Cecropiæ non piger atria.
Fervet mens ſtudiis acriter omnibus,
Muſarumque ſacris flagrat amoribus.
Ceù blandis Helenæ ſe Paris ulnulis
Ardens perpetuis ignibus implicat;
Ceu Dido Phrygium perſequitur Ducem:
Sic amens Sophiam deperit Hiddius.
Non Tauri, rabies non fera torridi
Cancri, non Hyemis trux violentia
Diſſolvunt avidæ vincla cupidinis.
Grator propitiam ter tibi Palladem;
Sophiæque novis lætor amoribus.
Quos ſolùm Thalamos nobilis indoles,
Et mens fortuitis appetit altior.
Hæc te caſtra juvent perpetuùm, precor:
Amplexus fugiet ſic Venus improba;
Sic vitæ capies ſuaviter otia,
Excelſique animi pignora proferes:
Quæ ſeris fuerint grata Nepotibus.

IN CALCVLVM
Afflictiſſimi Parentis.

SIc te crudelis, eheu! Parens dilecte,
Tot inter difficiles curas laborum,
Noctesque dieſque Calculus trucidat?
Ille ſævior Phalaride & Nerone,
Trucique magis Mecœntio Tyrannus,
Et ſupra Stygios rabidus Cyclopes
Tot corpus lancinat ictibus tenellum?

O atrox

O atrox ſævumque Calculi flagellum;
Frequens doctorum ſupplicium virorum;
Tortura gravis, corporiſque tormentum!
Non ſic Thyeſtes, non lethifer Lycaon,
Artuumque diſcerptrix Colchis nefanda.
Aut ſævus exaſperat Atreus dolores,
Sacris abeſto Muſis Orci Satelles,
Et rigide Carnifex, durumque Saxum,
Phœbique faceſſe pertinax Sodalis.
Fungos inertes, gulæque Veneriſque,
Et tenebroſæ mancipia tabernæ,
Et famæ nominiſque turpes oſores,
Ditiſque patrimonii Decoctores,
Immedicabilis Calculus flagellet.

TARQVINIO POPTA,

Diſputaturo.

VAtibus æternùm veneror Te, Franica, Numen,
  Ingenii quondam lima ſaluſque mei.
Franica longinquum famâ diffuſa per orbem,
  Myſtarumque potens Nobilitate locus.
Fons ubi perpetuus ſtagnat Permeſſide lymphâ,
  Pieridumque ſcatent & Pietatis opes.
Aſtræa ingentes animos & pectore verſat,
  Et Suada antiquo Myſta lepore ſonat.
O bene felices! iſto qui vivitis orbe:
  Qui coràm Muſis cernitis ore loqui.
Hic ſua Neptuno fiunt ſacra. Plus valet Arte,
  Et rectis animi moribus, Æris amor.
Vt donet Pactolus opes, plus tendimus ultra;
  Tiphys & Automedon ſolem ad utrumque ruunt.
Pallade pro docta proſtat Mercurius. Artes
  Odimus. In Muſas quiſquis avarus, inops.
Macte animo Iuvenis! Contra qui fervidus inſtas,
  Nec potes in Patriam tam mala damna pati.
Quas vulgus, quas ſpuma levis non æſtimat artes,
  In magnum creſcent Nomine, Popta, tuo.

POPTA decus Iuvenum! Qui nunquam inglorius an-
Exiget; aut minima parte tegetur humo. (nos

RENICO ZACHÆI,
Nunc V. D. M.

RENICE, Aonii Flos ſacer Hortuli,
Quo dotes animi pectine concinam?
Quâ Suadâ, Ingenium raptus in Entheum,
Attribuam titulos honorum?
Virtus egregiâ manat ab indole,
Et mores nitido pectore candicant:
Quos Livor, rabies nec fera Zoili
Ante rogos minuent ſupremos.
Multùm tergeminâ clarus Adoreâ
Artes Dædaleæ Palladis excolis,
Et jam Muſa ſacro pectus inebriat
Sidere proſpiciens benigno.
Præclaris animi lætor honoribus
Dilecta altiſoni progenies Iovis.
Porrò Numen amicum tibi comprecor
Dulce decus Patriæ Iuventæ.

THEODORO ASTMA,
Cum Laureâ inſigniretur Doctorali.

OMnia vincit Amor: caſto quis pugnet Amori?
Quis Veneri Aoniæ ſubdere colla neget?
Cœlica magnorum ſunt hæc commercia Divûm,
Et ſpecimen doctæ Nobilitatis habent.
Annueret noſtro ſi ſors minus invida voto,
Sponſa Sionæo de Lare Sponſa foret.
Aut me de Themidos ſacrato colle juvaret
Nympha; Machaonio ſeu nova nupta choro.
Aut vellem niveas in amatæ colla Sophiæ,
Aut Vatum thalamis inſeruiſſe manus.
Invidus indignor vicini rebus opimis,
Et querulo fatum deprecor ore meum.
Fortiter Aoniam decurro Miles arenam,
Et vulgi meditor celſius arce gradum.

Non

Non ſequar inſanus tua mollis caſtra Cupido,
In venas veniet nec maleſana Venus.
Æſonium rapiat Medææ pellicis acrem
Dulcia connubii ſub juga cæcus amor.
Impatiens Phyllis Veneris Rhodopeïa flammis
Condat in amplexum Demophoonta ſuum.
Infelix Dido ſuccenſa Cupidinis igne
Dardanidæ rapido flagrat amore Ducis.
Per freta longa Paris Sigæo à littore puppim,
Tindaridis Nymphæ captus amore, vehat.
Idalii ruris comites hæc pugna laceſſit,
Quos bona Forma magis, quàm bona fama juvat.
Vana fides formæ eſt, levibuſque ſimillima ventis;
Famæ ſacra fames ſola perennis erit.
Felices nimiùm! quibus ATSMA peruritur, ignes:
Sanctus, quo flagrat mentis amantis amor.
Non laſciva Venus vetitum inſtillavit amorem,
Nec locus eſt telis dire Cupido tuis.
Mars melior ſpondet fulvæ redimicula palmæ,
Et petitur doctis Cœlica Virgo dolis.
Aſtræa accendit calidis præcordia flammis:
Quâ non in toto gratior orbe Venus.
Sit mihi fas tenui vultus aptare cothurno,
Et viſæ nuper ſigna referre Deæ.
Conſtitit ante oculos pulchræ ſub imagine formæ:
In nitido nuſquam corpore nævus erat.
Impolluta Fides generoſo è pectore fulget,
Et ſacer ingenuo purpurat ore Pudor.
Viſa eſt vulnificum manus altera ſtringere ferrum,
Altera res æquâ pendere lance Fori.
Nec magis in cenſus Magnatûm cerea flecti,
Quàm de plebeiâ conditione Viros.
Quid referam nitidos dulci in ſermone lepôres,
Grataque mellifluis edita verba ſonis?
Suada decens animos hominũ, velut Orpheus olim,
Indomitas ſylvas, in ſua jura trahit.
Hæc Diva, *Atſma*, tuis *Aſtræa* innectitur ulnis
Concordis ſocio fœdere læta tori.

Scilicet has meruit laudes Laurumque Thalia,
Cui manus æthereas porrigit alma Themis.
Quàm te Sponſa manet rerum ſors omine læto,
Cui niveâ ſpondet Vir pietate fidem.
Quem penes Auſonii eſt antiqua Scientia Roſtri,
Et quondam priſco tradita jura foro.
Qui tenerum antevenit claris Virtutibus ævum,
Et Morum illuſtrat Nobilitate genus.
Accipe læta animos deſerti cauſa Pupilli;
Iam redeat viduis ſpes rediviva toris.
Induit humanos artus & vincula carnis,
Regiaque in noſtro viſitur Orbe Themis.
Vivite perpetuæ tranquilla per otia Pacis,
Floreat & veſtro publica cauſa toro.
Vtere Sponſe diu Sponſæ cœleſtis amore,
Sisque Toro dignus, comprecor, atque Foro.

In Albo,

GOTHOFREDI IORRITSMA,

Gallias adeuntis,

Nunc Illuſt. Leoverd. Secretarii.

G*Allia*, Muſarum Mater, Morumque Magiſtra,
Quam te prona ſuo Numina fonte rigant!
Terrarum te jure Deam Dominamque vocamus,
Quæ nunquam Herſiliæ cedere docta ſacris.
Tam ſe aperit blandis Majeſtas inclyta labris,
Et juxta Mores mens generoſa viget.
Tu Batavis epulas alimentaque promis honorum,
Et Iuvenum donas tot nova ſerta comis.
Parte aliquâ nuper veſtras ego Cultor ad aras;
Borboniæ expertus ſum quoque Matris opem.
Sparge tuos Lyger alme lacus, atque inclyte vivo
Godthfredi irrora Sequana fonte ſitim.
Sic nimium læto reditu gaviſa Themiſtos
Patria, mactabit thuris honore Deos.

ALBERTO

ALBERTO HATTEMIO,
Nunc V. D. M.

PEctore Theſæo longum mihi juncte Sodalis
Cultores ſacræ Palladis inter ovas.
Pro *Chriſti* regno crudelia bella capeſſis,
Fortiter & telis in Babylona furis.
Scilicet hæc chari monitu capis arma Parentis,
Qui puræ excubias Relligionis agit.
Quo Duce non Pietas terras averſa relinquet,
Turpe nec opprobrium ſentiet alma Fides.
Æmulus in patrias ponis veſtigia laudes
Pieriâ multùm nobilitate potens.
Quam Genitor ſeris Virtutem poſſidet annis;
Filius hanc juris vendicat ipſe ſui.
Ambo conveniunt Doctrinâ, laudibus ambo:
Hic rem præclaram, præſtat & ille Deo.
Parce diu Minos ſtudiis illuſtribus oro,
Et Pylium felix vincat uterque ſenem.

GOSSUINO IOHANNIS VVIGLEMA.
Nunc V. D. M.

MIrandum ſcrutaris opus Iuvenilibus auſis,
Affectans animo Myſtica ſacra Dei.
Nil veritus, ſolo confiſus robore verbi
Schiſmaticos contra tendis in arma manus.
Pro grege Chriſtiadum, pro Relligione Fideque
Aſſeris Ingenio Faſque piumque tuo.
Eloquioque potens & dulci nectare linguæ,
Sacrilegis infers hoſtibus ore necem.
Macte animis! primo vires qui fortiter ævo
Exeris in turpem de Babylone gregem.
Præmia te remanent, benè geſto & Marte triumphi,
Cum tua fatalis ſubruet oſſa dies.

NICO-

NICOLAO SCHOTANO,

Cum Franekera Friſiorum I. V.D. ſalutaretur.

COnſulta vanæ gens ſapientiæ
Audax per omnem Nequitiam ruit
Dedecorum maculis pudenda.
Cœlum protervis ludificat minis,
Phœboque faſces fatidico invidet,
Tartareo ſimilis Cyclopi.
Sacrata rectis pectora moribus
Odit retortis acrius anguibus,
Et ſcopulis magis æſtuoſis.
Stridet tenellis quot foliis Athos,
Æſtate prima; quot Thracii maris
Flante notho volitant arenæ:
Vulgi inſolentis tot cerebrum ſcatet
Rebus malignis: peſtiferas furor
Proruit in ſcelerum catervas.
Illum Cupido divitis areæ
Torquet, perenni nec ſatiat ſitim
Tantaleam cumulo bonorum.
Iactans ſuperbè Sidonias opes,
Oſtriſque fulgens Ionii æquoris,
Pauperiem queritur moleſtam.
Deſudat alter per ſcelus & nefas,
Ad celſa magni culmina nominis,
Dædaleo ſimilis Magiſtro.
Illum nefandæ Cyprigenæ juvat
Cultus jugalis nec genialia
Pacta pudet temerare lecti.
Sunt, quos Lyæus pampineus ſuæ
Adſcripſit acres militiæ viros,
Et pateras vacuare juſſit.
O prole triſti fœta Proſerpina!
Sat digna conjux conjuge Cerbero,
Et Stygii ſpolio Draconis.
Felix Thaliæ progenies Deæ!
Rectas per artes quæ caput extulit,

Pieriâ redimita Lauro.
Rides Minervæ de grege nobili
Fex ima vulgi conſpicuum genus,
Atque animas melioris ortus?
Vindex ſequetur ſupplicium neſas,
Oſorque Phœbi tempora tranſiget,
Occiduo velut herba ſole.
Cenſus ſuperbos conteret Attali
Ingratus hæres, & Siculas dapes
Improba comminuet vetuſtas.
Faſtidioſam fama ſuperbiam
Scribet futuris poſtera ſæculis,
Conſilia & maleſana vulgi.
Regina vultum non Helena efferet,
Plaudetque Mater blanda Cupidinis,
Sub nitidis Phrygiæ columnis.
Quales Athenæ Franagriæ tenent
Doctâ celebres Melpomene Viros,
Dotibus Ingenii verendos.
Hos nulla labes, non Africæ minæ,
Non fata ſævo turbine polluent,
Nec rabies maleſana vulgi.
Illic Themiſtæ Laurea purpurat,
Conſerta Suadæ melliſluæ roſis,
Romulei & violis agelli.
Iſtic prudentis Myſta Machaonis,
Victâ per mortem morte ferociter,
Victor ovat ſpoliis opimis.
Eſt, qui ſophiam tradidit amabilem,
Emenſus & cœli vaga climata,
Scandit Hyperboreum Bootem.
Hac parte ſacras Sicilidum domos
Multum verendus condecorat ſenex,
Argolicâ celebris Camœnâ.
Hinc cingit almæ Calliopes latus
Virtute purâ Vir venerabilis,
Carminis Iſacii peritus.
Dum ſpargit imbres axe Dieſpiter,

Ægæus

Ægæus undis pontus & æſtuat,
Et Cererem pia vota poſcent;
Stabit ſuperſtes fama Heliconidum,
Et vos Franicæ Lumina Palladis,
Lethiferos fugietis ignes.
Schotane, præſtans Pieridum comes,
Debentur almæ quæ tibi præmia,
Pro vigili Themidos labore?
Sudore ſalſo qui colis impiger
Sacrata doctis templa Sororibus,
Cecropiæ hoſpitium & Minervæ.
Virtus avitis æmula laudibus,
Fervenſque cæcis in penetralibus,
Flagrat ad Invidiæ furorem.
Vitas procacis Idaliæ lares,
Moreſque vulgi deſidis improbos,
Navita ceu Siculas Charybdes.
Quis tanta laudum incendia pectori
Subjecit alto, quis fugere & nefas
Faſque ſequi monuit Fidemque?
Ex ſtirpe natus diceris artium,
Tractuſque Avorum progenie inclytâ
Iuſtitiæ ad cathedram ſalubris.
Imbutus alter fonte Aganippidos,
Sancto & Sionis flumine largius,
Linguam acuit ſcelus in nefandum.
Hic lance lites ponderat improbas,
Verumque linguâ fortiter aſſerit,
Magnanimus Fidei Patronus.
Lætare felix, Diva Leonia,
Tantis ſecundæ ſortis honoribus,
Et celebri Iuvenis triumpho.
Dudum malignis obruta cladibus
Aſtræa, ſpondet civibus otia,
Et querulis requiem pupillis.
Pax læta palmis vincta comantibus,
Fuſoque talos crine ſub ultimos,
Proſiliet nitidum in theatrum.

Votiva meſſis ſi modò ſemina
Maturet, & ſoles bonus aureos
Axe Deus jaciat ſereno.
Cornu beatam divite copiam
Optat bonorum ter tibi, nobile
Friſiacæ Hoſpitium Camœnæ.
Sic feſſa longis curſibus accinit
Charo Sodali pectore candido
Neuhuſii tenuis Thalia.

EGBERTO VVINSHEMIO Groning.

MArtia progenies peregrino ſole calentem,
A Batavo remeans littore; viſat humum.
Neptunique ſecans audaci robore tergum,
Cantabricas longè depopuletur opes:
Sera dies adimet paulatim rebus honorem,
Et color argenti gemmaque pulvis erunt.
Bellicus armorum ceſſat ſplendeſcere fulgor,
Nec benè perpetuùm tympana rauca ſonant.
Major fama manet doctos: quos ſacra Thalia
Nutrit, & Aonio nectare Muſa rigat.
Quos Themis irrorat, quos pleno fonte Minerva,
Dædalaque ambroſiis Pallas inundat aquis.
His te, VVinshemi, ſocium facis inclyte ſignis,
Dum ſub Muſarum tegmine Victor ovas.
Felices nimium! quos bella hæc bella fatigant;
Pieridum ſacris bella decora viris.
Vincet fama rogos, dum vincis Marte labores,
Et Themidos miles florida caſtra petis.
Victor vince malum, ſinuoſas vince charybdes,
Victriceſque acuat ſors tibi blanda manus.
Ne dubita dextro committere prælia Marte,
Nobile Victoris Nomen & Omen habens.

In Obitum,
Clariſsimi Viri,
D. SIXTINI AMAMA,
Linguæ Sanctæ in Academiâ Friſiorum
Profeſſoris celeberrimi.

Spargite rorantes oculis humentibus imbres,
Et mœſto teneras ungue notate genas.
Tollite luctiſonos imo de pectore planctus
Sparſaque luminibus verberet unda polos.
Arte laboratas & tinctas murice veſtes
Ponite Palladii Lumina clara chori.
Funereos habitus largoque rigentia fletu
Pallia crudelis ſumere Parca jubet.
Qui modò ſervatis à labe & clade Camœnis
Divite Apollineas mente tenebat opes.
Ille ſuum ante diem & contra pia vota piorum
Suppoſuit fati languida colla jugo.
Heu! cladem inviſam! heu noſtri mala damna Lycei!
Heu nimium rabidæ jura maligna Deæ!
Sic juvat in ſacræ lumen columenque Palæſtræ
Stringere funereas horrida fata manus?
Ah! potius tremulam raperetis falce ſenectam,
Et ſine præclaro nomine vulgus iners.
Sic non lethali traxiſſet vulnus ab ictu
Muſa, nec ingemerent pulpita docta necem.
Altaque nunc ſtares fulcris Parnaſſia Rupes,
Et caneres lepidum docta Thalia melos.
Non ità Phœbæo collucent arva ſub ortu,
Quàm tali nuper Friſica terra Viro.
Vivimus heu! miſeri nos tanto à ſole remoti,
Et tenebras ſpargit nox inopina ſuas.
Hic dignus longos traheret qui Neſtoris annos,
Vinceret & Pylii ſæcula longa ſenis.
Hic Virtutis opes & ſacræ ſemina mentis
Fovit inexhauſto relligioſa ſinu.
Hic Fidei primo oſtendens documenta ſub ævo
Sincerâ coluit ſimplicitate Deum.

Exemplar vitæ & caſtæ Pietatis imago,
Sanctaque divinis mens cumulata bonis.
Si quis ab Eloquio Latio, Muſiſque pelaſgis;
Aut priſcâ meruit Relligione decus;
Non illo titulis inceſſit clarior alter,
Nec referent ſimilem poſtera ſæcla Virum.
Scilicet invidit magnum decus Atropos orbi,
Nec potuit tanto Friſia ſole frui.
Ad Superos abiit fato defunctus acerbo,
Gaudiaque æternùm cœlica victor habet.
Felix! cui placidè vitam exhalare caducam,
Contigit, & carnis ſubdere jura feræ.
Nos mala multa manent terræ fætore ſepultos,
Et brevibus ſpatiis vita reciſa perit.

Oda Nuptialis, ad
IACOBVM à CRONENBVRG,
ET
IVSTAM ab AYSMA.

DVm verno rutilat flore nitens coma,
Et ſpirat teneris aura rubens genis,
Incertis vehitur fervida mens rotis,
Præclarâ ſolidæ laudis in orbitâ.
Hic pugnat proprio prò Lare fortiter,
Hoſtilem Patriâ ſede fugans metum.
Ille inter corylos pacis amans ſuas,
Mavortem renuens terribilem ſequi,
Fœcundis onerat frugibus horrea.
Sacris iſte vacans Pieridum Diis,
Alis ingenii pervolat æthera,
Naturæque vices ingenitæ notat.
Hic claram Sophiæ militiam Deæ
Non ingratus obit; ſive per ardua
Vrget Socratici terga cacuminis.
Pars mergit Themidos pectora fontibus,
Aut ſacram æthereo fonte lavat ſitim.
Sunt, quos caſta juvat Melpomene modis,

Atque

Atque inſerta ſuis carmina vinculis.
  Sat te detinuit Theſpiadûm chorus
Multùm Sponſe madens Pegaſeis aquis.
Sat ſomni vigiles, ſat labor improbus
Fregêre Ingenii nobilis impetum.
Flos & Lux Iuvenum! quem ſacra nutriit
Vivo nectarei gurgite fluminis
Præſtans Aonii Diva cacuminis.
Ceù Sol ſidereis igne micat jugis,
Et flammam mediis nubibus exerit:
Sic pulchrâ radiat Sponſus ab indole.
Quos flagrare videns Idalius Puer
Mores ætherei pectoris inclytos,
Miratur tacitè blandiferas faces,
Ardentes niveæ laudis amoribus.
Mox verſans animo delicias tori,
Salve, dixit Amor, dulce decus meum:
Salve Pierii Flos ſacer hortuli.
Ætatis facilem ſi cupias gradum,
Et vitam querulis ſolvere luctibus;
Hortor, ſubde, pio colla Cupidini,
Et blandâ Veneris tange faces manu.
Frigent ſollicito membra ſecus toro,
Et tranſit vegeti ver citò ſanguinis.
Mox triſtis ſenii canities gelu,
Et curas animus debilis injicit.
  Sic fatus, calidis ignibus æſtuat
In flammas Iuvenis raptus amoribus.
O necti liceat Virgineis, ait,
Vlnis, dulcis Amor, colla libens ſacris
Innectam Thalamis: IUSTA mei modò
Sit pars æqua diu conjugii Venus.
Nondum Sol medium finierat diem,
Nec pulchris rutilans tota coloribus
Fulgebat piceis Cynthia nubibus:
Arridens nitidæ tecta ſubit domus,
Ereptumque Diis Fœmineum jubar,
Cum quo Neſtoreos lætus agat dies,

Cronenburgiacis implicat ulnulis.
Hæç eſt IUSTA, refert, Virginei chori,
Ayſmana roſeum ſtirpe jubar domus.
Hæc juſto coëat IUSTA, precor, jugo,
Iuſtè Iuſta pios condecoret toros,
Et juſtâ ſtabilem prole beet domum.
Sic cum deciduo dixit Amor die,
Exultanſque novem fama Sororibus
Florentis Thalami fœdera nunciat.
Phœbe nube tegens cæruleâ polum
Defeſſis requiem ſuadet ocellulis,
Et ceſſare modos Pieridum monet.
Vos, dum Luna rubens noctivagis equis,
Decurret ſpatium propoſitæ viæ:
Dum Titan croceas fronte geret comas,
Et ſparget radios Lucifer igneos,
Iuſto Conjugii Sole nitefcite.

ICONIO MELLINGA,
Nunc I. V. D.

FRigoribus duris Cauriſque furentibus horrens
Exuit hirſutas Pallida Bruma comas.
Ver tenerum, blandis mulcentibus æthera ventis,
Innumeris recreat languida prata modis.
Diffluit in faciles riſus cælumque ſolumque,
Et ſalit in ſalſo ſquamea turba ſalo.
Aſpera nunc reſonant avibus Dumeta canoris,
Et totum læto perſtrepit ore nemus.
Progne dulce melos tigno decantat ab alto.
Feſtivumque refert Daulia carmen avis.
Hîc Melibæus oves fœcundo in gramine paſcens
Ardua ſylveſtri ſidera voce petit.
Illic Flora ſinus aperit formoſa, Cereſque
Parturit immenſas florida ruris opes.
Pan calamos inflare jubet, cogitque juventam
Annua purpureis nectere ſerta roſis.
Adde, quod apricis ſonipes ſe jactitet arvis,
Gaudeat & ſtabulis nulla juvenca ſuis.

Qui

Qui modò fumoſis tectis requievit arator,
Iam plauſus vivo ceſpite ſoſpes agit.
Hæc inter primi genialia tempora Veris,
Palladii vernat nobile ſemen agri.
Pandit Muſa ſinum, plenoque exuberat amne,
Imo Pegaſei fluminis unda vado.
Hic Violæ ſurgunt virides; hic lactea frondent
Lilia, Sarmaticâ candidiora nive.
Hos non falce ſecat flores frondator iniquus,
Nec rapido ſubigit frigore triſtis hyems.
Hinc veniunt dulces in publica commoda fructus,
Et manet in ſerâ poſteritate decus.
Salve, MELLINGA, Aonii Flos nobilis horti,
Ter Patrii ſalve pars memoranda Laris.
Ceù Roſa gramineis elucet pulchra viretis,
Et miſto niveas ſpargit odore comas.
Sic recti ſincerus amor laudumque cupido
Pieriis creſcit luxurioſa choris.
Cecropias imitaris apes, quæ ſole ſereno
Cerea florifero ſtipite mella legunt.
Omnia delibas ſolertis acumine mentis,
Veſtigans ſolidæ nobilitatis opes.
Diſperges nitidum ſic clara per atria nomen,
Et fugiet rabidos poſthuma fama rogos.
Flore flore diu florentis Floſcule fundi,
Majorum decorans Flore decente Focos.

TIBERIO THOMÆ,

Nunc I. V. D. & Adv.

QVantùm flammiferas faces
Anteit orbe micans Cynthia fulgido:
Quantùm Luciferi decus
In cœlo rutilat purpureis comis:
Tantùm Socraticis madens
Vir præſtat mediâ plebe liquoribus.
Nunquam Parca minax malis
Vngues Palladios exeret in Viros;

Mergatur Stygiis aquis
Paſcaturque rogo corpus & ignibus.
Inſultet rabie ferox
Inferni Dominus, Tartareas neces.
Cunctis evomat artubus,
Et trux falce metat lethiferâ viros;
Nunquam pars melior tamen,
Virtus, ſive decus Palladium feret
Vllis exitium malis.
Dentes exacuat tempus edax, trucis
Fati ſæva Neceſſitas,
Et Livor nocuus conſociet pedem,
Magnis ingeniis nocens:
Partus perpetuâ laude ſuperſtites
Vivent Ingenii boni,
Arbor ceù riguo conſita rivulo,
Et Laurus viridi comâ,
Surgens Alcinoi Phœacis hortulo.
Lapſi temporis orbitam
Luſtra Pieridum qui ſtudiis vacas,
Doctos Poſteritas viros
Extrema à tenebris eruet abditis.
Gallus Cujacio memor,
Donello Batavus, Friſiades Fabro
Æternum tribuent decus.
Vivent perpetuâ laude ſuperſtites
Heroës animæ, manus
Sors aut mors minitans injiciat feras.
Hortor, ſcinde ſalum rate
Vndoſum Themidos, vaſtaque littora
Remis perfice fortiter,
Donec læta Pharus proſperet exitum.
Sic, mens dictitat intima,
Magnum fama ſequens Ingenium comes;
Vivax Poſteritas tuum,
TIBERI, revehent nomen in æthera.

Ad

Ad Parentem amantiſſimum,

Vitæ ſuæ annum quadrageſimum & nonum ingredientem, Anno M. DC. XXIX. XXI. Octob.

QVid Pater indocili præſcribens jura Iuventæ
Aoniam ſemper vomere vertis humum?
Inſcia quid toties pubes exaſperat iras,
Et frontem in rugas cura novata trahit?
Frangitur intentis curvatus cornibus arcus;
Abſorbet Boreæ vis iterata rates.
Aſſiduis ornus ventis agitata fatiſcit,
Caucaſeos ſilices perforat unda frequens.
Si nimis Aonios obtundat cura Magiſtros,
Ingenium tantis excidet omne malis.
Exere cœleſtes, tuus eſt Natalis, in auras
Carmina permiſtis ingenioſa jocis.
Publica quo nuper reſonabas gaudia plectro,
Auriaci cum ſe ſub juga *Sylva* daret:
Illo privatos etiam deſcribe Triumphos,
Victaque Fatorum carmine ſceptra cane.
Mœonias gemino reſona cum pollice chordas,
Et ferat ad numerum fiſtula blanda melos.
Tuque novem exactis luſtris Pater & tribus annis,
Ominibus totidem ſæcula junge bonis.
Omnia, te cœlo vitam ducente ſereno,
Floriparo vernent luxurioſa ſolo.
Belgica, disjectis Romana per oppida muris,
Efferat in ſeros regna beata dies.
Ira Dei ſeptem Babylonis deſtruat arces,
Et Meretrix ſubito fulmine tacta ruat.
Sacra Sionæis Eccleſia ſedibus exul
Auguſtâ patrios luce reviſat agros.
Dextera privatos ſpondens Fortuna Paratus
Fulgeat immenſis accumulata bonis.
Sic tibi Natalem, Genitor Dulciſſime, longùm,
Annuaque Aonio carmine Feſta canam.

In Febrim tertianam,
D. ISAACI SIX, Bat.
Amici deſideratiſſimi.

NEcdum animo læti fines venêre malorum,
Ægraque febrilis deſerit oſſa calor?
Informis macies, & diræ mortis imago
Ante diem vernas obſidet atra genas.
Pallida corripuit juvenilia pectora febris,
Nec mens officium, ceù ſolet antè, facit.
Caligant oculi; ſine nervis brachia pendent;
Nec teritur ſano ſemita longa pede.
Me quoque vicinæ ſortis mala damna fatigant,
Et faciunt triſti corda liquêre metu.
Alterius me fata premunt, caſuſque ſodalis
Eſt meus, atque aliquâ ſum quoque parte miſer.
Te dolor exurit, ſitientem & concoquit æſtus?
Me ſitis & querulus conficit uſque dolor.
Parte aliquâ relevâs ſi forſitan ora cubili;
Et minus infeſtat vulnera noſtra malum.
O Sixi! quando veniet ſperata voluptas,
Ne tua corrodat viſcera febris edax?
In Patriam cum te Batavûm deduxerit Argo,
Spirat ubi chari gratior aura poli.
Hic iterùm Auriacus victrici Marte triumphat,
Lætaque Barbaricos obruit unda viros.
Lætus adi Belgas, ubi fluctibus exerit altis
Pyramidum immenſas Amſtela dives opes.
Diſpereat tumidis febris correpta ſub undis,
Et cadat Auriaco victima multa Duci.

NICOLAO SCHOTANO,
Nunc I. V. D. & Advoc.

AEreos pennâ findentem remige campos
Claudit avem tenui vimine texta domus,
Indomitis Vrſus furiis agitatus & irâ
Humano victus Marte vel Arte cadit.

Arduus

ius injectis ſonipes frenatur habenis,
t domat horribiles parva catena lupos.
ra ferratis cohibetur Bellua vinclis:
ıblica lex Hominem ſub ditione tenet.
d miſer indomito permittis vela furori;
uò rabie immani trux ſine lege ruis?
pis ut incertis Aquilonibus acta per altum
ethales dubio tramite ſulcat aquas:
lica ſic varias res conquaſſata periclis
ıfidum tentat Legibus orba ſalum.
e ter niveis Victor ſublate quadrigis!
alve Friſiaci ſpes *Nicolae* ſoli!
nen & Omen habes: Vinces *Nicolae* Popellum,
Eternumque feret fama ſub aſtra decus.
tor adeſt Populi? Nec enim ſine numine Divûm
:veniunt noſtro Nomina tanta ſolo.
udite Friſiades, lætaſque in carmina frontes
Efferat Aſtrææ ſacra propago Deæ.

PETRO DVINTERPIO.

Vid toties animi ſopitos poſcitis ignes?
Quid dare non ſano pectore verba juvat?
ærite, qui ſeno valeat pede ducere campos,
Et canere Iliaci fortia facta Ducis.
ındet læta tibi virides victoria palmas,
Inque novas laudes area longa patet.
ın tibi parma levis, non eſt inglorius enſis,
Velitis in morem nec ſubit haſta manus.
ınga dies belli dextram formavit in uſus,
Aptaque Militiæ tela manuſque dedit.
ojice vulnificas inimica ad caſtra ſagittas,
Et Gothico lætus more Triumphus eat.
ſt, ubi votivis Victoria plauſerit alis,
Et ſors annuerit rebus amica tuis:
ıblica privatis celebrabo Fugalia Feſtis,
Ibit & ex ſeptis victima multa meis.

D. SIXTO GROUSTINS,
Diſputanti: nunc Pratori Friſio.

NOn opis eſt noſtræ, pictos longo ordine vultus
Heroum Aoniis enumerare modis.
Verberat extremum proavorum fama Bootem,
In laudes patrio deficiente ſolo.
Felix! quem tantæ decorant Natalia Gentis,
Sparſaque Virtutis fama per ora Virûm.
Immodicùm te fata beant, & ſidere fauſto
Purpureas ſubiit vita vigorque genas.
Adde quod ingenuas caput exercere per artes
Ingenii melior ſuaſerit aura tui.
Sèmina Virtutis, nam ſunt ſua præmia laudi,
Poſtera Mœonio pectine ſœcla ferent.
Plaudite Theſpiades generoſæ laudis Alumne,
Et cingat ſacras Laurus opaca comas.

CAROLO à RHOORDA,
Nunc I. V. D. & Prat. Friſ.

Æquas Luciferi jubar
Illuſtri proavûm progenie nitens;
Et Phœbi ſtudiis potens
Frontem ſub patulum ſurrigis æthera.
Structæ mole Cyclopeâ
Sero Pyramides intereant die:
Atro palleat invidus
Livore, horribiles fronte gerens minas,
Stabit veſter honos tamen
Parcis, *Rhoorda*, feris ſæva minantibus.
Dilectum Nemeſis choro
Patrem Palladio ſuſtulerit ferox:
Vivet patre ſuperſtite,
Dum Titan radios evomet igneos,
Cœli & flammea machina
Stellarum roſeis cincta cohortibus
Sparget flammivomas faces.
O fauſtis Iuvenem ſideribus ſatum!

Qui

conjungis honoribus
irtutem patriis, ſcandis & arduas
æ Calliopis domos,
auſtis Caſtalio fonte liquoribus;
orumque celebria
uges magnificis facta decoribus.
ræclara decet bonos
xornare Patrum ſtemmata laudibus,
turiſque Nepotibus
emandare ſacræ ſemina gloriæ.
d ni fama tuum tenax
omen conſpicuis tollet honoribus?
la oblivio nobilem
ethæis animum fluctibus obruet.
or ſortis, Amicule
ortunate, tuæ proſperitatibus.
ſis non ſine floribus
ut vinctus teneris frondibus, inclytam
rares Themidos Scholam:
rumæ triſtis hyems & Boreas tumens
nmiſtis Aquilonibus,
li dulces Violis diſcuterent comas,
ciſſique ferocior
empeſtas meteret mellifluum caput.
dat Friſiaci ſoli
ubes clara Tibi; carminibus diem
nâ ſolis ab orbitâ
xtremum celebret ſolis ad exitum.
nunc, *Carole*, deſerit
npar, *Rhoorda*, tuis Muſa laboribus.

HERMANNO FOCKENS,

Nunc I. V. D. & Adv.

Ad almam Groningæ Academiam ituro.

clyta, quæ claris fulges, *Groninga*, Camœnis
Accipe Friſiaci ſpemque decuſque ſoli.

Et

Et quos Ingenii Pallas fundavit honores
Franica, vicinæ provehat aura Deæ.
Mutua ſunt nobis vobiſcum jura bonorum,
Convenit officiis utraque terra ſuis.
Publica pax ſociis paſſim defenditur armis,
Et gerimus bellum pro pietate ſimul.
Libertas eadem par & commune periclum,
Atque idem unanimes caſus & ortus habet.
Heſperius fervet cum veſtra ad mœnia miles.
Et tenet infeſtus Friſidos arva timor;
Dux unus, qui bella potens & jura gubernat
Naſſoviæ inſignis Nobilitate domus.
Quis neget ingenii communia jura Magiſter;
Parcius & nobis quàm ſibi promat opes?
I pede *Groningam* fauſto, Doctiſſime *Fockens*
Et Themidos ſtudiis tu cole ſacra Deæ.
Poſt, Patriam felix clarumque inviſe Leonem,
Atque ornet Spartam gloria digna tuam.

BERNHARDO AQVILÆ Leo,
Nunc V. D. M.

VRſi durities, Aquilæ generoſa ferocis
Nobilitas pulchro ſtant ſociata jugo.
Alas Ingenii Volucris Regina miniſtrat,
Quæ nitidi referant nomen ad aſtra poli.
Vrſus dat valido duratum robore pectus,
Quod trucis exſuperet nobile Martis opus.
Quis pugnet tanto non par congreſſus Achilli?
Vngue minax Aquila eſt, Vrſus & ungue minax
Ingenii *Bernharde* tui fac exere vires
Vrſinumque truci pectus in hoſte proba.
Advigila, non ingenium ſors aſpera frangat,
Marte nec adverſo mens generoſa cadat.

GILBERTO VERSPEECK.
Cum in Academiæ Album reciperetur.

HActenus innocuæ vixiſti luſtra Iuventæ,
Et pinxit teneras ver juvenile genas.

Nunc

Nunc agis illuſtri Muſarum in pulvere curſus,
Et ſpatiis creſcit cura laborque ſuis.
Ætatem præcurrit honos, & candida Virtus
Nunc caput annoſos extulit ante dies.
Grande Iuventutis pretium, pubiſque beatæ!
Quâ fluit immenſo copia tanta ſinu.
Garritus luſuſque inter ſtrepituſque jocoſque
Neſcio quot ſapiat penè juventa modis.
Crediderim occultis teneros hîc ignibus annos,
Dt Divum afflatâ mente calere magis.
Exemplo, *Gilberte*, mihi tu ſufficis unus,
Qui tot Pieridum fertile pectus habes.
Iudicium antevenis ſtudiis, Virtute Iuventam,
Et pulchrâ Ingenii das documenta tui.
Scilicet hæc patriis debes monitiſque Magiſtri,
Quorum ſunt operæ fabrica prima Tui.
Nunc tua Pegaſeum diffundes vela per æquor,
Et rerum major campus arandus erit.
Exemptus ferulâ & vitæ cuſtode remoto,
Publica nunc proprio pulpita marte coles.
Libertas tibi ſola datur; Rectique bonique
Pendet ab auſpiciis credita cura tuis.
Ardua committit Genitor tibi fræna ſalutis,
Vitaque ad arbitrium ſtatque caditque tuum.
O quoties iſtâ peccavit lege juventus,
Iudicii nimio freta Patrocinio.
O quoties vidi ſpem falli turpiter iſtam,
Et ſapere offenſos poſt ſua damna patres.
Tu tamen, O *Gilberte*, licet non caſibus iſtis
Fortunam verear, fortè monendus eris.
Crede mihi centum ſcopulis obnoxius error,
Et facilè in caſſes cæca juventa ruit.
Prima mali fons eſt permiſſa Licentia vitæ,
Et Patris in Nati ſanguine cæcus amor,
Pronus ad ignavæ patet hinc gradus otia vitæ,
Noxiaque infauſti limina mille mali.
Cætera quis numeret funeſtâ ab origine damna,
Aut prêndat tabulis facta nefanda ſuis?

Multos

Multos nequities morum ſcelerata fatigat,
Et ſtolidâ faſtus cornua fronte gerens.
Ebrietas commune nefas, turpiſque Libido,
Et mala tot numeris hinc nimis aucta fluunt.
Hæc caveas, *Gilberte*, & te melioribus ortum
Auſpiciis ſtudiis ſedulus adde tuis.
Quæ tibi præſcripſit multâ Pater inclytus arte,
Et voluit Mater chara tenere, tene.
Sic tibi Palladiis dedenti tempora Muſis
Spondet honoratum poſthuma fama decus.

HEINSIO IULII,

De Loco diſputanti.

HEinſius ingenuo laudum ſuccenſus amore
Palladii tentat nobile Martis opus.
Eſt ſatis umbroſis, inquit, vixiſſe tenebris;
Et tacitè ſacras conſuluiſſe Deas.
Enthea vis animi, Majorumque æmula Virtus
Obſcurâ neſcit ſubruta nocte premi.
Suaſit amor Sophiæ Latios, defendere fines,
Et dare barbariem ſub juga noſtra feram.
Me petite infeſtis ſignis Heliconis Alumni,
Nunc gravis alterno fulminet ore ſonus.
Sunt mihi ferrati circùm præcordia nervi,
Roborat & firmas vis chalybæa manus.
Dixit: & oppoſitis inimica ad prælia caſtris
Fortia pro ſumpto ſuſcipit arma Loco.
Præclarum Mavortis opus tibi gratulor, *Heinſi*,
Inclyta qui Iûlæ nomina Gentis habes.
Fortiter ad lætos miles contende Triumphos,
Gloriaque inceptum pulchra coronet opus.
Ne dubita: votis cedet Victoria felix,
Cui faciem oſtendit Muſa benigna ſuam.

ECONIO

ECONIO MELLINGA, SS. LL.
Cand. cum Ill. D. D. Ordinum Legato ad
Magnum Moſcoviæ Ducem profecturo.

DVm roſeos Aurora dies, annique Iuventam,
Et gravidos aperit Ver geniale ſinus.
Dum rabidi fulgent Boreali rure Triones,
Occidit & noſtro Pharraſis Vrſa ſolo:
Tu fera Sarmaticæ meditaris regna pruinæ,
Nox ubi vix medios excipit atra dies.
Nullus ubi toto Zephyrus ſe molliter anno
Exerit, & Scythicâ de nive manat aqua.
Sic Patriæ tibi ſordet amor? tantique lepôris
Gaudia ſunt votis inferiora tuis?
Barbara pro doctis accedes flumina ripis,
Nec fluit Arctoo Caſtalis unda polo.
In Batavis tibi Cyrrha patet, Permeſſus & omnis,
Pieridumque ſacris fons ſcatet uber aquis.
Hîc ſoles aperit mitis Natura ſerenos,
Et facilis donat ſæcula blanda Deus.
Nec nimium ſegetes violento Scorpius ictu;
Aut Canis æſtivos fervidus urit agros.
Frigora miteſcunt Zephyris glacialia vernis,
Libraque Phœbæos efficit æqua dies.
Hîc fas eſt dulces inter dilecta propinquos
Otia, Pegaſeas & celebrare Deas.
Imperium populi, & dominantis jura Senatus,
Pulchrius hac cœli parte videre licet.
Priſtina ſi nolis & avita Exempla tuorum,
Adſpice tot vivâ Nobilitate Viros:
Quorum non veneror præſtantia nomina tantum;
Sed velut auguſti Numinis ora colo.
Dî faciant longùm Friſiorum incommoda poſſit
Vivere *Vierſeniæ* Nobile Stemma Domus.
Barbaricos contrâ, vaſtiſque paludibus agros
Proxima Moſcoviæ Ruſſia Gentis habet.
Serviles animos nataſque ad juſſa regentum,
Et ſterilis cernes munera parca ſoli.

Adde

Adde tot extremum Tanain paſcentia circum
  Monſtra, tot horribiles per loca ſola feras.
Forſitan ex tantâ ſylveſtris mole pericli
  Sæviet in carum Bellua dira caput.
In dubios equidem reſtant huic plurima caſus,
  Quem via difficilis jactat & unda maris,
Totius eſt inter duplicis confinia Rheni,
  Littoraque Amſtelii ſiſtere vota lacus.
Aut Vahalis ripas & Moſæ fluminis umbras,
  Dulciaque in Morinûm cernere rura plagis.
Dommala Naſſoviis nuper cumulate triumphis
  Sufficis in Batavûm publica vota magis.
Hîc tecum ingenuis cupiam ſervire Camœnis,
  Et dare Palladiis tempora longa Diis:
Auriacus nuper captæ quà mœnia Sylvæ,
  Heſperiique dedit ſub juga ſceptra Tagi.
Sed fuit in fatis Mundi glacialis ad oram,
  Frigida Sarmatici viſere regna ſoli.
Publica privatis Res eſt magis ardua rebus,
  Nec mala communi ſunt mala paſſa bono.
Scilicet eſt Batavus peregrino fœdere Gentis
  Indigus, eſt Regum conciliandus amor.
Felix! cui tantas indulſit Patria laudes,
  Et dedit externo munera ferre Duci.
Hac, præſtans animi Iuvenis, factiſque decore,
  In ſerie à primo tu loca prima tenes.
Quod tua promeruit Virtus morumque venuſtas,
  Aonidum & ſtudiis addita multa dies.
Numina ſint præſto, Patriæ ut bona *Farra* reportes,
  Et Magno inſinues fœdera noſtra Duci.
Publica Majeſtas, quæ nunc tibi ſervit eunti,
  Sic iterum reduci præmia digna feret.

HENRICO HOEFISERO,

Cum poſt confecta Galliæ itinera
Patriam repeteret.

SIccine Borbonios, Animæ pars intima noſtræ,
  Amſtelio mutas, prô dolor! axe lares?

Iam

Iam tibi dilectos peregrino ſidere Fratres,
Iam Socios dulcis linquis, Amice, tuos?
Magna quidem nobis peregrino ſemita Sole;
Sed minor optatis, crede, peracta fuit.
Principiò Albionum populoſas vidimus urbes,
Et claras triplici murice Regis opes.
Hîc dubiis, inter magni maris oſtia, ventis,
Horreſco referens, acta carina fuit.
Gallia poſt ambos tenuit, quà Sequana ripas
Alluit, & clarâ Cadomus arte viget.
Dì! quas non terras animis præcepimus ambo,
Quàm ſpatium longæ propoſitumque viæ!.
Celſa Pyrenæi tranſcendere culmina montis,
Et tecum Auſoniam viſere cura fuit.
Excidit, heu! miſero Romam ſpes tanta videndi,
Nec mihi fas luſus cernere Papa tuos.
Nunc tibi poſtremam fortè *Hoefiſere* Salutem
Dicere fatali cogor & ore: Vale.
Nunc longis terræ ſpatiis divellimur ambo,
Et fluit inter nos Tethyos unda vorax.
Nos ſoli extremos Europæ forſan Iberos
Ibimus, ab montes Herculis uſque duos:
Quà Mare ſe inſinuat Medium longo æquore Terris,
Dividit atque Afros Calpe & Abyle Tago.
Tu jam tot fidis comitate Sodalibus antè,
In patriæ reditum ſuſcipis unus humum.
Nos Ligerim, dilecte Comes, celebremq; Garumnã,
Et petimus Rhodani præcipitantis aquas.
Tu Moſam, Rhenumq; Patrem, Vahalimq; Iſulamq;
Amſtelii & viſis Patria tecta Soli.
Fallor? an ad ſummas repetens Te Patria laudes
In vitæ revocat commoda multà Domum?
Publica Pierias forſan deſiderat Artes
Curia & à ſtudiis ſpemque decuſque tuis.
Sive tibi jam pronus Amor deſervit Amanti,
Et thalamos ſpondet delicioſa Venus.
Iam tibi Caſtalidum manat fons uber aquarum,
Iam ſatis explevit docta Camœna ſitim.

Iam dedit eximium, tot poſt operata laborum
Tœdia, Gallorum Suada diſerta decus.
Nos quoque cum plenis ſpumat Vindemia labris,
Et nova viderimus ſub pede Muſta premi:
Amſtelios, ſi fata ſinant, remeabimus agros,
Iunget & unanimis mutua labra fides.
Illic *Auriacus*, fulvos Mavortius enſes
In jugulum Victor ſtringit Ibere tuum.
Gallia te Batavis poſtpono clara Triumphis,
Externoque places ſidere Belga magis.
Has *Henrice* Notis adeas feliciter oras,
Dux ubi Naſſovius Marte triumphat ovans.

IOHANNI VEMERO,

Nunc V. D. M.

NOn mille ſcopulos milleque charybdes
Et Cauri Boreæque truces procellas
Argo Belgarum, Bataviquе Leonis
Rector formidat. Non Lybico latrantes
Æquore Syrtes, murmurque maris Eoi
Horrendum, ſtridorque minax ſtrepituſque
Ferocis undæ Typhis vela retardant.
Spes læta, ſpoliique flagrans cupido
Fovet in dubiis animum perîclis.
Vltimos Mercator, Tanais receſſus
Gangemque remotum, verticemque Pindi,
Et Tagi Pactolique fluctus profundos
Impiger prædæ & lucri ſecat amore.
Nec nudos enſes dubiumque Mavortem,
Hoſtiſque manum terribilis cruentam
Stupet fortis Bellator. Tituli fervens
Victricis ardor, ſpolia atque trophæa
Vetant magnanimam vacillare mentem.
Poſt ſpinas, lolium & ſegetes amaras
Frugemque parcam fodit ſulcos arator,
Creditque ſemen rurſus campis novellis.
Tu tantâ magis rerum mole ſuperbus
Attollis cœlo, *Vemere*, frontem ſerenam.

Spe,

Spe, timore, periclis Domus Muſarum
Scatet abundè, nec Charites benignas
Venereſque doctas præterit acerbæ
Sortis tempeſtas. Hîc Monſtra ſtabulantur
Feræque truces, Belluæque minaces,
Quas furor inflammat animatque ſævus.
Hîc bonos Otium noxium Virtuti
Corrumpit Mores, pigerque ſomnolentum
Suadet rictus ſoporem. Alibi Voluptas
Bacchique Veneriſque nequam ſodalis
Molitur ſuppoſitas fraudes favillis.
Illic Ignorantia rerum profunda
Tenebræque rationis & arcanæ
Mentis deliquium, Ingeniique torpor
Et veterum Barbaries Vandalorum
Offendit ſcopulos animis acutis.
Has inter Charybdes & Syrtes ambagum
Spem meſſis acrem fiduciamque,
Vemere, foves. Tu ſuperbæ tumorem
Mentis peſſundas, fortiterque Camœnas
Novem propugnans, Phœbo litas ad aram.
Favor divinus, precor, lætæ fortunet
Fructum Iuventæ, Pylios & in annos
Floreat Doctrinæ & Virtutis propago.

Parenti amantiſſimo
Annum novum, M. D. C. XXX. ingredienti
Kal. Ian.

MVneribus Iani ſacras celebrate Calendas
Attalicâ inſignes conditione Viri:
Et jam Panchæis cumulate altaria donis,
Iam flagrent feſtis thura Sabæa focis.
Finiit exactis ſpatiis duodena per aſtra
Præcipiti aëreum tramite Phœbus iter.
Hei mihi! quod nequeam cenſu certare ſuperbo,
Dignaque pro Xenio munera ferre meo.
Non ego dives aro fœcundi littora Nili,
Non mihi Pactoli, nec fluit unda Tagi.

Aonii

Aonii ſum cultor agri, pauperque colonus
Sollicito Ingenii ruſcula parva mei.
Illa tibi noſtro ſapiat ſi meſſis ab agro
Accipe pro magno munere vota Parens.
Sic Rex vile capit tecto de paupere pomum,
Sic placet & puræ parvulus hauſtus aquæ.
Vive diu ſoſpes, vitâque ſuperſtite felix,
Et ſcateat multis vita beata bonis.
Nullus arenoſo inflammet ſub pectore venas,
Innumeris pulſans ictibus oſſa, dolor.
Intumeat nunquam maleſanâ venter ab undâ,
Regia nec ſubeat languida colla lues.
Arida debilitet non febris corpora, præſtet
Quo minus officium Suada diſerta ſuum.
Ver tibi perpetuum & genialis tempora vitæ,
Gaudiaque æternùm perpetuata precor.
Sperato pereat capulo vicina ſenectus,
Frigidaque & vitæ Bruma reciſa cadat.
Infelix nitidam rurſus ſub ſidera frontem
Efferat æterno Sponſa jugata Deo.
Plus ſatis in miſeros exarſit Numinis ira,
Vixque pio ſupereſt vita vigorque gregi.
Fertilis exundat cæſorum ſanguine tellus,
Et faciem mutat decolor unda ſuam.
Adſpice Chriſtiadum Iudex juſtiſſime caſus;
Cornigeram & ſubito fulmine adure feram.
Convulſas Solymæ turres & tecta Sionis
Diruta, conſtituas ſplendidiore loco.
Belgica Hyperboreos inter clariſſima fines
Inferat Eois fortia ſigna jugis.
Non metus hoſtilis, non fictæ pacis imago,
Civica non turbet publica feſta lues.
Sic placidam liceat tranquilla per otia vitam,
Et Pylii longùm ducere ſæcla ſenis.

SIBRAN-

SIBRANDO ATSMA,

Nunc V. D. M.

Gallias & Angliam adeunti.

VT magis æthereos ſcrutêris cœlitus ignes,
Chriſtiadumque notes grande ſalutis opus;
Ad Druidum meditaris iter, *Sibrande*, Camœnas,
Et minor eſt ſtudiis Belgica tota tuis.
Longinquis Batavos permutas, *Atſma*, Britannis,
Atque alio magnum quæris in orbe Deum.
Te vagus Albionum Tameſis tellure moratur,
Galliaque in Muſas fervet anhela tuas.
Sat tibi ſe patrio devovit Muſa ſub axe,
Friſiaque in laudes jam ſtupet ipſa ſuas.
Scilicet Ingenio tali ſe credere Virtus,
Et voluit Patriæ tutior eſſe ſalus.

THEODORO BOELEMA,

Nunc I. V. D.

IVris in Oceanum, ſinuoſa & in æquora Legum
Quis cupiat triſti tempore vela dare?
Cœlica terrigenæ conſcendunt aſtra Cyclopes,
Nec Pudor eſt armis ſollicitare Iovem.
Scilicet Impietas priſcis regnata tyrannis
Nunc iterùm, vivo Deucalione, furit.
Adſpice tot miſeri funeſta incendia mundi,
Iam tetricum ſeræ poſteritatis opus.
Officium nulli reverentia candida præſtat;
Aut uſquam merito Fas in honore viget.
Improbitas Lex eſt: Vis major Iura refingit,
Ambulat atque uno faſque nefaſque gradu.
Publica veridico ſi tangam crimina verſu,
Arguerem centum non ſine fraude viros.
Magna ſupercilio Gravitas, ſed ficta, relucet,
Et ſpeciem veri ſubdola verba tenent.
Relligio ſervit pretiis, famulatur & auro,
Ac circum parvo ſcribitur orbe Fides.

Q Ambitio,

Ambitio, ſcelerata lues, ſe jactitat ultrà:
Simplicitas quondam digna favore, jacet.
Divitiis jam conſtat honos; gravis ære, Pudicus:
Lataque conciliant area & arca decus.
Divite quo plures numeres in rure capellas,
Hoc etiam fueris dignus honore magis.
O utinam! tali tantum ſub veſte lateret,
Infelix labes primaque cauſa mali.
O utinam! non emptus honos poſſederit arva,
Nec Favor obtineat Principis eſſe loco,
Quis putet has inter Cererem floreſcere ſpinas,
Liliaque exortis creſcere miſta Roſis?
Scilicet aucupio laudum qui deſtinat ævum,
Mancipium & cacæ poſtulat eſſe Deæ;
Quem juvat, & totum oblectat certamen honorum,
Hinc aliquod capiet publica cauſa bonum.
Ecce Lupos & Monſtra Hominum: quos ſæva libido
Et trucis exſtimulat vis rabioſa gulæ.
O utinam! tecum Saturnia prodeat ætas,
Et veniat cœlo, *Boelema*, ſancta Themis?
Quæ grave delictum expendat, quæ legibus orbem
Frœnet, & in culpas non ſit amica nimis.
Vos neque purpurei vitiis ignoſcite Patres,
Nec tetricum excuſet gratia veſtra ſcelus.
Compedibus cohibete nefas, date prœmia juſtis,
Libraque rixoſum penſitet æqua Forum.
Hos inter legum Myſtas Cauſæque Patronos,
Si ſtudiis inſint omina, primus eris.
Tu mentem pulchris Virtutum dotibus auctam
In Patriam exemplis, *Boelema*, mille probes.

IOHANNI H. BRVNSVELTIO,
Nunc V. D. M.
De Cœlo diſputaturo.

TV quem Naturæ penetrandæ nobilis ardor
Occupat & pigro ſegregat orbe labor:
Qui terræ pelagique ſinus, cauſaſque latentes,
Et rerum doctâ pondera mente tenes.

Nunc

Nunc etiam poſt tot ſecreta ingentia mundi
  Ardua Palladium tollis in aſtra caput.
Deſpicis inſani ſtudium non utile vulgi,
  Et poſita ante oculos cum ratione fugis.
Materiem dant aſtra tibi lunæque labores,
  Et tot diverſis ſidera fixa polis.
Lucifer Eois manè ut caput exerit undis
  Atque iterum occiduo mergitur ille Tago.
Pendeat in medio, quali libramine, tellus
  Aëre; quis tantum fulciat Author opus:
Hæc te cura manet, ſolumque amplexibus iſtis,
  Et Superûm in factis mens ſtudioſa ſtupet.
Quàm tua, *Brunſvelti*, diſtant commercia vulgo;
  Vt vulgo ignaro tu magis arte ſapis!
Hæc humilem terris ſpirat mutabilis auram,
  Cum Cerere & Baccho dividit illa genus.
Tu Cœlo fixos ſtabileſque in Numine ſenſus,
  Palladiâ multùm præditus arte, tenes.
DI, precor, hos in te foveant feliciter ignes,
  Et ſtudiis flagret mens magis alta poli.

IACOBO HEVRNIO, Vltraject.

HEURNI, Nobilibus Patriæ prognate Dynaſtis,
  Ardua tergeminis laudibus aſtra feris.
Non te marmoreis bis ſenis nixa columnis
  Atria, non Proavûm nomina clara juvant.
Pulchrior incendit flammis præcordia Virtus,
  Plus valet & proprio Marte tuliſſe decus.
Ipſe agis excubias præclaræ ad limina laudis,
  Signaque Caſtaliâ digna cohorte geris.
Ante alias *Aſtræa* tibi dilecta Camœnas
  Ambroſias largo fonte miniſtrat aquas.
Poſt data privatim non rara exempla laboris,
  Militiæ Pallas commonet alma ſuæ.
Publica Muſarum commendat gratia mores,
  Doctrinæ & celebrat munera quiſque tuæ.
Lætor honore tuo ſacroque cupidinis igne,
  Doctiloquis, *Heurni*, ſanguine juncte Viris:

Auſonio grator rorantem nectare mentem,
Sacraque Palladiis parta trophæa jugis.

PETRO IONGSTAL,

Gallias meditanti:

Nunc Reip. Friſ. Senatori.

POſt benè Pieriis imbutum pectus ab undis,
Et pia Caſtaliis ora rigata vadis:
Nunc tibi propitiam facilemque in vota Thaliam
Externo mutas, dulcis Amice, ſolo.
Et Regum veneraris ebur, veterumque ſtupendos
Sic Druidum mores & monumenta refers.
Non Batavo Friſioque Themis reſtabat in orbe,
Ingenium poſſet quæ ſaturare tuum.
Proluerant plenis rorantia pectora ſuccis
Pegaſides Nymphæ Caſtalidumque chori.
Aſtræa antiquas Legum patefecerat artes,
Et tot Romuleo condita jura foro.
Pilea cum titulis doctæ redimicula frontis,
Devovit meritis officioſa tuis:
Nec tanto quicquam Iuveni dare Diva recuſet,
Quo magis in laudes prona ſit illa tuas.
Sed major virtutis amor, Themidoſque diſertæ
Victurus ſtimulo pectora cogit honos.
Galliaque Aonidum ſedes auguſta ſororum
Nectet honoratis Laurea ſerta comis.
Felices vos jure voco, multoque beatos
Numine, quos rapuit mens generoſa foras.

In Amicum,

IVSTA FVNEBRIA,

Anno M. D. C. XXXII.

Cadomi-Gallorum.

DI ſuperi, penes eſt rerum quos ſumma poteſtas
Et cœli terræque labor, qui ſceptra tenetis
In Stygias æterna domos, vaſtique profundi
Numina, & iratas pelagi compeſcitis undas.

Naturæ

Naturæ laxate ſinus; contraria fatis
Fata fluant, tragicoque ſonent ſimul omnia luctu.
Tu quoque funeribus, noſtro indignata dolori
Componas te ſcena Poli; tua lumina condas
Et roſeos Aurora dies; nimboſus Orion
Pleïadeſque vomant laxis compagibus undas.
Flos Iuvenum Phœbique decus Batavæq; Minervæ
Delicium, & Patriæ ſpes non obſcura Iuventæ
Occidit. Heu! juſto mecum indulgete dolori,
Et lacrymis urgete genas: ſuprema malorum
Et fati crudele jugum Phœbæa laceſſunt
Atria. Iam triſtes formidat Muſa ruinas
Et chaos antiquum, priſciſque immerſa tenebris
Sæcula, dum doct. incidit mors fila Iuventæ.
Quem ſibi dilectum multis è millibus unum
Addiderat Phœbus ſocium: quem clara per artes
Ingenuas, & Naturæ ſecreta latentis
Extulerat Pallas, quem vivo fonte rigârat
Pegaſidum, caſſo jam lumine vadit ad umbras
Noctivagaſque domos, ubi triſti morte perempti
Doctorum manes, & ſacri Heliconis Alumni
Sedibus Elyſiis errant: ubi priſca vetuſtas
Cernitur ambroſiis epulis accumbere Divûm.
Ille jacet gelidâ mortis reſupinus in urna,
Et feretrum crudele ſubit, tumuloque quieſcit,
Æthercam exſpirans animam; cui pilea dudum
Et nitidas Lauros claræque inſignia vitæ
Promiſêre novem Batavo ſub ſole Sorores.
Borbonii vocat aura ſoli, Druidumque vetuſtas
Gallorum memoranda trahit, flammaſque potentes
Injicit Aurelii celeberrima fama Lycei.
Hîc mihi Colchis, ait, fortiſque merebor Iaſon
Velleris Aonii ſpolium. Hîc exordia laudum,
Hîc ſtudiis promiſſus honos; Non Belgica tali
Anteferat ſe Muſa ſolo. Non Palladis artes
Doctrinæque ſinus pleno ſe gurgite laxant
Vberius. Cœli faciem, ſoleſque ſerenos,
Et terræ geniale ſolum, campoſque nitentes;

Aut circum nitidos plantaria dulcia fontes
Pampineique Dei ſobolem fœtuſque bidentûm
Gramine paſcentes læto pendentia ramis
Fertilibus poma, atque hederas Lauroſque Deorum
Carmine quid laudem? Superat Natura peritos
Artifices. Totus quicquid complectitur orbis,
Hoc liceat reperire ſolo. Venit ultima Thule,
Aurelias viſura Deas. Huc accola Phœbi
Occidui potorque Tagi, Riphæaque pubes,
Et rapidus properat Tameſi de fonte Britannus.
Hac Friſâ Batavaque potens tellure juventus,
Toxandrique cohors claris permiſta Sicambris
Explicat ingenii dotes. Sic Moſa Garumnam,
Sic Vahalim Sommona bibit, Rhenuſque bicornis
Sequanaque Oceani pariter labuntur ad amnem.
Terreſtres animæ vulguſque ignobile cœlum
Horreat externum; Me Spiritus entheus urget,
Et Phœbi dilectus amor, ſtudiique voluptas.
Me Liger impellis magni generoſa propago
Oceani, blandeque vocas ſalientibus undis
Aurelios circum muros, ubi præſidet ipſe
Conſiliis Minos, Legumque oracula dictat
Æacus, & proprias Aſtræa ediſſerit artes.
Dixerat: Hæc volvens animis & pectore toto
Aoniam Phœbus frondem, chlamydemque ſerenam,
Et Libycas loculis gemmas depromit eburnis,
Talia commemorans: Doctos ea ſigna Poëtas
Heroaſque decent, ſtimulis quos acribus urſit
Pieridum ſocialis amor, flagranſque nepotum
Fama per immenſos operum traduxit acervos.
Tuque age Borboniæ ſtirpis generoſa propago
Illuſtrem teſtare diem, quo Franica Pallas
Externæ ſe credit humo, Batavæque Iuventæ
Donat Apollineâ conſertam fronde corollam.
Ipſe ego conſpicua tollam ſuper æthera laude
Ingentes auſus, rerum & præſagia Vates
Ominaque edicam venturi præſcia caſus.
Iamque aderat feſtiva dies, lætoque Helicone
Decur-

De currere Deæ. Clamor clangorque tubarum
Ex oritur; laxant aditus cuſtode remoto
Limina portarum, fortes nec ahenea cogunt
Clauſtra fores. Agitat quiſquis primordia ludi.
 Interea ſpumate Erebo Parca invida doctis
Lethales tendens arcus, irataque ſacris
Pieridum, Iuveni meritos invidit honores,
Defœdatque diem luctu Laurumque cruore
Et Myrtos ſcelerat ſacras, ne tela Machaon
Plutoni violenta paret, Stygioque Draconi
Inſidias ex arte ſtruat, celebriſque medendo
Naturæ ſcrutetur opus, ſecretaque rerum
Conſiliumq; tenens Superûm Stygis atra profundæ
Atria, Cocytique lacus rabidæque Megæræ
Tiſiphoniſque domos nigræ, Phlegetontaque totum
Tartareoſque Duces, & magnum Numen Averni
Compedibus ſtringat duris, falcemque ſeveram
Vulnificaſque manus, & diræ pocula lethes
Effugiat miſerandus Homo, vitamque per ævum
Perpetuò, herbarum doctus medicamina, ducat.
Tu ne etiam noſtris pones obſtacula regnis
Phœbe potens, atque infidi ſub Dæmonis antro
Atropos, inclamat, Plutonia juſſa laceſſes!
Non tibi ſorte datum umbroſam proſcindere gentē,
Et juvenes armare feros, populumque rebellem
Mortis in interitum. Tu cœlica ſceptra teneto
Aligerumque domos: Stygiâ ſe jactitet aulâ
Et Nemeſis Clotoque; ſuo mors imperet Orco.
 Hæc ubi dicta dedit, tetrum bibit ore venenum
Funereaſque armat lethali cuſpide dextras,
Et jaculum imponit ferratis miſſile nervis
Mulciber Ætnæus ſtygio quod cuderat antro.
Hæc te tela manent, inquit, Latonia proles
Dilectamque tibi ſobolem, quam cauſa potentûm,
Et penes herbarum vis eſt uſuſque medendi.
His dictis, cornu intento, vincliſque ſolutis
Telum immane jacit medii in penetralia cordis.
Non ſecus ac fulvi Venator terga Leonis

Tranſadigit: cruor unde lacus dimanat in omnes,
Et gelidum effuſus ſanguis concreſcit in amnem:
Sic quoque magnanimi Iuvenis ferrum ilia rumpit,
Et cœcas aperit venas; poſt ſaucius ictu
Purpureamque vomens animam, mors alligat atra
Dividuos artus; petit irremeabilis umbras
Spiritus & madidâ tumulatur corpus arenâ.
Sic te, ſic rapuit Minos florente ſub ævo
Muſarum præluſtre decus: ſic Atropos urget
Palladios infauſta choros, & numine læſo
Suſcipit Aonios contra fera bella miniſtros.
Cur medicas Heros jactat Pœantius artes,
Cur cumulat laude inventas Epidaurius herbas?
Funereum infelix ictum, lethaleque vulnus
Ipſe Machaoniâ Phœbique inſtructus ab arte
Accipit, & damnis propriis ſuccurrere neſcit,
Auxilium qui ſæpè tulit, morbiſque fugatis,
Ferratâ toties frœnavit compede mortem.
Quid validas jactas vires dextramque potentem
Et robur mortalis Homo? Quid prælia tentas
Atque ignem ferrumque crepas, qui vincula collo,
Qui durum cervice jugum, Nemeſinque ſuperbam
Aſſiduam à tergo ſociam comitemque reportas?
Circum errat te Parca ferox, Mors atra flagellum
Funereaſque faces & diræ pocula Lethes
Exitium factura tenet. Graſſàtur Avernus
Et glomerans trux Clotho feras in bella phalanges
Dat latè ſtragem terris, & cæſa Virorum
Corpora Tartariis damnat furibunda tenebris.
Non juvenem primo vernantem flore juventæ
Purpuriiſque comis, roſeâ & lanugine mollem
Atropos excludit. Vegeti nil ſanguinis ardor
Maſcula corda juvat: non æris acervus & auri
Attalicæque nitor gazæ, non Neſtoris ætas
Non Pylii ſenium; pulchræ non forma Crëuſæ,
Nec Paridis, facieſve Helenæ ſpecioſa decorque
Impediunt fatale jugum; Facundia Vlyſſem,
Æneam Pietas, celebremque Agamemnona Troja,
Ajacem

Ajacem Clypeus morti ſubducet acerbæ.
Non vis Ingenii, Latios non Suada Marones,
Eloquium Gracchos, Marios prudentia, faſces
Pompejum, Lictor Fabios, Deciumque ſecures
Incolumem præſtant. Et veſtro è vulnere ſanguis
Profluit ingentes animæ. Vos priſtina Grajûm
Lumina, quos præſtans vexit ſuper æthera virtus
Elyſiis erratis agris, & ſera Nepotum
Sæcula vobiſcum paribus condentur in urnis.
Nos quoque Poſteritas, mortali ſemine creti,
Forſitan ante ſuos quàm craſtina ſparſerit ignes
Cynthia, noctivagum pariter gradiemur ad Orcum.
Dic mihi, quid curis animos & corda fatigas
Vulgus iners, ſemper majoraque viribus audes
Atque ultra mortale ſapis? Quid divitis Indi
Littora, quid Zephyros alio ſub ſole calentes
Antipodaſque petis lucri inflammatus amore?
Quid Perſas, Arabes, Tanain, quid flumina Nili,
Et Gangem, Ardenteſq; Afros, Calpenque Scytaſque
Euxinique ſecas tergum, Tyrioſque colonos,
Et Thulem extremam peregrino Sole frequentas?
Stulte quid aërei nemoroſa cacumina Pindi
Pyreneſque jugum penetras? Nondum invius Atlas
Non duri Riphæi apices, Alpeſque nivoſæ?
Non Libyco metuis prognatum monte Draconem
Armeniæque pecus ſylvæ, catuloſque Leonum,
Efferaque Hercynio taurorum cornua ſaltu?
In portu neque tuta fides, ubi ſæpè Charybdes
Scyllaque ſaxoſâ latebroſa voragine ſurgit,
Ac vaſtos aperit fluctus. Ante ora Parentum
Contigit oppetere, & gazas Oriente petitas
Æquoreiſque ſuas merces exponere in undis.
Velleris Heſperii ſpolio ſæpè excidit Argo,
Et Typhin ſua fata manent ſublimia præceps,
Devolvit Fortuna loco, magniſque reſiſtit
Viribus, & ſubitos lapſus graviora minantur.
Tu Iuvenis generoſe, amplos cui Phœbus honores
Ingenii & dederat dotes, te teſte probabis,

Quàm fragilis ſit vita Hominum, quam gloria fallax,
Quàm rotet ambiguum Fortuna volubilis orbem.
Non tua te Pietas, non pulchro in pectore mores,
Non virtus ſincera juvat. Sapientia rerum
Et ſtudiis quæſitus honos, præconia famæ,
Et laudum tituli parva conduntur in urna.
Ceù rapidus pulchrâ radiantem luce Hyacinthum
Narciſſumque metit Boreas, & frondibus Athon
Indomiti ſpoliant Cauri, Brumæque ferocis
Frigora, mellifluis nudant violaria ſuccis:
Sic te Parca ferox tenebris damnavit opacis
Robore vernantem primo vegetaque juventâ.
Non aliter vacuas fumus delapſus in auras
Et ſtipulæ, quas Vulcani violenta Caminis
Flamma vorat, vel bulla levis, quam ventus & aura
Diſcutit, in nihilum rurſus reſoluta liqueſcit.
Felicem! ſua qui numerat fatalia vitæ
Tempora, nec longum Virtutem extendit in ævum:
Craſtina ſed lucro repetit, nitidamque juventam
Ingenuas effert ſacræ per Palladis artes.
Talis eras nulli, *Iuvenis*, Virtute ſecundus,
Nec minor ingenio quoquā; aut minus arte politus.
Palladias Superûm mutaſti ſede Sorores
Et pro Pariſiûm Muſis Paradiſidos arva
Cernis, ubi Chriſtum Myſteria ſacra docentem
Contemplaris ovans, oculoſque per omnia verſans
Naturæ ſecreta vides, ſolemque coruſcum
Erranteſque Deos nocturnaque lumina cœli.
Aurea flammiferi miraris cornua Tauri
Villoſumque pecus, curvantem & brachia Cancrum,
Hœmonios arcus; turculentique ora Leonis.
Hinc ſua Tyndaridas cœlo protendere Fratres
Signa notas. Minitans alibi ſe Scorpius ictu
Et Gemini tollunt Piſces & Aquarius undis,
Pleïades Hyadeſque urnis pluvialibus adſtant.
Iam non mortiferis Ætnæo gurgite flammis
Parca furit, non lethales ſparſura ſagittas
Improba perpetuæ dominantur fata juventæ.

Vos

Vos Socii, quorum fidos venerabor amores,
Plaudite, nec veterem à cœlo revocate Sodalem,
Inquit, & in largos effundite lumina fletus.
Eſt mihi parta quies, æternæ & gaudia vitæ
Lætus in Angelicis perago tranquilla Triumphis.

IACOBO à MOLL,

Nunc I. V. D.

ILluſtre Ingenium Genitrix Natura miniſtrat,
Et nimium felix in tua vota venit.
Ardua ſe laxant Phœbeis atria curis,
Et nitidam in famam ſemita longa patet.
Igneus Ingenii mentiſque volatilis ardor
Mirifico Aonias urit amore Deas.
Succedunt, quæ cepta ſemel, non ſorte ſiniſtrâ,
Annuit & multis Pallas amica modis.
Iungitur ambroſiis tecum Sophia lacertis;
Et Suada officiis carpitur ipſa tuis.
Iliacæ matris ſoboles tibi ſervit amanti,
Turbaque Veſtalis relligioſa chori.
Scilicet ingenii facit hoc admiſſa poteſtas,
Et Iovis in Muſas propitiatus amor.
Sed non Ingenii nimium ſe credere pennis;
Aut fluxâ in rerum fidere ſorte decet.
Copia delectat, ſi non moderamina deſint,
Et quodvis modico fine regatur opus.
Sunt furor & rabies veſanæ incendia mentis,
Et nimium eſt oneri copia larga ſibi.
Artis in Ingenii recturam maximus uſus,
Nec ſolidâ præſtans Ars Ratione minor.
Quod facit Ingenium momento labilis horæ,
Perficit hoc ſtudiis Arſque Laborque ſuis.
Quæ fuſim Natura parit, poliuntur ab Arte,
Æmulaque eſt operis dedita cura ſuis.
Qui ſolùm Ingenii rapidis ſe protulit alis,
Fortunæ doluit ſæpè ſiniſtra ſuæ.
Quem Labor aſſiduus multos exercuit annos,
Floruit Ingenii dotibus ille magis.

Felices! vitæ Genio qui jungitis Artem,
Fallitis & longum ſedulitate diem.

VERNERO & ANDRÆÆ } PAGENSTECHERIS, Fratribus Germanis.

Cognatis amiciſſimis.

SIccine Vos Magni Soboles Generoſa Parentis
Ad nos Auriacæ Palladis egit amor?
Nec juvat Aoniis Patrio ſub ſole Camœnis,
Et dare jucundis tempora verna jocis?
Nequicquam Imperii Faſces & purpura dives:
Aut tot Majorum Nomina clara tenent?
Jam Patris quoq; ſordet Honos, quem Gloria cœlo
Extulit, & Pallas tollit in æthra Virum?
Credo equidem, fauſto genuit Vos Iuppiter aſtro,
Cœlitus Ingenii Zelus & iſte venit.
Omnia Muſarum læti ſuffertis amore,
Nec via difficilis nec grave terret iter.
Patria vileſcit Batavâ præ Pallade Laurus,
Atque alio Aſtræam viſere ſole juvat.
Gratius eſt proprios cœlo mutare Penates,
Et ſua longinquæ credere terga fugæ:
Quàm loca Caſtaliis alibi manantia lymphis,
Et tacito Cyrrham præteriiſſe pede.
Et non Scaligeri Manes adiiſſe diſertos,
Nec pia Lipſiadæ thura dediſſe focis.
Et Magni tumulo violas ſparſiſſe Donelli,
Officium & tantis exhibuiſſe Viris.
Hic Cineri defertur Honos, Fatoque peremptis:
Quorum pars expers magna futura rogi.
Par ſequitur vivos etiam ſub ſedibus illis
Gloria: Quos ſæcli tollit in aſtra favor;
Nec poterit Faſtis unquam delere Vetuſtas,
Nec dare fatali mors truculenta neci.
Sidera convulſo labentur in æquora cœlo,
Et prius in fontes Rhenus Ararque fluent.

Quàm

Quàm ſua deſtituet felices Muſa Batavos,
Et careat claris Pallade Leida Viris.
Quà ſe Barlæi nuper Facundia Suadæ
Exeruit, priſcis par gravitate Sophis.
Et linguâ edocuit veterum monumenta Quiritûm
Ingens Palladiæ Voſſius Artis Honos.
Nunc ubi cum Titulis donat Cunæus Honores,
Heinſius & lepidum concinit ore melos.
Et tam Cecropiæ ſeges eſt fæcunda Minervæ,
Vt fluere hic vivo fonte Helicona putes.
Quin agite, & multâ, *Iuvenes*, Virtute decori
Plena ſalutiferis ora rigate vadis.
Et, benè cum Pallas Batavis exulta ſub oris,
Ad Patrios felix Vos ferat aura Lares.

CORNELIO VALCKENBVRG,

Poſtea Iuris Licentiato.

LAudata Proles Fulminei Iovis,
Regumque blandâ ſorte beatior,
Quæ caput exerens per artes
Caſtalias adamat Camænas.
Felix! Popelli de grege turbidi
Quiſquis Sodalem peſtiferum fugit:
Cautus ut frigidum Viator
Gramine ſub viridi colubrum.
Ventoſa vulgi lingua proterviam
Tetroſque mores, Vipereum & nefas
Mente coquit, madenſque fuco
Flagitium meditatur atrox.
Contracta rodit pauperies gulam
Plebis miſellæ! multijugus labor
Impellit, & Virtus ſopita
Noctivagæ micat inſtar umbræ.
Diverſa vulgus conſilia inſcium
Affectat, aurâ mobilius vagâ.
Hic Mavortis amans ferocis,
Et calida tumefactus ira,

Audax in hoſtem ſanguineum jacit
Imbuta ſævo ſpicula toxico:
Et ſolum atque ſalum pererrat,
Nil rabidas metuens ſecures.
Flagrans habendi plura cupidine
Mercator ultrà Sauromatas feros
Gadeſque tendit, & carinâ
Ad gelidos remeat Britannos.
Sic vita plebis præcipitis fugit,
Illinc catenis vincta adamantinis
Fatorum: Hinc ſtudiis moleſtis
Terribilem metuens ruinam.
O ter beatum! Melpomenes ſacræ
Doctas per artes qui caput extulit;
Cinctuſque Lauro Apollinari
Victor ovat niveis quadrigis.
Hic fulget altâ præditus indole,
Supra fluentis divitias Tagi:
Hunc ſub aſtra feret Thalia,
Dum liquidus remeabit æther.
Quem nunc receptum Theſpiadum domo
Verſu decoro Calliope canes?
Valckenburgius, Lux Themiſtæ,
Ante alios placuit Camœnis.
Hunc ipſa cœlo flammivomo Themis
Demiſſa blandis alloquitur ſonis:
Te veſtient ſacræ corollæ,
Pieridum generoſa proles.
Legum Sacerdos Iuris & arbiter
Dicêris, & Flos Franagriæ Scholæ:
Delicium ac boni Magiſtri,
Nec domus opprobrium paternæ.
Ruris colonus ceù pecorum Deo
Solenne ſacrum poſt ſegetem facit;
Ceù ratis patriæ propinquans
Fronde novâ redimit carinam.
Sic tu laboris difficilem viam,
Emenſus optato Ingenii alite,

Ceù

Ceù Dux Romulidum virorum,
Ibis ovans viridante lauro.
Tantis pedeſtris Muſa paratibus
Impar, nec audet ſpargere nubila
Stellis, & Aſtrææ canorum
Carminibus temerare plectrum.
Lætare ſortis blandiferæ bonis,
Tu qui ſuperbâ mactus Adoreâ
Arctoum verberas Bootem
Mirificis titulis honorum.
Hoc clara Virtus promeruit tua,
Fervenſque pectus laudis Adoreâ;
Et ſacris nitidæ caleſcens
Ingenium ſtudiis Minervæ.
Te cœlitum Rex incolumem, precor,
Longos in annos Numine protegat,
Vt tuo auxilio Clientes
Nil metuant rabiem doloſam.

BERNHARDO SYLVIO,

Nunc V. D. M.

ILle natales Helicone ab alto,
Et novem ducit genus à Camœnis:
Qui piè tranſit ſpatium caduci
Temporis, vitæ & ſine labe fœdâ
Terminat annos.
Qui bonas artes ſtudio fideli
Excolit, vivo & rigat ora fonte
Fluminis ſacri, procul & remotus
Sordibus vulgi, magis angue ſævo
Otia vitat.
Qui boni paret monitis Magiſtri
Lance nec pravâ benefacta pendit;
Qui calens famâ tituli perennis,
Laudis erectæ ſpatiumque ſemper
Fervidus urget:
Degener neſcit Iovis ille dici

Filius:

Filius: Pulſat rutilum Bootem
Nominis famâ, ſuper aſtra tollens
Verticem; inſano licet ore libret
Scorpius ictum.
Te teor, *Bernharde*, decus Iuventæ,
Atque Idumæam tibi dono palmam,
Poſt datum vitæ ſpecimen probatæ.
Proſperam gratot tibi lætus auram
Sortis amicæ.
Clara te virtus decorat benigno
Laudis acceſſu. Tibi docta promit
Muſa fœcundum Socratis lepôrem;
Nec tuo parcet capiti virentes
Nectere Lauros.
Pone cygnæas, Pater alme, plumas
Dote virtutis ſenioque fulgens.
Ecce jam cernis reparatum in orbem
Filium ferri pede non iniquo,
Sub Duce Phœbo.

VLDERICO HERONIS,
Poſtea V. D. M.

LÆta ſalutiferi deſtillans munera Chriſti
Fatidici pandis nobile Regis opus.
Priſcaque ſanctorum doctus Myſteria Vatum,
Quæ ſacer effatus Spiritus ore, doces.
Quod mortale ſapit perituraque gaudia vitæ,
Ceù Siculas ſyrtes & vada cœca fugis.
Rimaris quæ vulgus iners plebeiaque ſpernunt
Otia, nec curæ degener orbis habet.
Vnde ſuum, nullo terrarum corpore circus
Conditus, interitum principiumque ferat;
Aut ſapiens Homini tenero de pulvere ſenſus,
Et Ratio, Ingenium, Formaque juncta fuit.
Tu præſtans *Vlrice* doces: cui ſacra Sionis
Arcanos aperit Calliopeïa ſinus.
Blanda reſtauratis iterùm ſolatia rebus
Et Patris æterni cœlica dona refers.

Tu

Tu *Chriſtum*, qui noſtra ferens perjuria culpæ,
  Deſpectus magno Numine factus homo eſt,
Et mala tot fœdi paſſus ludibria mundi.
  Palladis in mediâ concinis Æde Deæ.
Vindice te forti patitur Iudæus Apella,
  Noſtraque de tumulo reppetit aſtra ſalus.
Quam benè divulgas laudum monumenta tuarum
  Culturæ Ingenii Ver juvenile locans!
Scilicet hinc largos capiet Reſpublica fructus,
  Commodaque ubertim Templa Lareſque ferent.
Tu, precor, alme Deus, cui noſtra altaria fumant,
  Pura ſalutifero pectora fonte riga.
Vt pulchrè creſcens Solymæo in vertice meſſis,
  Florida Ieſſæo ſanguine vernet humus.
Vt triſti Satanas domitus ſe jactitet orco,
  Et maneat ſtygias Mors violenta domos.
Romulidumque cohors, pœnas, ſatiata triumphis
  Innocuoque diu ſanguine paſta, luat.

PETRO THEODORI,
Nunc V. D. M.

CVi mens eſt ſolidam laudem parare,
Supraque caſulas ſortis plebeiæ;
Aut vulgus iners rudemque popellum
Sapere; ingenuos Sophûm labores
Scrutetur acer, nec frigus Brumale
Nec graves horreat æſtus Leonis.
Non qui compedibus Bacchi revinctus;
Aut irretitus Veneri nefandæ
Laſcivos nimium adamat amores,
Vel profano otio nocte dieque
Indulget miſer, colitque Vacunæ
Infelix, aras, Palladis trophæo
Potietur unquam. Non ſomni dulces
Soporque longus & rictus canini
Pigrique ſoles promóvent Thaliam.
Aurora luce candicans Eoâ
Titanque lavans Africum cubile,

Et feræ noctes lychnique fuligo
Novem delectat nimium ſorores.
Odit ſpiritus Muſa ſomnolentos,
Sordidoſque tabernæ compotores,
Et tuos vinoſe greges Lyæe.
Caſta Dearum mens eſt, ſobriiſque
Caſtiſque pater Helicon Alumnis.
En primus Tibi, Iuvenis, Honorum
Gradus patet ad Ædem: Vigilando,
Inſomneſque ſemper noctes agendo,
Malorum ſympoſia fugiendo,
Bonorum conſortia diligendo
Perennem Gloriæ famam tuliſti.
Da, *Petre*, candidæ calcar Virtuti,
Moreſque rectos & caſtum Pudorem,
Ceù tuos ama proprios ocellos.
Fac in Epicuri pugnes porcellos
Marte ter fauſto, Virtutumque oſores
Domes Herculeâ manu ſuperbos.
Sic repurgatis maculis ſerenum
Verticem tollat Pietas Fideſque:
Sic donum Deo gratum, *Theodore*,
Victimaque ad aras eris benigna.

LAMBERTO SICMA,

Nuper Prat. Friſia.

PErſonat horrendo ſpatioſum Mulciber orbem
Murmure, turbato ceù furit axe Notus:
Infremit inſano tellus concuſſa timore,
Tellus jam priſco penè remota loco,
Omnia lamentis reſonant, ſua lumina Titan
Condit & abducit Veſpera ſera diem.
Ipſa Sionæi Princeps Eccleſia fundi
Exul, inops, mœrens ſub pede preſſa jacet.
Aurea Teutonicis Themis indignata theatris
Indigno ceſſat ſcribere jura foro.
Hei mihi! materiem cur das Germania verſus,
Et fera carminibus non tua fata carent?

Scilicet

Scilicet Ambitio, infidi Plutonis alumna
Horrida pallentes cogit in arma Deas.
Limina Tartareæ reſerat maleſana paludis,
Infernique trucis monſtrat adire domos.
Hæc quandò humano laxantur fræna furori,
In præceps alto volvit ab axe virum.
Aurea Romulidas Aſtræa æquavit Olympo,
Æternumque dedit jus ſine labe diem.
Roma ſtetit, cœſâ junxit dum fœdera Porcâ,
Iuſſaque Dictator Legibus æqua tulit.
Aſt ubi concordes animos diſſolvit habendi
Ardor, & in pretiis gloria vana fuit:
In diverſa ruit, contemptâ lege, Popellus
Exacuens animos in fera bella ſuos.
Exuit invictum ſic mox Vrbs alta Quirini
Robur, & hoſtili ſubdidit arma jugo.
Belgica ſola viges mediis tutiſſima bellis,
Florida purpureâ ceù roſa luce nites.
Morte minax & Marte ferox inſultet Iberus,
Cæſar & iratâ prælia fronte gerat.
Legum præſidio & clypeis protecta Themiſtæ
Stabis in æternos intemerata dies.
Ergò tibi Aſtrææ cultor præclare Palæſtræ
Quid non pro meritis Friſica debet humus?
Qui Patriæ Leges ſacras & Iura propinans,
Diſpellis noſtro Legibus orbe nefas.

ISAACO OVERNEIO,

Nunc V. D. M.

SAcram propitio qui Iove Palladem,
Virtutemque colens non piger arduam,
Ævi primitias ſacrat Apollini:
Qui laudum aſſiduis fervet amoribus,
Et vulgi ſtudiis altior improbi
Famam perpetui nominis æſtimat:
Qui pulchris animi moribus eminens
Odit fictitiæ mentis imaginem:
Hic eſt tergeminâ clarus Adoreâ,

Et

Et ſupra Trabeas ac Diademata
Fulget, quæ Tameſis potor, & ultimi
Pactoli aut Ligeris gens colit inclyta.
Hic felix monumentum ære perennius,
Supra fortuitas divitis Attali
Gazas, ſupra Arabum rura potentium
Exegit, rabies quod neque temporum,
Nec Fati minuet triſte piaculum.
Hoc, Isace, nites Nobilium choro,
Ceù cœlo rutilans Phoſphorus aureo,
Cum ſe Gangeticis fluctibus exerit.
In laudem Aonides carmina concinunt,
Et totus tibi cœtus popularium
Gratatur ſpolium Colchidis aureum.
Fac porrò Ingenium nobile luceat,
Et latè radios mens pia proferat.
Virtuti comes eſt vivida gloria,
Nec merces Fidei poſthuma candidæ,
Erectæque favor deërit indoli.

ERNESTO RASSIO.

Nunc Med. D.

QVid Batavas Muſas & doctæ Numina *Leidæ*,
Floridaque externæ Palladis arva petis?
Friſica nunc torpet glaciali frigore Myrtus,
Aridaque hybernâ ſub nive merſa jacet;
Aut venit in mentem Patriæ nunc ſpernere Phœbũ
Pœoniâ pectus qui rude lavit aquâ?
Ingenium primus doctâ qui exercuit arte,
Nubilaque à ſtudiis diſpulit atra tuis.
Huic quoque maturæ debetur copia meſſis,
Magnaque pro tantis gratia habenda bonis.
An major te tangit honos, Doctiſſime *Raſſi*,
Muſa nec in laudes ſufficit una tuas?
Ingenerant iſtos animis melioribus ignes
Cœlitus Aonii Numina blanda chori.
Te ſatis in Patriam nitidâ virtute probaſti,
Ingenii & ſpecimen publica Suada dedit.

Reſta-

Reſtabant meritis Batavæ præconia Muſæ
  Et tot præclaris fama probata viris.
Scilicet eſt aliquid laudum protendere fines,
  Et titulis doctæ Palladis ire foràs.
Hoc tuus exemplo Genitor manifeſtius urget,
  Inter Apollineos maximus arte viros:
Quem ſua perpetuis ſacrarunt nomina faſtis,
  Eximet & gelidis poſthuma fama rogis.
Huic, precor, ut feſſæ redeas tutela ſenectæ,
  Laureaque in noſtro floreat aucta ſolo.

DODONÆO KOLDE,

Publicis Academiæ ſacris initiato.

Nunc I. V. D.

INſtar Aſelli pondus laborioſi,
Gravemque ſuppoſitâ molem cervice
Celſos tuliſſe ad apices Heliconis
Nullum pæniteat mentis generoſæ.
Tot ſcholaſticæ diſciplinæ rigores,
Tot ſcamni prementis rabidi dolores,
Ferulæque minæ & benè monentis Magiſtri
Rugoſæ frontes, Verberaque & Verba
Præclaram parturiunt laudem decuſque.
Placet Palladii pulvere Lycei
Squallens juventus, quàm Tagi Pactolique
Aureum flumen. Plus pallor macieſque
Contracta literis recreat honeſtis,
Quàm gula, abdominiſque fames profunda.
Eſt clarum ingenuæ pretium juventæ,
Regali paruiſſe ſceptro Magiſtri,
Atque inter trepidos Faſcium timores
Imbelles animos lacrymis rigaſſe.
Si meas jocosè computem querelas,
Metuſque virgarum gelidos ſub umbrâ
Injectos olim, erecti rigent capilli
Horrore novo. Non ſic ad ſcalas Gyaroſque
Et Rotas tremuit ſcelerum miniſter,
Quàm benigni Rectoris verebar ictus.

Iuvat

Iuvat currentem calcar, pœnaque mollis
Excitat ardens ſtudium: Sic tenellæ
Ætatis laudes ante florent ſenectam.
Cui nunc Togæ purpureæ & ſplendor Oſtri
Favorque militat gloriæ ſuperbus;
Hic rudis Iuventæ agmine cancelliſque
Incluſus, quondam tonitrua Magiſtri,
Fulmenque Ferulæ metuit verendæ.
Non te Pythagoricæ Dionyſiæque
Vnquam, *Dodonae*, pigeat palæſtræ.
Non æſtus Scorpii, non Cancri calores
Brumæque doleas rigidæ torpores.
Sit dulce tibi gratumque cum Catone,
Cum Tullio, Cæſare, cum Marone,
Volvere Siſyphei ſaxum laboris.
Qui Literarum cœcis hæret profundis,
Nec rudis Grammaticæ campos peregit;
Qui faſtu nimium turgido tumeſcens
Et mente vacuus, minuſque eruditus
Ad alta volitat culmina Lycei:
Ille remigiis Dædali ſuperbit,
Debetque ludibrium æquori Phœbæo.
Quid poſſit impotens animi libido,
Quid vanus error, & vitrea veſanæ
Mentis perſuaſio, Te teſte, probat Iuventus.
Retrorſùm vela ocyùs date miſelli,
Quos furor æſtuoſæ jactat procellæ,
Et præpoſterus urit amor Minervæ.
Se nulli recludunt Sophiæ ſecreta,
Nec quem ſancta Themis ad aras admittit.
Si non Muſarum limen benè libârit.
Quàm tu præclaris nites magis trophæis,
Beate *Kolde*: qui tot ſcholæ Triumphis
Superbus ovas, qui tam famæ pulchellum
Exeris decus vitæ primo ſub ævo.
Ædes nunc tibi auguſtas Pallas recludit,
Aperitque doctos Helicon receſſus,
Poſt tot inſignia nobilis Doctrinæ,

Claraſ-

Claraſque fœcundæ ſegetes juventæ.
Quà doctæ Friſiorum florent Athenæ,
Et Cyrrha Permeſſuſque ſcatet perennis;
Quà ſacros ſudat ſacer Sion liquores,
Et Minos verba dictat, Aſtræa leges;
Hic te vult fixam Muſa ſedem tenere,
Hic myrtos virideſque lauros Deorum,
Phœbæoque ſuſpendit palmas Adoni.
O te felicem! natumque aſtris benignis:
Cui favor propitius, Muſæque Thæſeus
Patet amplexus; cui ſic cohors Sororum
Nymphæque novem Charites blandiuntur:
Cui caſta Themiſtis tunicâ recinctâ,
Et fronte nudâ caſtos offert amores,
Plauditque Sophia gremio ſoluto.
Huc adfer ignes focoſque *Dodonæ*
Mentis accenſæ; flammas ardor miniſtret
Amorque pius: Quærit diva maritum
Toriſque poſtulat vivere Hymenæis.

OLPHARDO BELIDA, Diſcipulo.
Academiam adeunti
Nunc Sch. Harling. Rect.

B*Elida*, cui miro ſtudiorum pectus amore
Fervet, & Ingenii nobilis ardor ineſt.
Nunc data poſt vitæ toties exempla probatæ
Publica Friſiacæ Palladis arva petis.
Totus ubi ſacras Permeſſus ſtillat in undas,
Doctaque perpetuo flumine Cyrrha ſcatet.
Nos teneros animos lubricis formamus ab annis,
Et morum & vitæ robora prima damus.
Illic Pegaſides ſociarunt agmina Nymphæ,
Et poſuit ſolium docta Minerva ſuum.
Nos tibi de tanto monſtramus flumine rivos,
Pieridum & teneris ora rigamus aquis.
Illic, quæ noſtro ad frugem perducta labore,
Phidiacæ præſtans perpolit artis honos.

Hic

Hic ſerimus campos & fundamenta locamus,
  Imponit ſummam Franica Muſa manum.
Vnus utrique labor; ſtudiis formaſſe Iuventam,
  Hoc decus, hæc nobis gloria ſola datur.
Tu, Iuvenis, ne quid deflectas tramite recto,
  Fac monitis vivas conſiliiſque meis.
Prima Redemptoris tibi ſit reverentia Chriſti,
  Quo benè propitio cætera cuncta fluent.
Proxima divinis Lex eſt coluiſſe Parentes,
  Gnaviter & ſtudiis invigilaſſe ſuis.
Quæ tria cum læto præſtes ut *Belida* fructu,
  Otia, te moneo, deſidioſa fuge.
Nec nimium curis alienis diſtrahe vitam,
  Nec malè cum ſociis tempora falle tuis.
Prima mali fons eſt animo permiſſa voluptas,
  Multaque laſcivis dedita cura jocis.
Nec te Doctrinæ teneat Perſuaſio fallax,
  Et ſapere ætatem ne nimis ante velis.
Illa equidem multos cœcâ caligine merſit
  Elatos vitreâ cognitione ſui.
Inſtruat ingenuos taciturna Modeſtia mores,
  Blandaque formoſus purpuret ora Pudor.
Dum facilem, parens dictis melioribus, aurem,
  Et morem monitis conſiliiſque geras.
Quo pede cepiſti, ſic vivere fortiter inſta,
  Vt ſis clara tuæ *Belida* fama Domus.
Virtutis monſtrata via eſt: age ſemper & iſtam
  Sedulus, à neutro devius axe, teras.

TARQVINIO à POPTA,

Nunc I. V. D.

SIc Tibi, Palladiæ Flos illibate Iuventæ,
  Nobilis exſtimulat pectora laudis amor:
Dum caput ingenuas effers per Palladis artes
  Sedulus ac Muſis ver juvenile locas;
Et te ſacrilegæ terrent contagia turbæ,
  Nec Populi Genio convenit aura tuo.

Popta

Popta decus juvenum! cui præmia ſerior ætas,
Et ſua diſtribuet munera clarus honor.
Tu modò, Virtutum qui incedis tramite recto,
Fac quoque Pieridum flagret ab igne jecur.
Et tibi ſe porrò, teneris quæ aſſuevit amari,
Obſequiis Pallas vinciat alma ſuis.

Nobiliſſimo Iuveni,
VIGLIO ab HANNIA;
Nunc Mil. Fr. Capitaneo.

MActe animo Iuvenis! ſacro qui percitus igne
In Muſas totâ mente animoque furis.
Qui Themidem, & doctam tecum juvenilibus annis
Pallada, cum multâ dote coire facis.
Qui non florigerum ſtudiis trivialibus ævum,
Et vulgi ad morem tempora fallis iners.
Sed totus Virtute cales, titulique Paterni
Fulgida Majeſtas urit amore jecur.
Quoſque illi faſces nuper vis invida Fati
Surripuit, ſerus comminuitque dies:
Hos iterum reparas redivivo funere Natus,
Aſſeris & laudi priſca decora ſuæ.

In Albo
Nobiliſſimi Iuvenis,
DVCONIS à IELTINGA.

NVnc age Borboniis Pallas redimita coronis
Pleno Caſtalium flumine nectar eat.
Prome tuos vivo latices de fonte Thalia,
Et Cyrrha ambroſiis profluat vber aquis.
Ad tua proſternit juvenis ſe altaria ſupplex,
Quem morum & vitæ nobilitavit honos.
Spargite divinum Parnaſſia flumina ſuccum:
Quo tantam relevet mens generoſa ſitim.
Haud potuit Batavus Ieltingæ vota Cytheron,
Nec ſatiare ſacram Friſia tota famem.

THEOTARDO HELOMA,

Nunc I. V. D. & Advoc.

H*Eloma*, qui primo Virtutem ſtrenuus ævo,
Ingeniiique tui ſedulus arva colis;
Nec piger ad celſos apices graſſaris honorum,
Ardua nec ſegni tendis ad aſtra gradu;
Pierias tecum coëuntes pectore in uno
Gratatur Muſas Franica docta tibi.
Et, precor, in ſtudiis quod reſtat littus arandum,
Decurrat placidis veſtra carina notis.

HENRICO NEVHVSIO, Fratri

Cum Academiæ albo reciperetur, 1631.

Nunc I. V. D. & Advocato.

H*Enrice*, gnavos poſt Iuventæ labores
Vitæque tenellæ maſculum ſudorem
Infers te publico ſocium Lyceo.
Iam cura fidi ferulaque Magiſtri
Severâ liber, Togam ponis prætextam
Ætate major, Iam verendos prudentûm
Virorum vultus & ſuperbum Muſarum
Coles Senatum. Nunc magnificos faſces
Purpuramque Myſtarum religioſam
Cernes. Hîc epulas, hîc nectar Deorum
Bibes fonte perenni. Hîc campus deliciarum
Segeſque luxuriat larga Bonorum.
Hîc Phœbus merces Helicone venales
Exponit ſacro; vendit Dia Minerva
Hîc dotes amplas, quas non temporis tractus
Longævi minuet, non mortis procella,
Non trucis rapiet impetus Livoris.
At ſacer locus: unde vulgus profanum
Arcetur longè, & pigræ appetens quietis
Ignavum pecus. Hîc atrium Muſarum
Bis ſenis fulget conſpicuum columnis.

Hinc

Hinc procul eſto, quiſquis pectus malignum
Adfertque peſtiferi fucum Colubri,
Thalia refert. Hinc improba Iuventus
Alis Eoum ſe deferat in æquor.
Sic juſſa dicto, & ſæclis mundi futuris
Mandata porto: Quiſquis haud mente caſtâ
Indignuſque Apollinis vivit cohorte,
Hinc gravis ocyus turbine procellæ
Parthique levibus volitet ſagittis.
Vos, qui Divinum Numen, Siduſque ſanctum
Mente non fictâ colitis; Qui Parentum
Paretis juſſis, nec monentis Magiſtri
Præcepta levibus tradidiſtis auris;
Qui multam ſtudiis operam navaſtis
Nocteque Muſis ſerâ tempus locaſtis;
Quos ſublimis ardor ſtimulat Virtutum
Amorque Recti; Quibus parere dulce eſt
Seris Nepotibus integræque famæ.
Vos, ſacra Phœbæi lumina theatri
Conſeſſus tenebitis primas Muſarum.
  Nunc Themidos *Henrice* petis palæſtram,
Et Phœbo dixiſti Frater ſacramentum.
Fac morem geras Divæ monenti,
Caputque ingenuas efferas per artes.
Verere ſtudio Numina fideli,
Offerque ſupplex aris thura quotannis,
Fuge vitia labeſque fuge voluptates
Et Bacchi Veneriſque fœdos amores,
Fugit ſerpentem cautus ſicut Viator.
Sit fronti Rubor, animoque ſit Pudor.
Sit Linguæ frœnum; ſit integritas dextræ
Non pes vacillet, neque ſpes concupiſcat
Res noxias veſana. Sit meta Numen
Factorum, ſit caput idem. Moderare
Affectus omnes iram conſtringe frœnis;
Pennam limitibus coërce decoris;
Stylum ſtringe, probris neminem ut laceſſas
Lædaſque inſontem. In cunctis modus ſit rebus,

Nec nimis Ambitio pectus exedat
Plauſu mundano. Sit Luxus ſuperbæque
Mentis vehementer ſpiritus peroſus.
Inſiſte ſemper veſtigio Parentis,
Claroſque venare titulos Doctrinæ,
Dilecte Frater. Fidum quære favorem,
Et non fallacium vincula Amicorum.
Sic *Deo*, *Patriæ*, *Patri*, *Fratrique*
Gratus, *Henrice*, fueris; ſic per omne
Extendes ævum, quod voveo precorque,
Indelebilis Gloriæ monumentum.

Carmen Dedicatorium.

QVæris Athenex decus immortale Palæſtræ
Doctorum meritò ter mihi chara Trias;
Cur mea Caſtaliis ſaturata liquoribus optet
Muſa Maronæum fingere poſſe melos?
Veſtra ſub exiguo videt effulgere libello
Nomina, Mœonio concelebranda ſono.
Donec, ait: rutilos percurret Cynthius orbes,
Hic liber à tituli luce perennis erit.
Vt niveo radiat Nereïa bacca colore,
Gemmulaque intacto pollice pura nitet:
Non aliter noſtri facies nitet iſta libelli,
Sub veſtrûm illuſtri nomine miſſa foràs.
Quàm bona Principibus laus eſt placuiſſe Camœnis,
Et ſibi Magnates promeruiſſe Viros!
Clarior eſt ſummâ veniens Heliconis ab arce
Gloria; quàm Libyco de grege mille boves.
Victuris præſtat famam inſeruiſſe tabellis,
Semper & à memori poſteritate legi,
Quàm Craſſi cenſum & ditis ſeſtertia Crœſi
Sollicitè noſtris annumerare bonis.
Fac, precor, in placidas liber hic ſe conferat ulnas,
Si tibi Mecœnas non mea Muſa gravis.
Accipe non tetricâ, quem Dedico, fronte libellum:
Dant pretium dono Nomina veſtra meo.
Nomina, quæ gratâ venerabor mente colamque,
Dum mea vitalis ſpiritus oſſa reget.

aliud

aliud.

Aoniis mecum pubes devota Camœnis,
Virtutum & pulchris nobilitata bonis.
Accipe Socraticos peramicâ fronte liquores,
Quos tener à magno fonte libellus habet.
Suaſit amor dubium veſtro ſub nomine Martem
Tentare, & trepidas tendere in arma manus.
Vos, ubi bella geram non par congreſſus Achilli,
Acceptam veſtrâ luce feretis opem.
Felicem tanto liceat cui ſidere curſum
Solvere in Aonio per vada cœca ſalo.
Mentibus inſinuet porrò ſuo lumina noſtris,
Et ſacra irradiet mutua corda *Deus.*

aliud.

Frugum primitias Ruricolæ piis
Lætantes animis Diis ſuperis ſacrant,
Et vincti teneris tempora frondibus
Innectunt Cererem munere ſpiceo;
Aut Pani faciunt Ruricolæ ſacrum.
Vulcanum injiciunt pars ſtipulis nigrum
Et fœcunda puer prata perambulans
Exultat quatiens flammiferam facem.
Tales Aonii primitias agri,
Parcas Ingenii primitias mei,
Quas ſacri latices Pegaſei lacus
Creſcentes riguo flumine nutrient,
Vobis, præſidium & dulce decus meum,
Gratâ mente, Viri, Dedico, Conſecro.
Vos, dum ſana mihi luce ſuperſtite
Adſit vita, colam: vivida Gratia,
Dulcis vivet amor corde ſub intimo,
Ter teſtor ſuperos! ſacra cohors Virûm,
Noſtris ſi dederis muneribus locum.

aliud.

Ad Parentem amantiſſimum.

NE mihi ſe pigro ſubducant tempora ſomno,
Otiaque invitum languida Corpus alant.

Hæc placuit, viridi nuper meditata ſub ulmo,
  Carmina ſub tanto credere Vate foràs.
Non pretium; aſt animum Dantis metire Fidemque,
  Vſus amicitiæ ſic quoque pondus habet.
Antè, tamen, moneo, quàm clarâ in luce videnda
  Ingenii dederint ſe monumenta mei:
Fac polias docto malè comptas ungue tabellas,
  Scriptaque ad incudem tu prius illa voca.
Hoc auſim priſcis tradi Cenſore Latinis,
  Et vacuo poſſem fortè Naſone legi.

IANO d'OOSTERZEE.

QVàm dubiis res humana fluctuat procellis
Mundique crepat tumultibus Orcheſtra!
Quàm diſpar vitæ facies; quàm funeſtas
Inter Charybdes, Scyllaſque latentes
Fertur inconſtans noſtræ cymba ſalutis!
Heu! Monſtra Feraſque Stygiæ paludis,
Avernique trucis ſobolem fumoſam
Eructare virus tetricum, diraſque peſtes
Toxicumque faucibus reor malignis.
Hic ſuperbiæ jacit Satan venenum;
Hîc Nata furit Ambitio Megæræ;
Hîc ſtagnat peſtiferi cruor Livoris.
Illic Cocyti ſcatet antris Libido.
Malique Voluptas criminis inſana.
Iſtic audacis facinoris cupido
Mendaxque flagitium, invida & Virtuti,
Tumenſque calumnia, cui Proſerpina Mater,
Infrendet atrox. Heu malorum vorago,
Et ſcena triſtis! Ecce chaos antiquum
Renatumque nequitiarum barathrum.
Nunc virtus ſopita, ardorque honeſtus
Amorque recti undis mergitur Lethæis.
Iam priſcis Fides roſtris, Pudorque Rege
Saturno dignus, eheu! mundum reliquit.
His ſtabit orbis, machinaque terrarum
Diu incolumis? Hæccine patietur

Inulta

Inulta Deus? ſcelerumque permittet
Impunè cohortes latius graſſari?
Cœlo proſpicient Numina ſereno,
Venietque Iudex armatus flagello
Iraque fervens. Hos Vindice Mavorte,
Hos fame durâ triſtes mittet ad umbras:
Omnes exitio non levis pœna reſervat.
Hæc, *Iane*, Monſtra contra fortis Achilles
Herculeſque potens ſtrenue pugnabis.
Tu ferocium eris Domitor ferarum,
Terrorque turpium & Hoſtis vitiorum.
Tu clarus illuſtriſque Antiſtes virtutum,
Cenſorque veri. Tu maculis pudendum
Purgabis orbem, nefandumque peccati
Cultum Tartareas proſcribes ad undas.
Tu ſtemma refers tot decorum trophæis
Clarumque ſpoliis: quæ virtus detraxit
Victrix Principibus ſcelerum Patronis.
Hoc Marte potens, & Friſiæ Dynaſta
Effulget *Avus*: qui Defenſor virtutum
Devovit ſecures Patriæ ſaluti.
His *Genitor* dilectus celſus Triumphis
Æternum Nepotibus nomen famamque
Conſecrat feris. Hîc Decus Literatorum
Illuſtre, *Epeus* alter, *Bernhardus* alter,
Vterque Gloria ſtirpis *Ooſterzaa*
Extollunt Virtute verticem verendum.
Hos, *Iane*, Decus conſpicuum Iuventæ,
Viros ter venerabiles imitare ſemper.
Hic ſcientiâ rerum præſtans profundâ,
Artium tibi perpetuò inculcet amores,
Addatque frequentes ſtimulos Muſarum.
Ille conſilii copiam prudentis,
Et normam publicæ præſcribat ſalutis,
Vt tam Cecropiæ ſtudiis Minervæ
Imbutus, quàm Sapientiæ ſecretis
Inſervias Patriæ felix Honori.
Parentum ſequi laudes dulce & decorum eſt,

Tritâque viâ, cæſis ſpinis errorum,
Honoris monſtratam gradier ad Ædem.
I rectà, chare Sodalis, nec ſiniſtrum
Nec latus vagabundus dextrum capeſſe.
Da Muſis animum Verque Iuvenile,
Et ſacras pietas condiat Camænas.
Hæc tela clypeique & fortes baliſtæ,
Hæ ſolæ machinæ, ſolæque phalanges:
Quibus in Hydras & tot malorum Erynnes
Olim feliciter ſunt uſi Majores.
Sed jungi volunt, & nequeunt diſſolvi
Duplices propugnandæ umbones ſalutis.
Eget Palladio Virtus ornamento,
Caret præcipuo & Pallas fundamento,
Si præſtantis abſit regimen Virtutis.
Fac prendas animo duplicem Mavortem,
Felixque pugnes in turmam vitiorum.
Sic novus orietur Phœbus Olympo;
Sic tuo delicium vives Parenti,
Canamque recreabis Senis ſenectam.
Sic me futurum, Numen quod faxit almum,
In tuas invenies laudes Poëtam.

ORICHIO à DOYEMA.

NOn proavûm ſplendor, rutilans non fama Parentum
Horrida fata levant.
Æquâ falce ſecat mors parvum ex ceſpite culmen
Marmoreaſque Domos.
Sola rogos fatique vices contemnit honora
Nobilitas animi.
Non Macedo feros unquam vixiſſet in annos
Romuleique Duces:
Ni pretium laudis manſuræ ſuada tuliſſet
Ingenioſa Virûm.
Quos ſacra nectareo lactavit fonte Thalia
Fama perire vetat.
Haud meritò doctos ætas privabit honore
Poſtera Mæonios.

Vt

Vt ſpargunt niveam canentia Lilia lucem
Lacteolumque decus,
Vt Roſa purpureum Zephyris ſpirantibus orta
Tollit ad aſtra caput.
Sic quoque Palladii cultor præluſtris agelli
Nobilitate viget.
Duplex ergo tibi pulchro virtutis ab agro
Doyema meſſis erit.
Nobilitas Proavûm, claroque à ſtemmate fulgor
Aoniumque decus.
Quidni fata ferent fatis cumulâta ſecundis
Munera muneribus.
Dilectum faciens te Muſis ſemper Achatem
Pallada doctus amas.
Felicem Patriam! quæ tali à ſole calentes
Attrahet igniculos.
DI modò dent vitam, voveo, tibi, chare ſodalis,
Neſtoreoſque dies.

HERONI ab OCKINGA,

Diſputationem Hiſtoricam habenti.

Nunc Prat. Mil. Fr.

NOndum omnis cecidit Spes Heliconidum
Pulcherque Aonii Flos riget hortuli
Non pigras hyemes, frigus & horridum
Arctoaſque nives, & Boream trucem
Doctarum metuit Laurea frontium.
Carcer flammivomus brachia contrahat
Stringatque indomitos Herculeus Leo
Vngues; det validum cornibus impetum
Trux Taurus; calidis ignibus æſtuet
Virgo: funereis Scorpius ictibus
Armatus jaciat morbida toxica;
Vndiſque Iliacus pugnet Aquarius
Et triſtis Scythico frigore Parrhaſis
Caurique imbriferi, Plejas & Hyades
Nymboſæ ſuperis infera miſceant;
Laurus fronde tamen perpetuâ viret,

Nec ſubjecta feris unquam Aquilonibus
Tempeſtate poli contremit horridâ.
Necdum omnis Patriæ nobilis occidit
Pubes, ingenuum cui placet otium,
Et virtus ſtimulis quam fodit acrior,
Sacroque Aonium tramite pulverem
Collegiſſe juvat. Friſiadum Decus,
Ockinga, ingenii viribus impiger
Pugnat pro Latio nunc Capitolio.
Fax ingens animos urit amoribus,
Nec viles hederas & titulos leves
Virtutis ſolidæ poſtulat ambitus.
Quot rerum Dominos, Romaque Conſules
Iactet: quot Tyberis prælia geſſerit.
Et fortis numeret Scipiadum manus
Victrices Aquilas; quotve Triumviros
Gnaroſve ambiguæ ſortis Aruſpices,
Mitratoque pios ordine Præſtites.
Quot leges Decii Iuſtitiæ ſacras
Olim condiderint: Myſta quot infulas.
Veſtaliſque Togas quas Dea geſſerit;
Heros magnanimâ clarus ab indole
Ockinga Ingenii verſat acumine.
Non pulchro ſatis eſt ſtemmate ſanguinis;
Aut factis Proavûm tollere verticem.
Non famæ illicitæ degener ambitus,
Non venalis honos, non tituli decus.
Emptum, non precibus Laurea ſordidis
Exorata juvat. Ludibrium eſt ſibi
Et cantata ſuis fabula civibus,
Cui mentita fides & favor addidit
Externæ Themidos pileâ & annulum.
Sordet falſus honos, fictaque Veritas
Erectis animis. Plus labor improbus
Sudorque ingenuus, nobile & otium;
Quàm quæſita juvant munera Gratiis.
Haud ignara tuæ ſortis, Amicule.
Vatem mens animat. Publica deferet

Faſces

Faſces Imperii Res tibi Patrii:
Et longùm auſpiciis, quod precor, optimis
Te ſtabit Friſia Curia Præſide.

HARTESIO IEPEMA,

Nunc I. V. D.

NVnc gravis infeſtat ſitientes Syrius agros,
  Icarioque minax Iulius igne furit.
Languida ſubmittunt oneri ſua colla Iuvencæ,
  Delius Herculeæ dum premit ora feræ.
Otia Palladio peragunt in monte Sorores,
  Muſaque ſub rapido doƈta Leone ſilet.
Trux Canis obſcuras Sophiam damnavit ad umbras,
  Servat & Aonias dura catena fores.
Blanda quies feſſoſque ſopor piger irrigat artus:
  Quiſque ſuum Genium ſedulitate colit.
Hic Patrios repetit, ſuſpenſa Pallade, fines,
  Theſæâque ſibi peƈtora junƈta fide.
Ille procul terris peregrinum navigat æquor;
  Bellica Naſſovii ſeu videt arma Ducis.
Iſte inter corylos tranquilla ſilentia curat;
  Mollibus aut reſonat verſibus inter aves.
Ludicra præcipitis traƈtat pars maxima vulgi,
  Seria vix unus, credo, vel alter agit.
Tu ſecus, *Harteſi*, latebris ſordeſcere vulgi.
  Præditus Ingenio nobiliore, nequis,
Ad Themidos reƈtà properas ſubſellia Divæ,
  Pro grege Pierio fortiter arma gerens.
Te Canis æſtivi rabies neque concoquit æſtus,
  Tardat & inceptus non fera Bruma tuos.
Eſt tibi ſeceſſus pacati Aquilonis ad ortum:
  Quò non Andromedes proſilit igne Pater.
Eſt locus, ingenuas recreent quà Numina Muſas:
  Semper ubi vivo flagrat ab igne focus.
Quid noceant tantis animis incommoda cœli,
  Cum ſubſint animo terra Poluſque tuo?
Conjurent Elementa ſimul: Polus æſtuet igne,
  Et Scythicâ Pontus conſolidetur aquâ:

Altius exſurgit cœlo vis Enthea mentis,
Nec tuus ambiguo pendet ab axe Labor.
Virtutis laudiſque tuæ decurrere campum
Finibus anguſtis pagina noſtra vetat.
Rara fides, animi Candor, moreſque probati
Felici creſcunt conſociata jugo.
Vos, precor, ex purâ, Cœleſtia Numina, mente,
Addite Neſtorei ſæcula longa ſenis.

BERNHARDO AQVILÆ,
Cum Scholaſticæ adminiſtrationi præficeretur.
Nunc V. D. M.

DVm ſacra Veridici meditaris dogmata Verbi,
Cœlicaque ingentis diſſeris acta Dei,
Sors aliò, *Bernharde,* vocat fatalibus auris,
Propoſitumque animi diſſipat illa tui.
In Patriam dat Sceptra tibi Regalia Pubem,
Flectere & imbellem te cupit ore gregem.
Huc tua ſe pietas Doctrinæ ut jactitet Arce,
Ingenii & dotes hic tua Muſa probet.
Non minor eſt, Artes teneram docuiſſe juventam,
Gloria, quàm tremules erudiiſſe Senes.
Tam Schola virtutum, Fidei, Morumque Magiſtra,
Atria quàm magni relligioſa Dei.
A primis ſi non vitium puerile refrænes,
Vberibus ſtagnat cætera vita malis.
Hîc faciat lætas ſegetes Vir doctus oportet,
Vnde ſuum accipiant Templa Lareſque decus.
Clara juventuti tollis Gymnaſia vulgus,
Ignaroſque animos Arte polire vetas.
Barbaries ſubitò totum ſe pandet in orbem;
Et mala prorumpent mille nefanda ſolo.
Quod pietas, quod rara fides, & candida virtus
Extollant rutilum celſa ſub aſtra caput,
Debetur meritis ſtudioſi hoc omne magiſtri:
Quo ſcatet, ut riguo flumine, tota Salus.
Dîs genitus, Phœbi qui ſacra hæc caſtra gubernat,
Et domat obſequiis cor juvenile ſuis.

Hoc

Hoc magis auguſti grator tibi munera Sceptri,
Cum Regum hæc nôris ſuſtinuiſſe manus.

AVSONIO à SOLCKAMA.

Cum juris utriuſque Doctor *crearetur.*

FOrtunæ arbitriis altius exeris
Myrto conſpicuum, *Solckama*, verticem,
Laudibus ingenii renidens.
Hìc clarum nitidæ ſtemma propaginis
Majorumque ſeges Nobilium inclyta
Mirificos tribuunt Honores:
Quos non fata ſuis cladibus obruent,
Armatuſque Deæ læthiferæ furor
Horribili quatiet tumultu.
Illic tergeminum Divitiæ decus
Addunt, vixque modum magnæ opulentiæ
Sors poſuit nimium ſecunda.
Hæc inter proavûm ſplendida nomina,
Et Cenſus patrios lucidior vitro
Eminet intemerata Virtus:
Virtus flagitii neſcia ſordidi,
Nec vulgi arbitrio pendula futilis,
Cortice vel levior caduco.
Diffunde Aoniâ de cathedrâ comas,
Excellens Iuvenis: ſparge per atria
Palladis ingenuoſque vultus.
Lucet ſidereâ fronte decens Pudor,
Nec quicquam latebras pectoris incolit,
Quod ſcelus invidiæ laceſſat.
Laus hæc Pyramidum mole perennior:
Qualem vis animi vivida promeret,
Et Fidei æthereæ ſatelles.
His nondum ſpatiis ſpiritus Entheus
Clauſus, Pegaſeo provolat alite
Cœlica Pieridum ad theatra.
Nullus Caſtalio flumine largius
Imbutus retulit, Iuſtitiâ Duce,
Clarius Ingenii trophæum.
Non te magnanimus Sylla beatior,

Auſoni, toties qui populos feros,
Et Marium domuit ſuperbum.
Victrices hederas ſertaque laurea
Nectit Muſa tibi, poſt benè Pulvere
Pierio meritos triumphos.
Altis Muſa beat ſideribus Poli,
Doctrinæque patent atria Cœlitûm,
Limina Cecropiæ & Minervæ.
Mavors ſanguineus Melpomene minor,
Claroque inferior Milite Palladis
Excidii pretioſus emptor.
Magnum Poſteritas Æmathium Ducem
Infandi inſimulat conſcia criminis,
Et ſceleris perhibet Miniſtrum.
Aſt vatis titulo Mœonius ſenex
Donatus, liquidum perſonat æthera,
Inachio celebris cothurno.
Nec tam fama foret Cæſaris inclyta,
Ni ſacram Aoniæ progeniem Deæ
Plus rabidis lituis amaſſet,
Felicem meritò te voco, *Solckama*,
Multum Palladiâ clarus Adoreâ,
Quod ſuperes Diadema Regum,
Nunquam Pieridum Vir ſtudiis potens
Claudit perpetuo lumina ſomnio,
Et tenebris tegitur ſepulchri.
Tu nunc dulciloquis gaudia plauſibus
Illuſtre Aonii germen agelluli
Ede, refert, Themis alma cœlo:
Tu dilecta domus progenies meæ,
Proles fatidici clara & Apollinis,
Deliciumque novem Camœnis.
Purus ceù tenebris Cynthius emicat,
Orbemque irradiat flammivomis comis
Cardine progrediens Eoo:
Sic Tu terrificum diſcutiens nefas
Accenſo Ingenii, *Solckama*, Lumine,
Clarus ovas Patriæ in ſalutem.

Felix

Felix fœta viris *Friſia* fortibus!
Hoc à *Sole* trahis quæ nitidum jubar,
Et radios Fidei ſerenos.
Auſim quid Themidos, Dulcis Amicule,
Doctis obſtrepere hîc carminibus Deæ,
Graculus ut fidibus canoris?
Portum Muſa loquax concipe, jam ſatis
Vatem per pelagus feſſa tulit ratis;
Iam ſua ſacra petit Vacuna.
Largâ ſorte beet Te Domini favor,
Et Virtus veluti promeruit tua,
Vtere *Sole* diu benigno.

Praſtantiſſimo Eruditiſſimoque Iuveni,

IOHANNI ANTONIDES
vander LINDEN,
Medicinæ Candidato.
Nunc Profeſſ. Med. Franeck. Fr.

SCilicet à noſtro veniet tibi Gloria major
Carmine, Palladii Lauſque decuſque chori.
Eſt tibi fertilior ſeges alto in pectore laudum,
Suadaque mellifluo gratior ore fluit:
Quàm mea quid poſſit ſpatiis brevioribus apta
Addere muneribus ruſtica Muſa tuis.
Solus Alexandrum picturâ expreſſit Apelles,
Doctaque Lyſippi finxit in ære manus:
Ne facies mendax peregrinum exiret in orbem,
Vmbraque pro vero Rege probanda foret.
Tu quoque Palladii Clariſſime cultor agelli
Solus Apollineo pectine dignus eras.
Da veniam, precor, indoctæ ſterilique Camœnæ,
Carmine ſi laudes inferiore premam.
Virtus, Forma, Fides, & blandi Gratia vultus
Mente ſub Aoniâ conſociata nitent.
Sublimem Ingenii quiſquis miratur honorem,
Plaudentique refert talia verba ſono:

Hic

Hic dignus, ſacrâ redimat quem fronde Sophia,
Doctorem & meritò pulpita clara creent.
Felix ! cui facili ſic ſors arriſit ocello,
Annuit & lepidis ſic Dea docta genis.
Gratulor eximiam niveo tibi pectore ſortem,
Clarorum ſoboles ſtemmate nata Virûm.
Majus opus cuperem plectro graviore movere,
Sed fluit ingenii languida vena mei.
Clara ſerenato fulgebit Cynthia cœlo,
Quâ potero in laudes aptius ire tuas.

MARTINO LAVERMANNO,

Oratoriæ artis dignitatem publico

Encomio celebranti.

AVſonias artes, Gentiſque antiqua Togatæ
Sublimi, Iuvenis, Dogmata voce canis.
Atque humiles trepidant te nunc Cenſore Magiſtri,
Otia quos vitæ deſidioſa tenent.
Aut quibus exiguæ eſt præſtans Facundia curæ,
Doctaque contempto ſub pede Muſa jacet.
Cœlitùs armatur tali cum fulmine lingua,
Divinæque aliquid pars ea mentis habet.
Scilicet Ingenii ne munera rara fatiſcant,
Barbarus & Geticum ſcriptitet author opus.
Nam Latium priſcâ condas ſi nube lepôrem,
Et veteris ſileant Roſtra diſerta Fori;
Nec gravis Eloquiis Orator fulminet oris,
Suadaque Palladiis imbribus ora riget,
Perpetuus præclara ſopor monumenta laborum
Occupat,atque omnes Barbara turba ſumus.
Nubilaque involvunt Latio ſine Lumine Numen
Et lubrico Divûm ſcanditur ara gradu.
Non benè ſe nobis referant ſacraria Phœbi,
Nec bibitur pleno Caſtalis unda lacu.
Fulcit Apollineum facundus Tullius axem,
Et fluit hoc Muſis unica fonte ſalus.

Conatus

Conatus ſpes læta juvet pro gente Latinâ,
Et redeat noſtro Pallas amica Foro.
Roſcius hîc aliquis divino munere fandi;
Aut tonet eloquium, Numa diſerte, tuum.
Non fungos Animaſque leves orcheſtra capeſſat,
Publicaque indoctis torpeat Aula Viris.
Quos vagus incertæ crepitus ſufflaminat auræ,
Et nimium cupidos ſpes fovet ipſa ſui.
Tu, qui crudelem linguæ mavortius enſem,
Ingenii & ſtringis robora prima tui:
Auſpiciis *Martine* bonis, atque omine læto,
Haud pretium famæ vile decuſque feres.

PSALMVS CXLV.

TE Deus alme canam dignâ ſuper æthera laude,
Donec ab Eoo procedens cardine Titan
Quadrijugis invectus equis impleverit orbem
Lumine.Nulla dies rutilo ſeſe æthere tollet,
Quæ non dicentem nomen tuaque inclyta facta
Audiat: atque utinam tua poſſim Numina dignis
Efferre encomiis! tua nam præſtantia nullo
Sat digna ore cani, nec tolli carmine Virtus?
Quæ laudes hominum exſuperat ſenſuſq;profundos.
Nulla quidem venient tacitè labentibus annis
Sæcula, quæ non ritè tuos, pater optime, laudes
Commemorent; natis produnt ſua facta parentes,
Fortiaque ad ſeros tranſmittunt geſta nepotes.
Ipſe tuas laudes atque amplo carmine robur
Perpetuumque decus referam mirandaque facta.
Quàm tua ſit bonitas atque indulgentia multis
Larga modis, humiles non averſata precantes;
Iuſtitiamque ſimul dicam, quâ vindice pœnâ
Caſtigas reprimiſque malos puniſque rebelles.
Nullam ſcit metam Domini inclementia, nullo
Emoritura die, non ille ardeſcit in iras
Pronus, at eſt veniæ facilis, pœnaſque remittit
Promptior, ac veniam linguâ nos poſcimus ipſi.

Quò tua ſe bonitas, quò non extendit amicus
Ille favor, placido quo conſpicis omnia vultu.
Hinc, quodcunque tuæ eſt opus admirabile dextræ,
Amplexu quicquid ſtellantis regia cœli
Continet, id meritæ ſolvit libamina laudis,
Et te concelebrat Dominum, tibi pectore grandes
Grates ore ferunt, qui nullâ labe notati
Et vacui contage mali, vitiiſque nefandis,
Imperiique tui vires & nobile robur
Pulchrâ voce canent, ut nulli ſubdita cœlo
Sit regio, tua cui non nota potentia, & ille
Nominis extet honos, & gratia neſcia mortis.
Eſt tibi perpetuum imperium,nec temporis ullo
Incluſum ſpatio, qui metas neſcit, & ævi
Contemnit leges: tu lapſos erigis, atque
Subjectâ rurſus dextrâ ſuſtollis in altum.
Ad te unum ora levant omnes, oculiſque ſubinde
Reſpiciunt, cœloque venit demiſſa ſupremo
Horis eſca ſuis, qui quicquid cærula ponti
Stagna ſecat, quidquid blandâ trahit ætheris auram,
Vivit, & ad placitum dapibus ſaturatur opimis.
Iuſtus es in cunctis factis ſanctuſque, precantes
Qui tua ſupplicibus votis & pectore puro
Numina ſollicitant, clemens attendis, opemque
Suppeditas,præſenſque malis cunctiſque periclis
Eximis hos, qui te penitus venerantur amantque.
At ſcelerum turpes uſu, queis nulla ſalutis,
Nulla eſt cura Dei Legumque à ſtirpe revellis.
Te mea lingua canet Dominum rerumque parentem
Gratâ voce feret, te quævis ſæcula dicent,
Natio te extollet quævis, nomenque verendum
Omnes quotquot erunt celebrabunt carmine gentes,
Et vegeto queiſcunque data eſt in corpore vita.

CYPRI-

CYPRIANO OOSTERZEE,

Nuper apud Friſios Prætori.

In mortem Sodalis, Cadomi-Gall.

NE tibi quid primo pubeſcens flore Iuventæ
Spondeat, aut vitæ ſit tibi cura levis:
I comes inferiis, cineres fleturc ſodalis;
Iſtaque non ſiccis adſpice Buſta genis.
Hîc jacet effoſſâ gelidi ſub mole ſepulchri,
Qui nobis longæ leniit orſa viæ.
Qui toties fidam cecinit tibi carmen ad aurem
Et traxit lepidis tempora multa jocis.
Hic jacet, heu! quondam rerum pars ampla tuarum
Ille comes vitæ perfugiumque jacet.
Diſcimus hinc, ſortis quæ ſit fiducia noſtræ,
Omnia quàm conſtent in levitate ſuâ.
Dii tibi dent melius vitam producere Fatis,
Et Pylii fauſtos annumerare dies.

Diſcipulo ſuo,

OLPHARDO BELIDA,

Publ. Diſputaturo,

Nunc Sch. Harl. Rect.

HIc Logicus, Sophias didicitque fideliter Artes,
Qui ſale facundos condit & arte λόγους.
Non incompta decent, incultaque verba Latinos;
Sed nitor atque lepos debet ineſſe λόγοις.
Tu dici poſſis cum Rhetore, Belida, ΣΟΦΟΣ,
Æternus cœli faxit ab arce ΛΟΓΟΣ.

H. CHRISTOPHORO.

CRedite, dulce jugū eſt, ſoli ſe dedere CHRISTO,
Et verâ amplecti relligione Deum.
Nec malè per luxum tumidos diſtendere ventres,
Quod nimium curæ degener orbis habet.

A te-

A teneris didiciſſe Deum, Sapientia prima eſt,
Nec virtus iſtis altius ire poteſt.
Cætera perpetuis damnant ſub Tartara flammis,
Sed ſolùm cœlo mens ſine labe beat.
Viderat hoc nuper ſanctæ de colle Sionis
HIDDIUS, Aonii lauſque decuſque chori:
Et ſoli voluit ſervire & vivere CHRISTO,
Audiat ut vero nomine, CHRISTOPHORUS.

In Ejuſdem Mortem.

Hîc jacet Ingenio, Virtute, & Pallade præſtans
HIDDIUS, à CHRISTI nomine nomen habẽs.
Qui dum divinos Superis meditatur honores,
Et ſpem præclaram promovet Aonidum;
Prô dolor! ante diem crudelibus occubat umbris,
Et nimium ſubitò vermibus eſca datur.
Mens tamen æthereas, terris egreſſa, ſub auras,
Adſpicit ingentem cominus ore Deum.
Salve HIDDI! Salve cæleſtibus Hoſpes in oris,
Nunc ubi corporeo carcere liber ovas.
Nos mala multa manent mundi fœtore relictos;
Tu coram CHRISTO gaudia lætus agis.

In Tumulum
ANDRÆÆ ab ÆSCHEMA, I. V. D.
Pro Patre decumbente.

Hîc recubat gelidâ ANDRÆAS ſub mole ſepulchri
ASHCEMA: cui famam Muſa decuſque dedit.
Corporis hîc requies; cœlo mens alta triumphat,
Et meliore ſui parte ſuperſtes agit.
Ille ſatur vitæ mundanos ſprevit honores,
Aſtræâ cupiẽns cælitibuſque frui.
Ergò ubi fatali trux Atropos imminet horâ,
Pauperibus cenſum dividit ille ſuum.
Cedite Fortunæ, dixit, bona, cedite: Me nunc
Afficit Elyſii copia dives agri.

Scilicet

Scilicet in veram Virtutem & Pallada doctam
Non tenet imperium mors truculenta ſuum.

Dedicatiuncula, pro Diſcipulis.

I.

MAgne Vir, illuſtri comples qui nomine Belgas;
Cui dedit æternum Martia fama decus:
Huc age, Palladiis aures adverte camœnis,
Et Mars à Muſis ſanguinolentus eat.
Poſtulat Aonidum deterſos Gratia vultus,
Tu ne difficilis ſis quoque, Muſa rogat.

II.

Qui famâ Harlingam, CÆSARI, & laudibus imples;
Virtutum ſtudiis Pieridumque faves;
Et verſas alacri Muſarum in pectore curas,
Sinceràque colis Relligione Deum:
Hæc Tibi damnati miſerè ſuſpendia CHRISTI,
Æternùm totâ Dedico mente tuus.

III.

Magne Vir, Harlingæ quo major naſcitur urbi
Gloria; Quo floret cum Pietate Fides;
Et melior nobis Pallas deſcendit Olympo:
Quæ nuper tenebris penè ſepulta ſuis:
Accipe primitias noſtri, Vir docte, laboris,
Quas Schola præſidiis protulit aucta tuis.

IV.

Hoc Tibi, Vir prudens, monumentũ & pignus amo-
Offero, nominibus pignora digna tuis. (ris
Tu mihi conſilium virtutis mite dediſti,
In tenebris præfers cujus & ipſe facem.
Dî faciant! poſſis longævos vivere in annos,
Et felix noſtri Sceptra tenere Fori.

En

V.

En tibi, Mecœnas, CHRISTI pro munere cunas,
Munere quo poſſum non meliora dare.
Hîc recubat vili projectus ſtramine IESUS,
Cœli qui nobis reddidit unus opes.
Eheu! quid miſeri fluxos ſectamur honores?
Si jacet hîc Chriſtus pauper, egenus inops.

VI.

Prima mihi Cura eſt, Virtuti & vivere Chriſto;
Altera, Mecænas, vivere cura Tibi.
Quæ nunquam poſſit Pietas tibi falſa videri,
Has tibi ſincero dedico corde preces.
Et precor, ut Vatum longos tibi proroget annos,
Divinis animi Vir comitate bonis.

Ad Zoïlum.

QVæ data ſunt nobis vitæ præconia quondam,
Et merui ſtudiis clara trophæa Puer:
Hæc mihi Cimmeriis pudor eſt damnare tenebris,
Ingenii ac Famæ pignora prima meæ.
Quin patere, ut teneræ, Livor, Monumenta Iuventæ,
Cum Domino maneant perpetuata ſuo.

CIↃ. IↃ. CXXX.

Ad Ornatiſſimum Iuvenem,
Magni Patris, ſummæ ſpei Filium,
REINERUM NEUHUSIUM.

TV ſummi ſpes Magna Patris, tu vera Lycei
Laus es Franagrii, te tua facta beant.
Perge bonis cœptis fauſtum ſuperaddere finem
Et tibi propoſitas accelerato vias.
Perge, licet Iuvenis, tales producere fœtus,
Perge, quia eſt linguæ Suada probanda tuæ.

Te

Te Patriæ Deus huic ſervet, te mactet honore,
Te det & in Patrias dona referre Scholas.

MEINARDUS SCHOTANUS,
SS. Th. Profeſſ. & Acad.
Friſ. p. t. Rector.

IVSTI REIFENBERGII,

Iuris Prof.

προσφώνησις

Ad decus literatæ juventutis,

REINERVM NEVHVSIVM.

Sola pruinoſis quamvis facundia pannis
Horreat, & multos vanæ ſteriliſque cathedræ
Pœniteat, ſtudiis minùs hac ætate decôris.
Tu tamen, ô Iuvenum decus, & nova gloria pubis
Germanæ, toties dixiſti rhetor ad aram
Franigriâ in mediâ, curis ubi mollia doctis
Tempora concedit pietas, ſtudiiſque decôris.
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ,
Quæ ſe nunc laxat, nunc exſpatiata coërcet
Materiis diſtincta novis, cauſiſque repertis.
Cædit enim miſeros crambe repetita magiſtros,
Eloquium vocale, & copia plurima fandi
Te decorat, priſcæ flos illibate Camœnæ,
Communi haud feriens carmen triviale monetâ.
Quicquid Graja tenet, quicquid Romana vetuſtas
Conſequeris,necnon ſacrum ſophos atq; profanum.
Innocui mores, & rara modeſtia laudem
Fruge Cleantheâ purgatas inſeris aures.
Perge iter hoc, fatiſque tuis accede futuris:
Sed Muſas reverenter habe calamumque diſertum,
Non illum ſtringes, aut cultæ verbera linguæ
Ingentes contra proceres , columenque ſupremum,
Imperii qui jura tenent, rebuſque ſuperſunt.
Exerce pacatas cum curâ ſedulus artes.

Diva

Diva ſalutiferâ frontem circumdata olivâ,
Quando erit ut redeas deterſo pulvere Martis?
Tunc geminas pax alma tibi ſacrabimus aras,
Et denſi ſtreperi claudemus limina Iani.

Ad moribus & Eruditione Ornatiſſimum Iuvenem,

D. REINERVM NEVHVSIVM.

HVnc nuncupabo neutiquam fortem virum,
Qui ſubtrahit ſe publicis negotiis,
Privata nec curat, levi in ſilentio
Mollique tranſigens ſuam vitam ocio:
Qui non probè multis malis exercitus:
Nec durioris paſſus adverſarii
Sit impetum. Sed ille talis audiet,
Quem delicata molliunt nec atterunt:
Quem non egeſtas dura, nec ſeverior
Sors, aut minæ tyrannicæ à bono abſtrahunt.
Præclarus ille quippe victor omnium eſt,
Mentem malam qui vincit, affectus ſuos
Qui fortiori ſubjugat manu ſibi.
Perdocte, *Neuhuis*, ſemitam cum dexterè
Virtutis urſeris, Viroſque nominis
Magni ſecutus, & plebeja negligens
Excelſa tantùm pectori incoquas tuo.
Non te moveri paſſus es mundi jocis:
Sudore nullo fractus es, ſed fortior
Audentiorque mens erat perrumpere,
Quò durior labor fuit. Tu Rex tui
Sic te regebas, præfici ut multis queas.
Laurum mereris jure næ Parnaſſiam
Laudemque, dignus ad ſuprema emergere.
De Filio tanto Patri nunc gratulor:
Et Friſiæ meæ benignè ex intimis
Præcordiis, quòd nacta civem tam bonum.
Rogoque Numen, cuncta quod regit ſuo

Nutu,

Nutu, reducat ad tuos te ſoſpitem,
Lætumque, quò prodeſſe plurimis queas.

Adſcripſi B. SCHOTANUS
I. V. D. & Profeſſ.

In Orationem & Carmen
Eruditiſſ. & præclaræ ſpei juvenis
D. REINERI NEVHVSII,
Politioris literaturæ ſtudioſiſſimi.

GEntis Romulidum ut facundi Muſa Maronis
Ambiguos caſus, arma viroſque ciet:
Ortum Chriſtiadum Regis, duroſque labores
Sic canis, afflicti ſigna, trophæa Iovis:
Altiſono hæc tradis cantu, quo priſca Poëtæ
Suada loqui edocuit facta ſtupenda Ducum.
Macte animo, claros inter celebrabere vates
Vera Patris ſoboles, Pieridumque decus.

Poſuit HENR. RHALA Iur. &
Hiſtor. Doct. & Profeſſ.

Pio, inculpato, erudito, magnæ ſpei, erectæque indolis Iuveni;
D. REINERO NEVHVSIO,
ET
Bonarum literarum, Philoſophiæ Studioſo.

DVm torpet, paucis, quos Gloria, mentis honeſtæ
Fax, trahit, exceptis, Academica noſtra juventus,
Dum ſtylus & Latiæ friget facundia linguæ,
Quamvis exemplo præeant inſtentque magiſtri,
Tu, juvenis generoſe, caput ſuſtollis & effers,
Oſtendens pectus ductum meliore metallo.
Admirata fuit perſæpe Academia, doctas

Nervoſaſque theſes, proprio, te Marte, tuentem,
Præſidis auxilio atque opera vix indigum. At ipſa
Admirata fuit magè, cum, aut ſermone ſoluto,
Aut ſtricto, toties dicentem audivit, & ori
Tantùm intenta tuo Patriæ ſpes ora tenebat.
Nobile depoſitum! tu gloria juſta parentis,
Tu vir magnuseris. Quod ſi mihi de tribus unus
Obtigerit talis, non illud proloquar unquam.
Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι.

S. AMAMA,
Hebrææ Linguæ Profeſſor.

Προπεμπτικὸν. Δεκαδίστιχον

Ad juvenem virtute & doctrina Ornatiſſimum

D. REINERUM NEUHUSIUM,

Ad Gallicas Academias abeuntem.

NOn facilè emergunt, quorum conatibus obſtat
Aut ſtupor ingenii, aut aſpera pauperies.
Neutra retardabunt te incommoda. Non tibi deerit
Aurum, arridebit pontus & *aura* tibi.
Vidimus ingenii ſpecimen, totieſque Lycéa
Verſibus & metris perſonuêre tuis.
Quodque rei caput eſt, vitæ probitate, virenti
Præluxiſti ævo, & relligione tua.
Sint licet ora viro Ciceronis, ſitque Maronis
Vena, tamen nihilo eſt, ſi pietate vacet.
Hactenus ergo DEO ùt vixiſti, vivere perge:
Atque ita ſuccedet, quod bene carpis, iter.
Sic verè emerges, & Gallica lætus adibis
Æquora, quæ niveo lacte favoque fluunt.
Vnde bonis geniis comitate, Νέοιϛι, pioque
Poſt geminas meſſes reſtituêre patri.
Et, ſi fata volent, mea tempora cana reviſes,
Voſque ſalutabo, Te comiteſque tuos.
Sic bene (ceu voveo) vertat Deus omnia, noſtræ
Poſt ſaga *Teutonia* reddat & IPSE togas.

Aliud.

Aliud.

In Nomen

Doctiſſimi & Magnæ ſpei Iuvenis,

D. REINERI NEVHVSII.

NOmen habes aptum, loto baptiſmatis unda
Quod tibi majores impoſuêre tui.
In vitâ, & ſtudiis, nec non ſermone Latino
PURUS es, æqualeſque anteiiſſe ſtudes.
Vix vidi, celebris qui ſic veſtigia Patris
Exprimat, eloquii qui referatque decus.
Alter es EDO, Pater per te audiet immortalis,
Friſiaque EDONEM ſemper habebit humus.
Quæque tuo toties ædes ſacra perſonat ore,
Imponet capiti laurea ſerta tuo.
Sic Ego conjecto. Tandem tibi præmia honoris
Debita conſtanti noſtra Lycêa dabunt.

GEORGIUS PASOR,
Græcarum Litt. Profeſſor.

GRATULATIO

Ad Doctiſſimum & præſtantiſſ. Iuvenem

D. REINERVM NEVHVSIVM
Amicum dulciſſ.

OMnipotens Genitor mortali ſemine cretis
Donat inexhauſto munera larga ſinu.
Dotibus hic blandæ ſortis ſublatus in altum
Accumulat cenſu divite lætus opes.
Artibus ille ſacris meritus laudabile nomen
Egreditur famâ vividiore rogos.
Sunt, quos flammiferum tranſvexit ad æthera virtus,
Et titulis auxit cælica Muſa ſuis.

Felices animas! quibus eſt tam grata bonorum
  Copia, divinus quas ita tangit amor.
Aſt longè ſuperat fluxarum pondera rerum
  Cœleſtis bonitas luxurioſa Patris.
Filiolum noſtræ ſortis miſeratus *Ieſum*
  Æthere qui miſit candidiore ſuum:
Qui lapſus hominum, triſtiſque piacula vitæ
  Tollat, & amiſſo rurſus honore beet.
Hæc, mi *Neuhuſi*, genio ſtimulatus avito
  Sacra cothurnatâ munera voce canis.
Ad *Patris* ingenium limatos exeris ungues,
  Et Latio ſpondes priſtina roſtra foro.
Hoc decus; & *Filî* magna incunabula laudis
  Carmine gratatur noſtra Thalia *Patri.*
Sceptra *Leoninæ* præfert qui regia *Pubi:*
  Cujus ab eloquio mellea ſuada fluit.
Perge bonis, precor, auſpiciis & honoris ad ædem
  Vrge conſtantes *Dulcis Amice* gradus.
Franika jam meritis amplos meditatur honores,
  Friſiaque in laudes proſilit alma tuas.

BERN. FULLENIUS
Heb. Ling. Prof.

In Orationem
Doctiſſimi Iuvenis,
D. REINERI NEVHVSII
de rectâ emergendi ratione.

VIderat ut veſtræ venam *Reinere* Suadæ,
  Cui ſua diſtribui præmia gaudet, *Honor:*
Nunc, ait, ambitio quid me furibunda laceſſis?
  Nequicquam affectas ad mea ſacra viam.
Non mihi ſunt tituli, nec ſunt inſignia tanti,
  Queis probitas veteres condecoravit avos.
Nec favor in precio eſt poſthac; valeatis amici:
  Nuda mihi virtus & genuina placet.

Illa

Ila mihi ſociam ſe præbet; ad illius ædem
Acceleret greſſus, qui mea templa petet.
Odimus ambages: nec fraus mihi grata: probetur.
Vir meritis, arbor fructibus, ungue Leo.
Sic properat, ſic ſe *Nenhuſius* exerit: &, dum
Progreditur, verum monſtrat & urget iter.

L. M. Q. applauſi
P. KNYFF. IC.

REINERO NEVHVSIO F.
adgratulatur
EDO NEVHVSIVS P.
Cum ederet Poëmata Iuvenilia.

ERgò viam tentas, *Fili*, quâ ferre ſub auras,
Et tenerum poſſis tollere Nomen humo?
Sic *Puros*, pubente genâ, tibi quæris *Honores*?
Moliriſque *Nova* Fulcra decuſque *Domus*?
Hæc ſunt prima rudis tantùm veſtigia Famæ:
Hinc opus eſt grandi fortius ire gradu.
Seu Divina velis; ſeu Civica pandere Iura:
Aut te Socraticis inſinuare Libris.
Poſt vernæ Florem pubis, ſpecimenque Iuventæ,
Ingenio fructus uberiore feres.

aliud
Cum ederet Orationem Metricam
de
Generatione & Regeneratione Hominis.

ERgò agis, & primo Virtutem ſtrenuus ævo
Exeris, & Muſis ver juvenile locas.
Perge citos inferre gradus, & Honoris ad Ædem
Macte, laboriferâ nitere, Nate, viâ.

Illic multarum ſtabulantur Monſtra Ferarum,
Quæ tibi, ni caveas, damna pudenda ferent.
Hic inimica tibi protendet tela Voluptas,
Et lepidum Siren concinet ore melos.
Iſtic incutiet tardos Ignavia ſenſus,
Aoniæ metuens aſperitatis iter.
Nequities alibi vafri maleſuada Sodalis
Cæca fraude dolos inſidiaſque ſtruet.
Huic mala Paupertas; illi Dîs copia: mentem
Altius illa levat; deprimit iſta: nocet.
Sunt, quibus Icarios fallax perſuaſio ſenſus,
Elati vitreâ cognitione, dedit.
His Tu cum Monſtris; animis & pectore, Fili,
Firmo opus eſt; forti prælia Marte feres.
Adiuti vincere DEO: Labor omnia vincit:
Omnia cum Precibus fervida Cura poteſt.
Macte animo, *Puros* quære ambitioſus *Honores*,
Vt ſis fida *Novæ*, Nate, Columna *Domus*.

Nobilis-

Nobiliſſimo HEROI,

D. THOMÆ ab EGMOND à NIEUBURCH.

Conſuli & Scholarcha Alcmariano.

In Filioli diligentiam

TESTIMONIA.

I.

IMpiger Aonias conſcendit Filius arces,
Cum ſacro & vitam Numine caſtus agit.
Caſtus agit vitam, virtute & Pallade caſta:
Haud aliter gaudent Numen honoſque coli.
Dignus,ut amplexus ſubeat Matriſque Patriſque:
Hoc unum meruit ſedula Muſa decus.
Ad famam nomenque æquis ſic paſſibus itur,
Nec facilè in tenebris igneus ardor agit.
Oſcula da Nato Mecœnas, oſcula Mater
Iunge libens; roſeis oſcula blanda genis.
Sic Lauri palmæque vigor traxere juventam:
Hoc in Pierides præmia calcar habent.
Præmia magnarum credas nutritia rerum:
Præmia ſi tollas, Pallas Honoſque jacent.
Magne Virûm; dabit hæc olim tibi gaudia proles:
Conſilium hinc Batavus poſcet opemque ſuam.
Creſce Puer, creſce auſpiciis & Numine dextro,
Vt Patris & Patriæ lauſque decuſque ſias.

II.

Sic veterem Muſas inter tranſegimus Annum,
Sic novus Aonia creſcit in arte labor.
Creſcit amor Phœbi, meritorum gloria creſcit;
Omnia ſole novo viribus aucta novis.
Gratulor ingentes animi Natique theſauros;
Sit tibi, ſit læto vere Iuventa, precor.

III.

Accipe Filioli chartacea munera Conſul;
Et tibi quæ ſacrâ luce precatur amor.
Nec verbis hæc nuda ſiant, hîc præmia cernis:
Quæ meruit ſtudiis addita multa dies.
Nos quoque, Mecœnas, pro nati munere CHRISTI
Reddimus ad magnum vota preceſque Deum.

IV.

Dum furit horrendum Boreas, bacchatur & Eurus,
Et maris irati verberat unda rates:
Nos tacitâ & tutâ Muſas ſtatione tuemur,
Impetit & Phœbi nulla procella lares.
Alme Deus! nullam faxis Theſſalia cladem
Nunciet, & nobis ſit procul ira tua.
Sit procul à Batavis miſerandæ claſſis imago,
Neve ſuum doleat mœſta marita virum.

V.

Frigoribus mediis Muſarum induſtria fervet;
Nec trux Aoniam Pallada turbat hyems.
Plaudite Pierides: quarum non regna ruinas,
Nec magni metuunt tela triſulca Iovis.
Æternum ſtat fixa loco reverentia vatum,
Doctorumque caret nomen honoſque rogis.

VI

Accipe Filioli poſitas in Pallade curas,
Et placeat nobis teſte fideque labor.
Proderit hoc olim, cûm pingui meſſis in herbâ
Proferet in Patriam commoda multa ſuam.
Hoc precor, & longum Tu ſoſpes vivere poſſis:
Sis mihi, ſiſque Tuis lauſque decuſque diu.

VII.

Qui pridem ludos & Bacchanalia vixit,
Non minus Aonia movit aratra manu.
Altera Palladias reſpexit Cura Camœnas,
Altera delicias Bacche Veneriſque tuas.

Sic

Sic olim rigidum fregerunt vina Catonem,
  Sic ſapiens miſcet ſeria ſæpè jocis.
Da teneris animis etiam intervalla laborum;
  Nec tendat doctam ſemper Apollo chelyn.
Sic docuit natura parens, & provida nutrix
  Omnia per certas mutat agitque vices.
Sed celer ad Muſas, juvenis ſtudiumque reverte;
  Sic noceant vobis otia ſumpta minus.

VIII.

Frigora jam ſtringunt vitreas amplexibus undas,
  Intenſoque riget Parrhaſis urſa gelu.
Mens tamen officii ſervet ſecura calore,
  Nec nocet ingenio triſtis inerſque dies.
O utinam! nobis peccati mole gravatis
  Sic quoque divinus ſubdat amorque faces.
Sed breve ſe vitæ tempeſtas atra reſolvet,
  Et meliore mihi ſidere ver aderit.
Vergimus ad metam, fugit irrevocabilis ætas;
  Tu ne dilectos deſere, CHRISTE, Tibi.

IX.

Sat Muſis Phœboque datum per frigora Brumæ,
  Et ſua Pieriis jam quoque meſſis ineſt.
Talia ſi nobis protrudat germina frigus,
  Dic mihi, Mecœnas, qualia veris erunt?

X.

Quantum & quale decus, Virtuti incumbere Muſas,
Mecœnas! ſtudiiſque Virum volitare per ora,
Et famâ ſe tollere humo. Sic vivere pulchrum:
Cætera fortunæ rotat inconſtantia. Virtus,
Et Phœbea manent ſolidis innixa columnis
Atria; nec ſacras tangunt mortalia Divas.
Impatiens tolerare jugum Dea: viribus Orcum
Stat contra, vultuque uno, nil territa, quodvis
Exſpectat Fatum. Propius contingere divos
Aoniis Phœboque datum. Sic Delphica nobis
Ægeriæque olim ſpondent oracula templi.

Huc properat generoſa tuæ Virtutis imago
CORNELIDES, Patrique parem, nec ferre minorem
Ardet, & ingentes trahit in commercia Vates.
Plaudite Pierides, rariſſima gloria mundi,
Idæumque ſuper longum revireſcite culmen.

X I.

Iam Zephyri redeunt, & triſtia deſpuit Arctos,
Frigora: jam cunctis vis nova rebus ineſt,
Quid mirum, ſi noſtra magis virtute juventus
Ferveat, ac cœli creſcat ab igne labor;
Creſcit amor Phœbi, creſcit cum Pallade Virtus,
Nec patitur lentas gloria ferre moras.
Adde decus ſtimuloſque Pater: Sic fortius ibit,
Qui licet aſſuevit currere ſponte ſuâ.

X I I.

Si mea vox ceſſat laudes depingere Nati,
Sponte ſuâ peragit Muſa favoris iter.
Nec volet Aonidum Virtutis ſedula nutrix
Nobile Muſarum turpe ſilere decus.

X I I I.

En Tibi, Mecœnas, Muſâ teſtante triumphos:
Sunt hæc Aſcanii parva trophæa tui.
Parva quidem parvâ veniunt munuſcula mente:
Magna dabit, quando mens quoque major erit.

X I V.

Macte Puer! Tibi larga Dei clementia cœlo
Adfluat, & Phœbi conduplicetur amor,
Noſque tuam teneris vitam formemus in annis,
Donec liberior ſit tibi ſumpta Toga,
Et prætexta ſuum poſuit ſecura vigorem;
Publicaque in laudes plaudat arena tuas.

X V.

Rurſus Olympiacæ ſubit in certamina palmæ
Afflatus Phœbi Numine, *Cornelides.*

Pergite

Pergite Pierides, ſacros tutarier ignes,
Ne vis Ingenii tanta perire queat.

XVI.

Hactenus invitis nobis ceſſavit Apollo,
Indulſitque ſuis diva Vacuna ſacris.
Nunc iterum totis ſudoribus ire per altum,
Cunctos neglectæ Palladis urget opus.
Fervet & ingentem Phœbo ſe ſpondet alumnum,
Nunc nova qui meruit præmia *Cornelides*.
Sic Pallas ſolitoque minus ſua penſa peregit.
Imputet hoc aris ſacra Vacuna ſuis.

XVII.

Fervet opus, duplicique calet ſub Pallade bellum:
Ille Togâ pugnas nunc agit, ille Sago.
Sed tuus in pulchro, Mecænas, pulvere Lauros
Plus meruit magno Principe Filiolus.

XVIII.

Sic rurſum Victor retulit ſpolia ampla Minervæ,
Pieridumque tuus laude triumphat Amor.
Aſcanio cur plaude tuo, cur plaude Camænis,
Sub juga quæ rapiunt nunc ſua *Cornelium*.

XIX.

O ſi Naſſovio cedant ſic prælia Marti
Quàm tua Filiolo præmia diſtribuis.
Palladis armatæ jam pridem gloria languet:
Pieridum pulchro Marte triumphat honor.

XX.

Dum Batavi certant armis terraque mari
Hîc Sacrum Aonio ſub duce fervet opus.
Præmia Naſſovio ſub principe ſanguine conſtant,
Nos ſed Apollineâ ſtringimus arma manu.
Durus uterque labor, Morinos à ſedibus imis
Barbariemque ſua mente fugaſſe rudem.

XXI.

Pallada proſequitur generoſo Marte juventus:
Hîc tuus ad palmam præmiaque urget Amor.
Dum tenera eſt arbos, varios torquetur in uſus,
Vt Dominum pulchro ditet honore ſuum.
Sîc rigidam cogit prudens Rectura juventam,
Publica res fructus carpat ut inde ſuos.

XXII.

Omnia jam fervent, mediiſque caloribus apti
Nos tamen ad curas penſaque noſtra ſumus.
Sirius Ætnæos fornacibus exſpuat ignes,
Spontè ſui peragit Muſa laboris iter.
Scilicet, ingenuæ conſtant ſudoribus artes,
Nec jacet in molli Pallas Honoſque toro,
Præmia, Mecænas, cedant conatibus iſtis:
Sic magis ad palmam fertur, & urget equus.

XXIII.

Odimus inviſum, quo turbant omnia, Martem:
Qui nunc Heroum ſanguine tingit humum.
Nos hîc Parnaſſi fortes invadimus arcem,
Quà Batavus nullo ſanguine rivus eat.
Non cadit in Phœbi caſtris per vulnera quiſquam,
Hæc omni ſemper Sparta timore vacat.
Hîc vox pro clypeo, pro telo & fulmine lingua eſt,
Et ſoli in vitium fortiter arma damus.

XXIV.

Æternùm Virtus Phœbique inſignia durant,
In quæ nil juris labile tèmpus habet.
Ergo animum vulgi Cenſum nunc porrigit ultra
Filius, & firmo pondere quærit opes.
Quærit opes, quibus infidi ludibria mundi,
Et bona Fortunæ lubrica deſpiciat.
Quas non ulla dies, non ſævi injuria Fati,
Aut furtiva ſibi diripiatque manus.

Metitur

XXV.

Metitur ſpatiis Titan brevioribus orbem,
Cæſare ſub magno contrahiturque dies:
Non ſua deſtituit pertexere Filius orſa,
Nec patitur ſolers cura laborque moras.

XXVI.

Gallia tergeminis ſpoliis dum læta triumphat,
Collaque Borbonio dat ſua victus Iber,
Abjicit omne jugum ſervilis protinus otî
Filius, ac tanto ſub duce fortis ovat.

XXVII.

Mitia, Mecœnas, Autumni munera mittis:
Qualia Laurigerus munera Phœbus amat,
Mitia non vati dat munera Phæacis hortus,
Ingenii nobis naſcitur arte ſeges.
Hæc de Muſarum, Mecænas, divite cenſu
Palladiæ pubis dona remitto tibi.
Quæ mihi Filioli labor & laus porrigit ultro;
Munere quo nullum grandius eſſe queat.

XXVIII.

Sic nos Mecænas, longi ſpes adſpicit anni;
Sic ſua Pierides raraque meſſis amat.
Virtutumque ſeges plenis hic turget ariſtis,
Ingenii & pulchrâ prole reſpondet ager.
Plaudite jam Batavi: Quos mactat adorea duplex,
Muneribuſque beat Pallas & alma Pales.

XXIX.

Adde novas lauros priſcis Alcmaria lauris:
Iam ſuſpende tuis clara trophæa tholis.
Maſcula nam virtus puerilibus exit ab annis,
Et te propitio Sidere Pallas amat.

XXX.

Inſere Pieridum Virtutis ſemina pubi,
Cumque opibus creſcat Relligionis amor.

Sic tibi majores Alcmaria debet honores,
Terrarum quàm ſi regna Deoſque domes.

XXXI.

Hactenus Aonium Pallas ſuſpendit aratrum,
Et nimio Phœbi torpet arena ſitu.
Hinc ad Apollineæ curremus præmia lauri,
Ac tanto major ſudor & ardor erit.
Proſperet illa Deus! tu Patris jura tuere;
Noſtram quod deceat Pallada, Rector agam.

XXXII.

In Sylvis leporem ſectatur; in arte leporem.
Vtraque ſic Nato fervet arena tuo.
Præmia ſed reddas, Sylvæ qui munera donat:
Vis cauſam? Muſis gratior eſſe cupit,
Nos mage Sylvano grati ſtudioque Dianæ,
Reddimus Aonia munera larga manu.

XXXIII.

Fert via bicipitis Parnaſſi ad culmina montis:
Quam tenet aſſiduo Cura laborque comes:
Sed tuus in clivum contrà conſurgit anhelus
Et tantò durum fortius urget opus.

XXXIV.

Dumque aliquis noſtris Muſis obmurmurat aſper
Moribus, & turbat remque laremque meum:
Filiolus ſua colla libens ſubmittit habenis;
Nec gravis imperio, difficiliſque ſequi.
Hoc oro: ſacris eſto reverentia Muſis;
Et pereant, leges qui periiſſe volent.

XXXV.

Quæ bona ſumma rogas? Virtuti & vivere CHRI-
Aonidum & ſtudiis exeruiſſe caput. (STO,
Pallada ſed Solymæ Nymphis poſtpone, juventa;
Et teneat primas relligioſa fides.

Illa

Illa animam contra Plutonis protegit ungues;
Hæc mundi famam donat & aſtra petit.
Vtraque ſic noſtras deceant divortia Muſas:
Hinc Phæbo ſurget meſſis, at inde Deo.
Illa tua eſt, ô macte Puer, Virtutis arena,
Quo te Pieridum cura laborque trahit.
Alite quod fauſto generoſas excolis artes,
Senſim progreſſus ad Bona ſumma facis.

XXXVI.

Nunc illi Macedo Virtutis ſubjicit ignem,
Et ſpes in parvo ſiſtere parva nequit.
Scandere Bucephalum totis penetralibus ardet,
Vt Regem præſtet ſeque Deumque Puer.

XXXVII.

Annua jam ſpatiis emenſus Sidera Phæbus,
Filius ut pulchro fine coronat opus.
Naſcentur quoque ſole novo nova tempora Muſis,
Et juxta Phæbum Palladis ibit amor.

APPA-

APPARATUS
Belli Spiritualis,
Inſcriptus
Reverendis, Clariſſ. Doctiſſ.
Dominis
D. MARTINO BRUNONI.
D. IOANNI KNYFFIO.
D. IACOBO CLERQIO.
In Eccleſiâ Alcmarianâ THEOLOGIS præſtantiſſimis, Amicis animitus dilectis.

EXcubat oppoſitis inimica ad prælia ſignis
Dum vivit, mortalis homo, Marteſque fatigat
Miles, & infeſtis miſer exercetur in armis:
Nec mora, nec requies, jugulo ferus imminet hoſtis
Tartareæ de fauce domus, validoque furore
Percitus, immiti lethalia vulnera telo
Mittit, & eructans tenebroſi virus Averni
Occupat attonitas lethi diſcrimine mentes.
Nec paſſus torpere gravi ſua Tartara ſomno,
Vmbrarum genus indomitum Lemurumq; phalanges
Concitat & totum rapit in fera bella Barathrum.
Stat ſcelerum truculenta cohors, atque horrida miſcens
Prælia, lethiferis mortalia pectora telis
Impetit. Hinc rapidi ſoboles nequiſſima mundi
Bella movet; trepidis illinc maleſuada voluptas
Inſtat, & in medio feritur diſcordia tecto.
Fervet opus, dux ipſe truces inflammat ad iras
Infames ſcelerum famulos vireſque miniſtrat.
Has Erebi furias, atque hæc certamina verſu
Proſe-

Proſequar, & duros hominum memorabo labores,
Chriſtiadumque acies. Tu ſola atque unica Mundi
Spes Cœlique decus, caſtâ qui Virginis alvo
Editus humanæ ſubiiſti ergaſtula carnis,
Vera Dei ſoboles; tumidi qui victor Averni
Calcaſti Satanam pedibus, Stygiumque Colubrum
Imperio premis, & læto dominaris Olympo;
Chriſte potens rerum, cæpto ſuccurre labori,
Aſpiraque mihi, primaque ab origine pande
Inferni furias, & tanti incendia belli.
Vrbs jacet & rutilo faſtigia proxima Cœlo
Ingerit, auguſtæ rupes ubi ſancta Sionis
Celſo colle tumet, Cananeaque proſpicit arva
Eminus, Hebræo quondam poſſeſſa colono,
Dum ſtaret regno incolumis, nec Numine ſpreto
Abjiceret patrios ritus ſcelerumque per omnes
Paſceret illecebras animum, nunc Hoſpita terris
Omnibus, à primo qua ſeſe cardine Titan
Tollit, & extremas ſpatioſo limite gentes
Circuit: ante fati quotquot cunabula Mundi
Æterno Pater in Chriſto devinxit amore,
Sacravitque ſibi numeroque elegit ab omni,
Conſortes magni ſecum facturus honoris.
Vrbs dilecta Deo ſolidæ quæ in vertice rupis
Conſita, bis ſenis fulget ſubnixa columnis:
Quas vis nulla virûm; non ipſi evertere flammis
Ditigenæ poſſint; bis ſenis limina portis
Difficiles reſerant aditus, quas lecta coronat
Cuſtodum legio, quæ pigri neſcia ſomni
Excubat; & magnis latè clamoribus inſtat,
Accelerare gradum, & ſacris ſuccedere tectis,
Sordibus abſterſis ſcelerum, vulguſque profanum
Arcet veſtibulo. Rutilis faſtigia gemmis
Murorum turrita micant, munimine fido
Suſtentata precum: quarum alto in vertice dives,
Effulget Bonitas, ſolidæque innixa columnæ
Intemerata Fides, & ſervantiſſima legis
Iuſtitia, & ſocio ſecum trahit agmine Pacem.
Alta

Alta rupe cadit, viviſque è fontibus exit
Puræ rivus aquæ, qui languida pectora rore
Nectareo relevat, dulcique humore medullas
Irrigat, & cordis flagrantem temperat æſtum.
Hanc contra immiti fertur trux Cerberus irâ,
Exercetque odiis, & ſævo Marte fatigat
Inviſos ſcopulos, totoque adnixus Averno
Disjectos æquare ſolo conatur, & imo,
Si qua cura ſinat Superum, ſubvertere fundo.
At ſimul audierat Mortali à ſanguine duci
Progeniem, Stygias olim quæ verteret arces,
Atque Sionæum divino robore collem
Aſſereret, mundoque iterum reſeraret Olympum,
Et debellati ſpoliis Acherontis onuſtus
Ardua ſublimi ſignaret ſidera curru.
His ſuper accenſus, ſævo dat vela furori
Dæmon, & indomitas fertur violentus in iras,
Et ſcelerum notas artes exercet, & omni
Vrget ope, tantis obſtacula ponere rebus,
Inviſumque hominem promiſſo avertere cœlo.
Iamque ubi ſumma dies & ineluctabile tempus
Fit propius, celerante gradu: quo debile mundi
Exſcindetur opus, rutiloque arſura camino
In cineres reſoluta fluent mortalia: tantò
Ardet in arma magis Coluber, ſævique doloris
Irarumque omnes laxat truculentus habenas.
Scit tenues ſupereſſe moras, ſpatiumque furori
Exiguum, & claræ radiantem nubis amictu,
Angelico ſtipante choro, lateque tubarum
Accenſo ſonitu, Cœloque Ereboque potentem
Adventare virum: qui fido examine Iudex
In ſcelus inquiret vetitum, ſubigetque fateri
Illicitos auſus, ſceleriſque coarguet Orcum,
Et cum ſacrilego Belialia Tartara mundo
Vindice mulctabit pœnâ veterumque malorum
Supplicio arcebit: ſed fortunata piorum
Agmina, promiſſo cives adſcribet Olympo.
Vix è Virgineâ placidum caput extulit alvo

Spes

Spes hominum mundique ſalus, jamque aurea cœlo
Pacato, dulcem ducebant ſecula pacem,
Cum Satan æternum ſervans ſub pectore vulnus
Talibus immites ſeſe adhortatur ad iras;
Siccine me fractis animos ſubmittere rebus,
Nec poſſe æthereis hominem ſecludere regnis?
En Ego, cui vaſti Lemures famulantur Averni,
Quem mors agnoſcit dominũ, quem ſubdita mundi
Sceptra colunt; una pugnans cum gente tot annos
Bella gero! Quid non, primo dum mundus ab ortu
Fluxit, ago? quas non toties converſus ad artes
Cum fragili contendo luto, quâ Tartarus irâ
Sæviit, immittens patulo Cocytida Mundo
Victor, & innumeras lethali vulnere mortes?
Scilicet has fruſtra Phlegetontem impendere curas;
Nec juvet obniti quicquam, nec fortia contra
Tendere? tanta leves rapiant conamina venti?
Ille inimicus atrox ſævâ implacabilis irâ
Succenſuſque odiis Erebi, non ſuſtinet ultra
Tartareas dare jura domos, & Marte ſubactos
Terrigenas, Stygio ſubmittere colla capiſtro.
Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura beatis
Suadet abire plagis, patrioque excedere regno,
Et penitus miſeros terrarum habitare receſſus,
Atque puellari conceptum viſcere Numen
Sumere mortales habitus, ſpoliumque caducæ
Carnis & humanæ fatum lacrymabile ſortis.
Hæc ſecum; rabieque amens & fervidus irâ
Antrum immane petit, tenebriſque infuſus opacis
Tartaream intendit vocem fremituque ſonoro
Intonat. Intremuit tantis ſtridoribus Æther,
Attonituſque ſtetit pontus, fluviique citatos
Compreſſere gradus, timuitque exterrita tellus.
Ipſa manus Lemurum, nigris ſtabulata catervis,
Ad Regem maturat iter foribuſque propinquat.
Ille tenebroſo furit & bacchatur in antro,
Multa gemens ſecum dictiſque inſurgit acerbis
In Superos, & Averna ſonans Erebumque Chaoſq;

Sidereas fumare domos terraſque reſolvi
Orat, & horrendis miſceri cuncta ruinis.
Ingenti patet ore Chaos tellure ſub imâ,
Infernum ſacri dixere volumina verbi.
Sulphureoſque lacus, & egentem lucis Abyſſum,
Regnatas Plutone domos & ſquallida mortis
Atria, perpetuoſque ignes, rapidiſque caminum
Vndantem flammis, altaque voragine celſo
Abſciſſas Cœlo fauces, nigramque Gehennam,
Manibus hoſpitium Stygiis: quod vindice Chriſto
Æternis ſtringet vinclis & carcere turpem
Frænabit Satanam, & ſævo populabitur igne
Degeneres animas, pœniſque urgebit acerbis
Nequitias, ſubigetque nefas ultore Camino.
Surgunt innumeræ, ſpatioſo limine, portæ,
Et faciles pandunt aditus, vaſtoque patentes
Rictu ſemper hiant; denſo ruit agmine mundi
Inconſulta cohors, patuloque infunditur Orco,
Feſtinante gradu; quâ trito calle viarum
Semita lata patet; quâ vis impellit Averni.
At domus interior luctu miſcetur, & alto
Suſpirat gemitu planctuque immugit acerbo
Infernale ſpecus, miſtiſque ululatibus ingens
Plorantum fremitus,clamorque auditur, & atrox,
Dente repercuſſo ſtridor: Nox horrida fœdis
Nigreſcit tenebris, umbriſque horrentibus antro
Incubat; exundat denſâ caligine fumus
Peſtifer, & piceis crepitant incendia flammis,
Non moriente rogo. Toto Cyclopes Averno
Tartarei volitant, & noxia pectora duro
Supplicio ſubigunt, cladeſque & triſtia mundo
Fata parant, nectuntque dolos, & cæca malorum
Semina diſpergunt Stygioque incenſa veneno
Pectora transfigunt hominum,Lethoque ſubacto
Intima præcipiti rapiunt ſub Tartara fato.
Errant Nequitiæ circum, ſcelerumque refulget
Immanſueta phalanx, & Fraus perjura Doliqne
Manibus incedunt mixti, vultuque feroci

Impietas,

Impietas, Iræque truces, & cæca Cupido;
Eumenideſque ruunt Stygiæ: vomit horrida peſtem
Tiſiphone ſpumamque Erebi diffundit, & atrâ
Ora lavat ſanie furiiſque accenſa Megæra
Colligit indomitam rabiem; ſcintillat ab ore
Flamma, micant oculis ignes; Alecto flagellum
Concutit, & ſocias impellit voce ſorores.
Hic luit infelix, æternâ morte, Cainus
Fraterni crimen juguli, cognataque ſævâ
Viſcera rapta manu. Hic mundi primæva propago
Aſpera Lamechidæ monitis, & prodiga Cœli
Dat meritas culpæ pœnas. Hic impius altum
Suſpirat Sodomæ cives juſtamque Gomorra
Spurca ſubit mulctam, terræque abſorpta Barathro
Litigioſa cohors, Moſen ſe tollere contra
Auſa animis, ſciſſo ſtudia in contraria vulgo
Iſacidum, gemit egregiâ de ſtirpe parentum
Abſolon, & ſero damnat ſcelerata Gelonis
Conſilia. Ingeminat quæſtus & flebile carmen
Ignibus in mediis Epulo, fauceſque levari
Fonte petit tenui. Sua quemque erroris Imago
Territat & ſtimulis rodit præcordia cæcis
Vermis edax, ſemperque novis mens conſcia curis
Æſtuat, & ſævo miſerum cor lancinat ictu.
Hic tum Tartareæ Lemurum coiere phalanges:
Quas ubi denſatis antro ſubiiſſe catervis
Conſpicit, & preſſis dolor eſt frœnatus habenis,
Talibus exorſa eſt rabies Plutonia dictis:
Ergò ſumma dies & ineluctabile tempus
Venit, ut hæc diro ſolvantur Tartara caſu,
Immitique ruant fato, regnique ſuperbi
Exſcindantur opes? Divûm Inclementia, Divûm
Imperii decus & ſceptri conculcet honorem;
Heu gentem inviſam & Stygiis contraria fatis
Fata hominum! Vos ô nigræ validiſſima noctis
Numina Tartarei pubes animoſa Tyranni,
Omnes docta vias ſcelerum, cœcaſque per artes
Exercere nefas, ſic ô ſic noſtra feretur

Fama

Fama loco, ſic hoſtis atrox ſub legibus Orcum
Mittet, & hæc tanti vileſcet gloria regni,
Sic rabies antiqua perit, fœcundaque fraudum
Pectora feſſa jacent, turpique adſtricta quiete
Nequitia infamem ſceleris ſibi denegat uſum.
Sic ô, ſic reſides vetera in certamina vires
Exercere piget, pulchrique pericula belli
Tentare, & meritas inimico à ſanguine pœnas
Sumere? quæ tantas obliquant otia mentes
Lethæiſque premunt nebulis, hebetantque veterno?
Et jam laxatis ferri decuiſſet habenis
In mortale genus, denſiſque incurrere telis
Et mortes miſcere feras & ſpargere latè
Funera, captivamque jugo ſubmittere turbam.
Nonne ſuperba patent faſtidia? nonne caducus
Obluctatur homo nobis, legeſque recuſat
Perfidus? ille gravis faſtu tumiduſque ſecundâ
Sorte ruit, ſupraque ſuos elatus honore
Aſſurgit, celſoque viam metitur Olympo.
Cauſa mali tanti, ſuperi Genitoris imago,
Illa Dei proles tantæ faſtigia ſortis
Deſpiciens, infraque ſui natalis honorem,
Et Divûm depreſſa decus, ſe ſanguine vili
Miſcuit, & fœdæ ſubiens tentoria carnis,
Affini ſibi conſtrinxit mortalia nexu.
Ille notas veteres, & priſci dedecus ævi
Abſterſurus adeſt, Ereboque ab origine prima,
Contractum removere nefas: cœlumque patere,
Se monſtrante viam, magno promiſſor hiatu
Clamitat, & facili ſuperari ſidera curſu:
Attentent inferre gradum, curſuque ſecundo
Maturare viam; ſtolidam inflammatus in iram
Expugnare domos Erebi, Stygiaſque minatur
Everſurum arces, ſpoliiſque Acherontis onuſtum
Ardua devicto ſcanſurum ſidera Dite.
Ecce ſerenato Virtus interrita vultu
Splendet honore novo, denſiſque emerſa tenebris
Latè ſceptra tenet. Non illam tendere contra
Impietas

Impietas impune ferat fraudeſque doliqne
Horreſcant conferre gradum, cœlique cupido
Prodiga, quam contra pacata Modeſtia Martem
Suſcitat, & rutilis Pietas animoſa ſub armis
Fulminat, attolluntque animos Verumq;Fideſque,
Audentes ſpes læta juvat: furor iraque mentes
Præcipitat, fœdis ferri Phlegetonta ruinis,
Omni mole ſimul jam tum tenduntque foventque.
Ergò agite, evigilet rabies ſopita, dolorque
Exacuat ſtimulis animos, & conſcia virtus
Suſcitet indomitas vires. Date vela furori,
Irarum laxate ſinus; ite, ite ruentes
In commune nefas, mundoque infundite peſtes
Quotquot Avernus habet, quot ſunt Acherontis in
Mõſtra vado;ferte arma citi,ferte arma,trucēq;(imo
Exigite in populos rabiem, terraſque per omnes
Accumulate neces; ſævo proſternite letho,
Exercete odiis, ſceleratam exſcindite gentem.
Vos Acherontæo mentes aſpergere tabo
Scitis, & affuſo mortes miſcere veneno,
Effræni graſſante malo; vos nomina mille
Mille nocendi artes, quando fœcunda malorum
Pectora concutitis, ſcelerique adduntur habenæ.
Quid miſeras hominum vires, quid nomina tantum
Et vanos ſine Marte ſonos, ſine pondere verba
Invictæ fidei? quid ſpem trepidatis inanem
Chriſtiadum,Cœlumq; datum, ſuperoſq; benignos,
Et fretas Chriſti auſpiciis ductuque phalanges;
Nulla viris, nulla eſt præſens ſub pectore virtus:
Non conferre manum, non prima pericula belli
Attentare ſubeſt animus, nec tendere contra
Sufficiunt: ſtolidæ pugnat jactantia linguæ,
Degenereſque preces, tenſæque ad ſidera palmæ,
Et lacrymæ viles, & pulſæ queſtibus auræ,
Exercent Mavortis opus. Vos morbida poſſit
Extorrere Caro, timidoque in ſanguine maſſa
Debilis, æthereo clari qui inceditis ortu,
Corporis exemptæ clauſtris, & mole profundâ
Illuſtres

Illuſtres animæ: Divi, quorum audit habenas
Orcus, & immenſâ Mundus ditione tenetur,
Imperioque ſubeſt, & flexo poplite reges
Iuſſibus obſequium præbent faſceſque ſuperbos;
Submittunt, & ſceptra jugo: queis vita per omnes
Nequitias exacta fuit: quos nulla nocendi
Ars latet, aut ſcelerum facies, in utrumque paratos
Et verſare dolos, & aperto prælia Marte
Tollere tantùm animis vires & pectore firmo
Exercere juvet, Stygiiſque aſſultibus hoſtem
Impetite: ille truci non par congreſſus Averno
Corruet & primos dextram protendet in ictus.
Ipſe ego Tartarei Rex imperterritus Orci
In genus inviſum rapiar violentus, & omnes
Imponam curas, omnes convertar in artes
(Vſque adeo obnixus non cedere) nulla laboris
Pars erit intentata, nihil mihi linquet inauſum,
Sive dolus, ſeu vis placeat: Stygis ima movebo,
Et ſuperis miſcebo plagis: quin inſequar hoſtem
Per mare, per terras. Hoc illi cœlica conſtent
Fœdera; ſic celſi metæ flectantur Olympi.
Dixerat, & toto peſtem diffudit Averno,
Tartareaſque ſubit mentes veteremque furorem
Suſcitat, & ſævas hortatu provocat iras.
Exardent ignes animis, hauſtoque veneno
Improba concipitur rabies, exuberat atrâ
Flagrans bile furor, rapidoque inſania motu
Æſtuat: ulciſci patriam ſubit ira cadentem
Acris, & ereptum ſortis cœleſtis honorem:
Vt cum flamma ferox, ligni crepitantis aheno
Subjicitur: ſurgunt undæ, fumoque voluto
Irati furiunt latices; obmurmurat igni
Amnis, & exultat ſpumis, fundoque refuſo,
Supra labra ruit, patuloque effunditur ore.
Aut cum diſcordes ſurgunt in prælia venti
Incumbuntque mari, Boreas bacchatur, & Eurus
Suſcitat indomitam rabiem, ſtridente procellâ
Colluctantur aquæ, & vaſto certamine fluctus
Attol-

Attollunt, ſpumante ſalo, colliditur undis
Vnda ferox, imo vertuntur concita fundo
Æquora, jam ſubitura polos; jam ſidera cæcis
Immerſura vadis; furit implacabile pontus,
Indignanſque ſuis perrupto limite, moles,
Et latum populatur iter: gemit anxia tellus,
Damno mœſta ſuo, fœdam dat Sylva ruinam,
Concuſſi trepidant montes, ſata læta laborque
Agricolæ, æquoreos explent protrita furores.
Haud aliter Lemurum violentia ſævit, & iras
Accenſâ ſub mente coquunt: furit improba bilis,
Continuò toto ſeſe diffudit Averno
Direxitque aciem, lateque extenſa cohortes
Explicuit legis: ſævis ſtetit agmen in arvis,
Ingenteſque animos verſat. Furit impete cæco
Inventor ſcelerum Belial, ſecumque protervas
Nequitias in bella rapit,Fraudeſque nocendi
Artibus inſtructas: quæ temptâ lege fideque
Imperiiſque Dei, ſuadente libidine pronæ
In ſcelus omne ruunt. Hunc juxta ſævus Abaddon
Invehitur, ſtragemque parat, triſtique ruinâ
Permiſcere ſolum, & fœdo convolvere caſu,
Laxatâ compage, furit ſine lege, nec ulla
Pernities à clade vacat, nulliſque retardat
Damna moris. Miſto denſatur pulvere nubes
Fumea, clareſcunt rabidis incendia flammis.
Poſt hos Pythonis denſabant agmina fratres,
Tartaream picti faciem vultuque ſereno
Mentiti cœleſte genus, multoque calentem,
Correptamque Deo mentem. Lethale venenum
Intus alunt, nigro ſtillant præcordia tabo,
Occuliturque ſcelus: Stygiis educta tenebris
Hæreſis à tergo ſequitur, nigrique colubri
Schiſma laboratum ſpumis, & credula pravo
Imbutura leves animos Mendacia ſenſu.
Illi ſe comitem, cœco progreſſus ab Orco
Aſtaroth aſſociat. Tonat ille ferocibus altè
Inceſſens dictis & amaro ſublita felle
Verba jacit, rigidoque notans examine mores

Intendit ſcelus immeritis, rumore maligno
Criminibuſque pios terret: Convitia juxtà
Immanes pandunt rictus ferturque nocendi
Prodiga, damnoſo ſcelerata Calumnia morſu.
Tu quoque conjunctis aderas Mammona maniplis
Inſidiis & fraude potens, & divite cenſu
Ingentes promittis opes, & munera pleno
Ore vômis; quæcunque ſinu complexa capaci
Terra fovet, pontique vadis defoſſa profundi
Thetis habet: quicquid ſpatioſi margine cœli
Clauditur: ambitos ſolii ſublimis honores,
Purpureùmque decus ſceptri, rutiloque ſuperbum
Crine caput, modò te fido venerentur honore,
Officiiſque colant: circum male ſuada Cupido
Fluctuat, & fœdis inceſſit pectora curis
Imperioſa Fames, & amor ſceleratus habendi.
Tum Satanas inter flagrantes Marte catervas,
Et primam ante aciem fertur, ſigniſque ſtupendis
Attonitas ſuperat mentes, & credula miris
Pectora portentis ludit, magicamque per artem
Impia commendat ficto mendacia vultu.
Vnà ibant agiles Genii, fœcunda malorum
Agmina, concinnantque dolos, & pectora flatu
Lethifero feriunt, inſtillatoque veneno
Nequitiis animos ſubigunt; ſenſuque profano.
Nec deſunt tetræ Stygia de valle ſorores,
Eumenidum truculenta cohors, gravidoſq; furores
Effundunt turgente ſinu: flammantibus iris
Scintillant oculi, ſævo frons horrida vultu
Indomitam prodit rabiem. Stat torva ſuperbum
Attollens Alecto caput, mundoque minatur
Funereas inferre faces, & lite cruentâ
Humanum verſare genus, quatit atra flagellum
Tiſiphone, ſociamque trahens in bella Megæram
Collectis agitur furiis, ſparſoque capillo
Exultat, ſanieque manus atque ora cruentat.
Quin etiam accurrens ſociat famulantia Mundus
Agmina, civilemque movens in prælia Martem

In

In commune nefas rapitur, Stygioque Tyranno
Militat: ipſe ferox & multâ turgidus irâ
Sublimi ingreditur vultu, jactatque ſub altâ
Elatum cervice caput, faſtuque ſuperbo
Emicat, & curis animum famulantibus urgens
Ventoſas ambit laudes, plauſuque ſecundo
Altius erigitur, rerumque affectat habenas,
Et premere imperio populos, ſceptroque potentes
Inſignire manus tenuis commercia ſortis,
Et modicas, largo non indulgente paratu,
Averſatur opes: quo ſpes affulget honoris,
Quo ſitis impellit precii, quo devius error
Sollicitat, metitur iter, gradibuſque citatis
Præcipitat ſine lege viam: funeſta libido
Nominis, & levibus juxta temeraria pennis
Tollitur Ambitio, & faſtu diſtenta ſuperbo,
Conceptam ſpargit ſaniem, plenoque propinat
Lethales auro latices: bibit inſcius alte
Virus, & attracto penetrans præcordia ſucco
Intabeſcit homo. Torvo flammantia vultu
Iurgia ſcintillant oculis, linguaque protervâ
Sanguineæ exſurgunt rixæ; livorque ſecundis
Ægreſcit rebus, meritoque infeſtus honori
Virtutis remoratur iter: nec creſcere laudes
Egregias patitur; Nigræ manus impia turbæ
Agmine ſubſequitur longo; ſcelerumque patentes
Hortatur tentare vias, & prævia fœdo
Exemplo peccare docet. Vis tota malorum
Emicat, & ſociæ poſcit commercia culpæ.
Ecce rebellantem præceps diſcordia carnem
Aſperat, & validas fraterna in viſcera vires
Exercere docet, cognataque pectora bello
Impetere, & proprios armis ſcelerare penates.
Illa feros acuens animos civilibus iris,
Cognatas infert acies & fœdere rupto,
In ſua crudeli ſævit præcordia telo,
Impiaque in medio committit prælia tecto.
Inſequitur laxo diffuſa Licentia fræno,

Illecebræ effrœnes, rebuſque elata ſecundis
Luxuries, menteſque hebetans laſciva Voluptas,
Et triſti obſiſtens levis Impatientia fato.
Ipſe inter primos nigri Dominator Averni
Fertur, in arma furens atque omnes emicat inter
Belſebul, & ſuperæ demens faſtigia ſortis,
Divinoſque ſibi ſtolidè depoſcit honores.
Vtque lupus vacui ſtimulante libidine ventris
Provolat ad caules curſu, properaque peragrat
Arva fugâ: ruit ille ferox, rictuque patenti
Infremit horrendum murmur, ſiccaque cruentas
Ambit fauce dapes, & anhelo gutture prædam:
Haud ſecus immanes ſævus collectus in iras
Trux Phlegethon, prædāq; oculis metitur & ardet.
Cerbeream ſatiare famem, frœnoque remiſſo
Ire per effuſos cumulatæ ſtragis acervos:
Perque acies volitans medias, tumiduſque ſuperbo
Marte ruens, animis lemures audacibus implet,
Caſtigatque moras & ſegnes increpat iras.
Stabat Tartareis pubes Acherontia ſignis
Marte ferox & morte minax Stygioque veneno
Imbuit & triſti permiſcet ſpicula letho,
Seu verſare dolos, ſeu bello forſan aperto
Tendere conveniat, validaſque in prælia vires
Armat, & infeſtis audet concurrere telis,
Moliturque neces: ſævit ſcelerata Cupido
Sanguinis humani, miſerique inſania belli.
Tum primā ante aciem ſcelerū comitante caterva
Impatiens tardo bellum torpeſcere motu
Provolat: infeſto quo non ſceleratius Orco
Progreditur monſtrum: pulchri ſub imagine vultus,
Innocuos ſimulat mores, mentemque benignam
Mentitur, pacemque oculis metitur amicis,
Illecebris & fraude potens; bella, horrida bella,
Intus alit Martem, cæcos aſſurgit in ictus,
Intentatque necem, Stygiis ſaturata venenis.
Mens tumet & fœdo ſquallent præcordia tabo,
Diffunditque Erebi ſpumam, nigrique ſalivam

Dæmonis

Dæmonis eructat, quo mens imbuta veneno
Concipit inferni labem, partuque nefando
Effluit in ſcelerum ſobolem: genus omne malorum
Omne nefas & nequitiæ ſub luminis auras
Proſiliunt, miſeræ proles damnoſa parenti
Peccatum dixere, nigri laſciva colubri
Filia, divinis præceps obſiſtere juſſis,
Damnatoſque palam legem temerare per actus
Prompta, rebellatrix ſuperûm: tum Marte ſecundo
Effera, ſic miſerum verbis inſurgit in hoſtem:
Scilicet exarſit tacita ſub mente Cupido,
Iam dudum indomitas Erebi convertere vires
In mortale genus, trepidoque invadere bello
Terrigenas: Stant inſignes fulgentibus armis
Tartarei proceres & cœco prælia Marte
Commiſcere parant, omnes Acheronte refuſo
Beliales in bella ruunt iriſque feroces
Exacuunt animos: quantâ jam ſtrage per orbem
Efferar: hoſtili victrix quot funera telo,
Quot cumulabo neces? tacito ſub pectore lapſu
Inſpirabone fas vetitum, ſenſuſque profanos
Extinctâ virtute, dabo? Stygiaſque per artes
Humanum tentabo caput: dabis improbe pœnas
Sanguis & inviſo, duce me damnaberis orco.
Hunc damnoſa trahet ſecum in ſua caſtra Voluptas
Addictum Veneris ſtudio ruptoque pudore
In fœdos pronum, fervente libidine, luxus:
Ingluviem paſcet dapibus ventrique profuſo
Serviet, & vivis vigilatâ nocte lucernis
Hauriet attonito ſpumantia pocula ſenſu.
Illum dira fames auri, & ſceleratus habendi
Inflammabat amor; charum pro numine nummum,
Excuſſâ pietate, colet: depoſcet honores
Immodicos, ſceptroque petet fulgere ſuperbo
Lætior imperiis. Tumidos hic pectore faſtus
Concipiet, nimioque ſui veſanus amore
Efferet audaces vultus, nullaque teneri
Lege volet ſtolidiſque agitans ſublimia curis

Evigilet, nunc tende animis & pectore firmo:
Heu nimium confiſe Deo, Chriſtique ſuperbe
Auxiliis, validoque impar congreſſe barathro!
Dixit & intorto minitans Mors effera nervo
Provolat, & certo lethalia vulnera telo
Dirigit, & ſævæ rutilans curvamine falcis,
Funera denſa movet, totumque impune per orbem
Permiſcere neces, miſeroque abſumere letho
Obvia quæque parat. Tanta trux Cerberus irâ
In genus humanum fertur, ſic æſtuat imis
Styx impulſa vadis. ſeges infinita malorum
Exercet mortale caput; vis dira fatigat.
Heu! fatum humani generis lacrymabile, quantũ
Noſtra per adverſos jactatur vita labores;
Quam dubiè, hoc quodcunque eſt, ſub legibus, ævum
Exigitur! quanti per acerba pericula caſus
Excipiunt! paucos decurrit vita per annos,
Præcipiti feſtina gradu, nulloque dolore,
Nulla clade vacat lacrymæ primordia lucis
Excipiunt, lacrymis gemituque adoleſcimus omne
Exigitur lacrymis ævum: labor omnia ſævus
Occupat, & miſeræ propellunt gaudia curæ.
Eheu! quàm fragiles artus, quam debile corpus
Mortali Natura dedit: Ceu floſculus orto
Sole nitet, lætoque caput ſuſtollit Olympo,
Purpureumque decus pandit; Sed tactus iniquo
Pollice; vel nimio Phœbi laſſatus ab æſtu
Langueſcit moriens, viduâque exſpirat in herba:
Sic miſero diverſa lues & plurima tabes
Incumbit, ſævi populantur viſcera morbi.
Diverſaſque neces cumulant, & funera denſant
Mixta ſenum ac juvenum, fauces hinc arida febris
Torret, & exſangues æſtu deſævit in artus,
Hinc ſtagnante tumet venter diſtentus ab undâ:
Illum ſaxoſos humor concretus in orbes
Enecat: iſte gemit tumidas miſerabile plantas
Nodoſaſque manus; alium, graſſante veneno,
Regia debilitat tabes, crocumque refuſâ

Vultum bile notat, multos quatit arida tuſſis,
Vexato pulmone; eſt quem prurigine turpi
Lepra premit, quem lethæus torpente veterno (vit
Languor habet. Sua quemq; premunt incōmoda:ſæ-
Peſtiferum virus rabiemque exercet in artus.
Non minus infeſtis mens eſt obnoxia fatis:
Illa licet cœlo ducat ſua ſemina; labem
Terrenâ de fece trahit viruſque propinquum
Imbibit, & densâ noctis caligat in umbrâ.
Illum crudeli dolor implacabilis ictu
Deprimit; attollunt imis ſe infuſa medullis
Gaudia; curarum moles operoſa fatigat.
Sollicitat labor, impellit formido, quatitque
Attonitos trepidante malo; ſpes fervida rurſus
Erigit, & miſeris melius confidere rebus
Admonet, inflammant ſtimulis ardentibus iræ;
Ludit amor; nunc immenſis ferit æthera votis,
Inconceſſa petens, mox triſtia tædia rerum,
Et comitata novis ſubeunt faſtidia curis.
Non ita diverſo miſcentur concita cœlo
Æquora: jam ſubitis ſurgunt converſa procellis,
Ventorumque tument rabie, fluctuſque furentes
Illidunt ſcopulis, jam langueſcentibus Auſtris
Irati reſident latices, conſtringitur æſtus,
Laſſaque jactatæ ſubſternit tergora claſſi:
Quid memorem anguſtos, re deficiente, penates,
Fortunamque foci tenuem, quâ paupere cenſu
Vix explere famem, vix ſciſſo corpus amictu
Obvelare datur? Quid ſævi juſſa tyranni,
Atroceſque minas? quid nudum militis enſem,
Prædonumque manum, fictæque opprobria culpæ,
Et gravidas iras referam? Nos ignis & unda
Territat, in noſtram jurata elementa ruinam,
Humanam mittunt in aperta pericula vitam.
Sævior at cunctis & fato immanior omni
Incumbit rabies homini Plutonia, ſævo
Marte movens mundo bellum, noſtræque ſaluti
Inſtat, & infeſtis miſero capiti imminet armis.

Ergò

Ergò ubi Tartarei mundo patuere furores
Conceptumque animis, quantis ſit cladibus Orci
Graſſatura cohors, trepidâ formidine terra
Concutitur, triſtique pavor mortalia vultu
Cuncta ſubit, diræ ante oculos ſtat mortis imago,
Mœſtaque ſollicito confundunt pectora luctu.
Sol mœrens rutulum nigrâ caligine vultum
Texit, & attonito tacitè progreſſus olympo
Flammantes avertit equos, mundoque negavit
Preſſâ luce diem: Stygiiſque exterrita monſtris
Cynthia funereo radios ſuppreſſit amictu,
Terrarumque atrâ latitans caput abdidit umbrâ.
Interea magnis miſceri motibus orbem,
Emiſſamque erebi rabiem generoſa virago,
Sponſi ſponſa Dei, quæ priſcis abdita ſæclis
Senſa tenet superûm, Chriſtoque edocta magiſtro,
Sidereas apetire vias & pandere cœlum
Senſit, & indigno rerum ſtupefacta tumultu
Cocytique minis, feſtino evadere curſu,
Molirique fugam parat, & pernicibus alis
Nixa petit cœcas latebras, & luſtra ferarum
Avia, & obſcuris ſylvarum infunditur antris.
Illic fatales ſolis in montibus annos
Exiget, & ſacro poſcet jejunia victu.
Quid properas, dilecta Deo? quò tendere curſum
Diva paras? Sic te rabies Plutonia cegit
Feſtinare fugam, & patriâ tellure relictâ
Deſertas habitare domos? quò fida receſſit
Noſtri cura tibi? quâ nos ſub nocte laborum
Deſeris, objectoſque Erebi furialibus iris
Deſtituis? nil res fidei ſolabere fractas?
Nil noſtri miſerêre? mane, mea Diva, gradumque
Siſte precor, nec Sidereos avertito vultus.
Conſtitit, & rigido corpus ſubnixa bacillo
Attollenſque ſacros vultus, ſic voce precatur:
Eheu! quæ me nunc tellus, quæ incognita Phœbo
Accipiat regio? quæ me deſerta ferarum
Luſtra tegant? aut quid miſeræ mihi denique reſtat

Cui neque in his terris uſquam locus, inſuper ipſe
Vrget & infeſtis Phlegethon circumſonat armis?
Christe, graves mundi ſemper miſerate labores,
Vna ſalus,ſpeſque una hominũ;tu hæc adſpicis æquo
Lumine, nec rigidam tangunt incommoda mentem;
Nil mea te fortuna movet; nil fata tuorum?
Nil commune genus; nec ſors aut jura propinqui
Sanguinis inflectunt, duriſque exercita quondam
Vita malis, ſimili per tot diſcrimina fato?
Te pater humano ducentem à ſanguine ſtirpem
Venturum excidio Satanæ, qui carcere firmo
Frœnaret Stygiam rabiem, ditemque ſuperbum
Servitio premeret, legeſque imponeret Orco,
Et debellatâ ducens ex morte triumphos,
Solveret æternâ victor formidine terras;
Nunc me mortiferis eadem fortuna ſagittis
Impetit & cunctis exhauſtam caſibus, omni
Inſequitur damnoſa malo, Stygioque refuſo
Carcere, non aliàs rabies Acherontia toto
Sævior erravit mundo, nec funera Pluto
Plura dedit, nec jam miſeræ datur hoſpita tellus
Amplius, aut tenuis reſtant penetralia tecti.
Non ego marmoreis apto ſubnixa columnis
Atria, regalique opulenta palatia cultu,
Fulgenteſque auro veſtes, & divite luxu
Pallia, quem meretrix curet Babylonia faſtum.
Anguſtum mihi poſco larem, caſa pendula tecto
Sit fragili, ſit congeſtum de ceſpite culmen,
Sit tutus ſub fronde torus; det frigidus aër,
Solve impune locum: Sic me gravis ira Draconis
Omni à parte premat, variiſque erroribus actam
Arceat hoſpitio terræ; nec paupere cultu
Indignante queam vitam tolerare barathro!
Fanda, infanda fero, nullum fortuna labori
Exitiiſque modum ponit: ſors ultima rerum
Vrget, & intentat per mille pericula mortem.
Non aliter vaſto fertur vaga cymba profundo,
Inſurgente noto; tollunt freta concita fluctus,

Horrendum ſtrident auræ, cœlumque diemque
Eripiunt oculis, jactatamque æquore quercum
Fluctibus exercent mediis, gemit illa propinquos
Horreſcens ſcopulos, rapiturque urgente procellâ
Ignotis invita viis: nunc æquore ſummo
Eminet, & celſo fugit inter nubila velo;
Rurſus hiante ſolo, pelagi devolvitur alto
Aggere, colliditque vado; jam jamque furentem
Imbibitura cavis uteri penetralibus æſtum.
Sic miſeri gemuit Daniel diſcrimina fati,
Impaſtis data præda feris: hæc gutture panſo
Sanguineos aperit rictus, atque horrida ſpargens
Impexas per colla jubas, rugitibus altis
Infremit; illa feros altè conſurgit in ungues,
Inſtigante gula: ſtabat miſerabilis heros,
Et tardum attonito miratur pectore lethum.
Sic ſtupuit quondam indigno concuſſa dolore
Hilkias, quando perjura fraude doliſque
Circumventa Senum; Socii quaſi fœdera lecti
Inſtabili temerata fide violaſſet; atrocem
Iudicis ante ſtetit vultum, legiſque ſeveræ
Fulmen, & immeritas timuit dare ſanguine pœnas.
Quò noſtri tibi ceſſit amor? quò cura tuorum?
Quò diverſus abis IESU? ſuccurre relictæ,
Chriſtiadum ſuccurre gregi; miſerere laborum
Tantorum, miſerere mali: tandem aſſere ſponſam,
Sponſe, tuam, quam tu fido complexus amore
Ante fati mundi prima incunabula, firmo
Iunxiſti tibi connubio, propriamque dicaſti,
Imperio ſine fine dato: quod nulla vetuſtas
Finiat; aut fluxi ſpatium determinet ævi:
Quod validis, ſolido in ſaxo, radicibus hærens,
Hoſtiles impune minas, Erebique furorem
Rideat, inferni non expugnabile portis.
Sic tua progenies, proprio quam ſanguine ſævi
Carceris exemptam clauſtris, mortiſque ſuperbo
Imperio, tecum cœleſti in ſede repones,
Conſortem magni quondam facturus honoris;

Sic ego perpetuo fatorum incommoda luctu
Chriſte, gemam? ſic me ſerie ſtipata malorum
Aſſiduo fortuna premat? nec ſortis iniquæ
Sit modus, aut miſeri requies ſperata laboris?
Dixit; & effuſo lacrymarum flumine, vultum
Nubilat, & pullo rutulum caput abdit amictu.
Audit flebilibus pulſantem ſidera votis
Chriſtus, & indigni trepidam diſcrimine fati
Lenitis mulcet curis, animumque jacentem
Erigit, & mœſtam dictis affatur amicam:
Pone modum lacrymis tandem generoſa Virago:
Solve metum, dilecta; tibi tua fata fideſque
Polliciti ſincera, & ſacri fœdera pacti
Intemerata manent, ſeclis immota futuris.
Aurea venturi naſcetur temporis ætas,
Cum tu mortalis vitæ ſtatione peractâ,
Et tantis defuncta malis, ſublimia cœli
Tecta petes, partoque illic Regina triumpho
Fulgebis radiante toro, ſponſique coruſcum
Ad latus accumbens, mecumque Acheronte ſubacto,
Abſterſiſque ſemel lacrymis, luctuque ſepulto,
Æternis opibus ſecurâ in pace frueris,
Et veteres præſente Deo ſolabere caſus.
Nemo mihi (tanta eſt validæ fiducia dextræ)
Commiſſas avertet oves, rabiemque furentem
Exiget in ſtabulum; crudus licet omnia tentet
Ingluvie ſtimulante, lupus; licet infremat altâ
Voce leo, tentetque aditus, omnemque peragret
Fraude locum, & rabido quærat, quod devoret ore.
Sæviat indomitâ Coluber Phlegetontius irâ,
Impulſus ſcelerum furiis; exæſtuet imis
Styx impulſa vadis; Cœlum conſidat in ignes,
Terraque funereo nutet tremefacta tumultu:
Tu tamen atroci ſtans imperterrita damno
Nullo mota loco, nullis convulſa ruinis
Præſidio cingere meo: ceu ſedula pennas
Pandit, & alarum fido munimine prolem
Defendit gallina ſuam: ceu luminis orbem;

Quo te cunque etiam tentet fortuna periclo;
Præſtabo incolumem: valido te robore dextræ
Aſſervabo meæ, nec vis inimica propinquum
Auſit ferre gradum; nec niti aut tendere contra
Trux Phlegethon, te Sidereæ cuſtodia gentis
Proteget, & denſo trepidum latus agmine claudet,
Ignivomis invecta rotis, perque invia teſqua
Obſervata reget fido veſtigia ductu,
Ne calx obicibus ſcopulorum allidat acutis.

Tene ego, te, tantis objectam, Sponſa, periclis
Deſtituam, nec cura tui me tangat, & illa
Conjugii ſancita fides, æternaque pacti
Fœdera, lethæis unquam merſanda tenebris!
Nulla dies noſtri nexum diſſolvet amoris,
Ne dubita! non infeſtæ violentia ſortis
Extremæque minæ fati; non cerea flecti
In faciles culpas, ac rebus vita ſecundis
Luxurians; non ætheræ vis Martia gentis,
Spirituumque acies validæ; non impia mundi
Imperia, & ſævus ferro rutulante tyrannus
Carnificiſque truces oculi, non craſtina rerum
Conditio, præſenſque ſtatus; non omnia quamvis
Conjurent elementa ſimul, cœlique profundum
In mare ſubſidant, & fœdo terra tumultu
Concita tartareos intra rapiatur hiatus;
Irrita perpetui ſolventur fœdera pacti.

Interea mortale tibi dum vivitur ævum,
Nec mora ſegnis erit, variis jactabere fatis,
Et triſtem perages extrema per omnia vitam,
Crebraque feſtivo duces ſuſpiria mundo.
Quos ego per caſus & quanta incommoda rerum
Exceſſi terris, patrioque exceptus olympo
Felicem ſumpſi ſedem! quàm triſtia paſſus,
Cum miſer humanæ pondus lacrymabile culpæ
Suſcipiens, vinclis domitum furialibus orbem
Servitio eximerem, & fato defunctus acerba
Inſonti fœdas abolerem ſanguine noxas!
Te quoque per varios Sponſi fortuna labores

Vrgebit, noſtrique manent conſortia damni,
Et clades eadem, par & commune periclum.
Tempus erit, cum te melior fortuna reviſet,
Mutatura vices, rebuſque invecta ſecundis,
Toto larga ſinu plenis uberrima rivis
Gaudia profundet: cum me clangente tubarum
Accenſo ſonitu, fulgentem in nube ſerenâ
Dicere jus cernes, mundoque à morte reducto
Caſtigare ſcelus, meritaſque injungere pœnas
Sontibus, & Stygio Phlegetontia monſtra camino
Obruere; aſt juſtos & iniquæ neſcia fraudis
Pectora, ſublimem mundi melioris ad arcem
Tollere. tum capiti imponam diadema coruſco,
Atque triumphali cingam tua tempora fronde,
Et te ſublimi mecum ſuper alta triumpho
Aſtra veham, ſceptrumque dabo, quod nulla vetuſtas
Finiet: hîc placidam ſecura per otia vitam
Gaudiaque exſtincto perages genialia luctu.
Dixerat: illa trahens duri ſolatia caſus,
Erigit alloquiis animum, ſponſique benigno
Afflatu revocat vires, & nobile pectus
Armat ad hoſtiles acies, jam prompta labori
Indulgere gravi, ſeſeque offerre periclis
Omnibus, & Stygiis Chriſto ſub principe telis
Objectare caput, dubiumque aſſueſcere Martem.

DIXI.

NOMENCLATVRA AMICORVM,

Ad Quos Author ſcripſit.

A.

Adamo Foreſto. pag. 15, 46, 73, 85, 139.
Adriano Snellio. 24, 29, 35. contra Calumniam, 52, 70, 75, 90.
Ægydio Schagen. 30. Sponſo.
Adriano Hagio. 235. in obitu patris ſui.
Abrahamo vander Brugge. 296, Cadomi Gall. Valedict.
Abrahamo Overneio. 309.
Aggao Lyclama. 242.
Ahaſſuero à Vierſen. 48. Sponſo. 59, 176.
Alberto Nyenhuys. 64, 213. cum Gallias adirem.
Alberto Ayſma. 174.
Alberto Hattenio. 336.
Alexandro Piccard. 40. in Obitum, apud Ind. Occid.
Anglia mœrens. 106. *Auriacus Princeps.* 106.
Andreæ Heemſtra. 197.
Antonio Hoptilla. 95.
Arnoldo Bolten. 237.
Auſonio Solchama. 239, Sponſo. 397. Doctori creato.
Auguſtino Haringio. 295. febricitanti.

B.

Belgæ triumphanti. 16. Belli Spirit. Apparatus. 424.
Bernhardo Schotano. 66, 81.
Bernhardo Fullenio, Seniori. 137, 179.
Bernhardo Full. Iun. & Profeſſ. 185. Epithalamium.
Bernhardo Aquila. 309, 352, 396.
Bernhardo Sylvio. 375.

Caſpari

C.

Caſpari Barlæo. pag. 10, Lectis de claſſe Hiſp. Triumphalib. 82, 107.
Carolo Rhoorda. 234.
Chriſti aſcenſio. 78. Cunabula, 267. Natales, 76.
Clementi Bono. 27.
Cornelio Sonnevelt. 5. Die natali à vitæ periculo ſervato, 82, 142.
Corn. ab Egm. à Nieuburch. 108, de Vitiorum Cenſurâ.
Cornelio Buttinga. Sponſo, 211.
Cornelio Valkenburg. 373. Licentiato creato.
Cypriano Ooſterzee. 138, 277, 405.

D.

Dodonæo Kolde. 381, in Acad. recepto.
Duconi à Ielsinga. 220 285.

E.

EDONI NEUHUSIO, Patri. 56, 61, 65, 68, 71, 97. ad ſcripta edita. 99, obitus, effigies. 138, Epitaphia. 169, 213, 215, 222, 227, 261, 275, 323, 331, in calculum. 347, 359, 389.
Econio Mellinga. 236, 344, 355.
Egberto VVinshemio. 340.
Epeo ab Aylua. Sponſo 229. Enconium amoris.
Epeo Glinſtra. 241.
Erneſto Raſio. 380.

F.

Feiconi Oetſonio. 77.
Ferdinando Cæſari. 96, 106.
Filiolæ natales. 107.

Filio-

Filioli manes. 140.
Franciſco Ioannis. 287.
Frederico Hillama. 136, 175.

G.

Galoni ab Hannia. 242.
Georgio Paſori. 63. in Obitum. 180. de obitu Affinis Reifenbergi. 312.
Georgio Candidio. 86, 91, Ituro ſecundùm in Indiam,
Gerardò Keth. 60, 204, de amiſſâ conjuge,
Gerardo Henricides. 68, in obitum.
Gilberto Verſpeeck. 310. 352.
Goſſuino Ioannis. 336.
Godofredo Iorritſma. 335. in Albo.
Godtſchalco Hiddama. 136, in obitum.
Gualthero Picard. 225. plus juſto literas retardanti,
Guilielmo Verheyden. 86, in bello morienti.
Guilielmo Staeckmans. 136, 197.
Guilielmo Keth. Epithalamium 192, 209, 221, in obitum.
Guilielmo Ghemmenich. 200. Epithalamium.

H.

Harteſio Iepema. 395.
Hanſonio Lyclama. 289.
HENRICO CASIMIRO. 91, Ibidem de CARDINALE & Hiſpanis. 154, Leoverdiam reduci.
Henrico Neuhuſio. 85, 88, 386.
Henrico Kolde, Sponſo, 254.
Henrico Marſum. 177.
Henrico Moll. 304, Doct. Med. creato.
Henrico VVeſthavio. 307, Lib. Art. Magiſt. renunciato.
Henrico Hoefiſero. 356, ex Galliâ in patriam abituro.
Heroni Ockinga. 393, Hiſtoricè diſputanti.
Hiddio Zuagemo, Chriſtophoro. 331, 403.
Hermanno Feykens. 219, 351. Doct. Iur. dicto.

Hermanno Kolde. 137, in obitum.
Hiſpaniarum Claſſi expugnata. 39.
Hillebrando Theodori. 195.
Homero ab Harinxma. 171, ad pacem Legato.
Horatio Doman. 198.
Horatio Meinſma. 203.

I.

Iacobo à Teylingen, 1. in natalem. 7. in obitum. 14 16, 20, 22, 27, in natalem. 43, 47, 51, 79, 90, 107.
Iacobo Catzio. 17, Annum Climact. egreſſo. 58, 82.
Iacobo Corenio. 18, 73.
Iacobo Petrejo. 33. Cum Eccleſiæ miniſt. auſpicaretur.
Iacobo Iuckema. 102. Cos. deſignato.
Iacobo Buttinga. 209. ad amœna hortenſia invitanti.
Iacobo Runnia, Sponſo. 284.
Iacobo Heurnio. 363.
Iacobo Moll. 371.
Iacobo Clerquio. 424.
Iacobo Cronenburg. 311, in obitum, 342. in Nuptias.
Ioachim ab Andree, Equiti. 11. Sponſo.
Ioanni Sande. 56, in obitum.
Ioanni Nyburch. 39, divinitus Duynkercanorum manibus elapſo.
Ioanni Nordingio. 84.
Ioanni Coitenburch, 19, Sponſo. 89.
Ioanni Picard. 43, 215, 246. Sponſo.
Ioanni Clingbyl. 84, 199.
Ioanni Beyma. 178.
Ioanni Knyffio. 26, 424.
Ioanni Henr. Gualthero. 53, Sponſo.
Ioanni Brunoni. 34. Spon. 66, ad Eccl. Miniſt. voc.
Ioanni Egmondano à Nieuburch. 217.
Ioanni Bogermanno. 58.
Ioanni Anſta. 67, in obitum Vxoris. 206.

Ioanni

Ioanni de Veno. 190, 250.
Ioanni Haſelbekio. 226, in Caſtris Paſtori Eccl.
Ioanni Nicolai. 248. poëſeos ſtudioſo.
Ioanni Fabro, Collegæ, 253.
Ioanni Anthonides vander Linden, 399.
Iano d' Ooſterzee. 390. Cadomi Gallorum.
Ioanni Sixtino. 287.
Ioanni Hachtingio. 292, in obitum.
Ioanni Backemude. 300.
Ioanni Brunſveltio. 305, 362.
Ioanni Vemero. 358.
Iſaaco Overneio. 379.
Iſaaco Six. 327, 348.
Iulio ab Harinxma. 173. Deputato Friſiæ.
IUSTA FUNEBR. SENATORUM FRISIÆ 131.
IUSTA Funebr. PROFESS. Acad. Franek. 134.
Iuſta in Amicum. 364. in Galliis.
Iuriſprudentiæ ſtudia inchoaturus, ad DEUM. 256.

L.

Lamberto Sicma. prætori Fr. 282, 288, 378.

M.

Marco Zuerio Boxhornio. 106.
Martino Brunoni. 424.
Martino Lavermanno. 400.
Martino VVybingha. 86.
Matthia ab Oudeſteyn. 216.
Meinardo Schotano. 59, 75.

N.

Nathanaeli Fullenio. 247.
Nicolao Cornelii, 104. De nato Petteni Nepote.
Nicolao Schotano. 62, 224, 233, 337, 348.

Oratio

O.

Oratio in nativitatem CHRISTI. 142.
Organa Alcmariana. 107.
Olphardo Belida. 383, 403.
Orichio à Doyema. 238, 392.
Ottoni Sualue. 177.

P.

Paulo Suanenburch. 80.
Paſchali Feſto. 77.
Petro ab Harinxma. 173.
Petro Paew. 23, Conſuli deſignato, 41, 50. in obitum uxoris.
Pentecoſtes Feſto. 77.
Petro Knyff. 191. in obitum.
Petro Vigelio. 314. gratul. Doct.
Petro van Veen. 314. Sponſo.
Petro Iongſtall. 364.
Petro Theodori. 377.
Pierio VVinſemio. 13. cum de cauſis corruptæ Eloq. peroraſſet. 74, 107.
Piboni Doma. 69, 281.
Philippo Lanſchott. Sponſo, 4.
Phoca Heemſtra. 197.
Poëſeos Studiis. 257.
Precatio quotidiana. 257.
PROFESSORIBUS Acad. Franek. 162.
Pſalmus CXLV. 401.

R.

Regnero Bogermanno. 55, in obitum, 206.
Regnero Ravens. 250, Gallias adituro.
Regnero Iepema. 330.
Renico Zachai. 333.
Richao Echtenio. 137, in obitum.

SENA-

S.

SENATORIBUS Supr. Curiæ Friſiorum. 156.
Sibrando Menaldum. 188. in obitum.
Sibrando Atſma. 331.
Sixtino Amama. 341. in obitum.
Sixto Grouſtins. 350.
Stephano à Delen. 236.

T.

THOMÆ ab Egm. à Nieuburch, 2, Kal. Ian. 9, Scholarchæ deſignato. 14, 21, 32, 72, 74, 50, 124. De Coronâ virtutum, 218, 415. de Filii Dilig. Teſtimonia.
Tarpeia Meretrici. 44.
Theodoro Vryburch. 80, 95, 260.
Theodoro & Ioanni Nyburgiis. 45. 84.
Theodoro Saeckma. 176. 245, 290.
Theodoro Marſum. 184.
Theodoro Vogelſang. 201. Sponſo.
Theodoro Atſma. 333. Doct. jur. Deſign.
Theotardo Boelema. 361.
Theotardo Heloma. 386.
Tarquinio Popta. 232, 252, 332, 384.
Tiberio Thoma. 244. 345.
Timæo Ioannis. 285.

V.

Veſſelo Acronio. 266.
Vernero Pagenſtechero & Fratri. 372.
Vibrando Revio. 202.
Viglio Hannia. 185.
Vlderico Heroni. 376.

Qui

Qui in hoc opuſculo ſcripſere ad AUTHOREM.

A.

Adrianus Snellius, 103.

B.

Bernhardus Schotanus, 409.
Bernhardus Fullenius, 412.

C.

Caſpar Barleus, 102.

E.

Edo Neuhuſius Pater, 413, 414.

F.

Feico Oetzonius, 104.

G.

Georgius Paſor, 411.
Georgius Candidius, 103.

H.

Henricus Rhala, 409.

I.

Iacobus à Teylingen, 29, 101.
Ioannes Foreſtus, 101.
Iuſtus Reifenbergius, 407.

M.

Meinardus Schotanus, 407.

P.

Petrus Knyff, 413.

S.

Sixtinus Amama, 410.

T.

Theodorus Fryburch, 81.

Candide Lector
ERRATA, quæ irrepſere, ſic corrige.

IN LIB. I. Pag. 9. lege *Qui vivis*. p. 13. *multâ caligine*. p. 16. l. 6. *fama*. p. 20. l. 4. *beare*. p. 24. l. *Sideribuſque*. p. 32. pro THEOD. l. THOMÆ. p. 49. lege *illo Ductore*. p. 73. pro *doctem* l. *doctum*. p. 97. leg. *ingemit*. p. 106. *Nunc eſt*. p. 110. l. 17. pro *non* l. *Nam*. p. 118. l. *rellinque*. p. 120. l. *Deas*. Ibid. l. Spurciloquæ. p. 122. l. 22. *manes*.

In LIB. II. Pag. 164. lege *Profeſſori*. p. 180. l. *veterum*. p. 195. l. fama leget. p. 199. l. 24. *Ominaque*. p. 200. l. 22. l. *Palladaſævam*. p. 205. l. 24. l. *Morte*. p. 212. l. 18. *Lactavit*. p. 219. 23. *nefaria*. p. 220. l. 5. *Cura Dei*. Ib. l. 28. *nitori*. p. 143. l. 6. *toti*.

In LIB. III. Pag. 261. lege *exactis*. p. 262. l. 11. *noſtri?* p. 263. l. 25. *fine tenebis*. Ib. l. 33. *totumque per orbem*. p. 269. l. 17. *floſculus*. p. 271. l. 31. *Omina vent*. p. 275. l. 31. *colat*, *& remoto*. Ib. l. 33. *foriſque*. p. 303. l. 20. pro *votis flagitat* l. *poſcit precibus*. p. 316. l. 27. *Francigenum*. p. 332. l. 23. *pectora*. p. 338. l. 29. *tradit*. p. 350. l. 15. *Alumno*. p. 356. l. 7. *Tutius*. p. 363. l. 14. pro *vulgo* l. *plebe ignara*. p. 393. leg. *Cancer flam*. p. 395. l. 3. *Friſia*. p. 396. l. 18. *Hac*. p. 406. l. 11. *Fatum*. p. 407. *περιφρόνητις*.

Digitized by Google

Digitized by Google